SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

## Werk

**Titel:** Gemmarum Et Lapidum Historia
**Autor:** Boot, Anselmus Boetius
**Verlag:** Maire
**Ort:** Lugduni Batavorum
**Jahr:** 1636
**Kollektion:** Antiquitates_und_Archaeologia; Antiquitates_und_Archaeologia_ARCHAEO18
**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
**Werk Id:** PPN643798072
**PURL:** http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN643798072
**OPAC:** http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=643798072

**LOG Id:** LOG_0013
**LOG Titel:** De Lapidibus, Ac Gemmis In Specie, Liber Secundus.
**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

# DE LAPIDIBUS, AC GEMMIS IN SPECIE,

## LIBER SECVNDVS.

### CAP. I.

*De Adamante.*

ADAMAS *a* Græce ἀδάμας, Germanice *ein demuth*, *demant*, *diamant*, Gallice *vn diamant*, Italice *uno diamante*, Arabice & Mauritanice *almas*, Indice, ubi invenitur, *Iraa*, & à nonnullis *naifes* vocatur.

Adamas omnium gemmarum est durissimus, absque colore, aquæ pellucidæ instar diaphanus. Nam si aliquid albedinis, flavedinis, aut nigredinis habeat, vitio id illi est, ac multum valori ipsius propterea decedit.

*Proprium Adamanti.*

Proprium Adamanti legitimo, id est, quod tincturam ad se rapiat, sibique ita applicet, & uniat, ut micantes, nitentesque, ac vividos suos radios procul iaciat. Hæc nulla alteri gemmæ, ita applicari ut micet, ac niteat, veri Adamantis instar potest. Propterea Gemmarii hac nota, verum à spurio, aliisque gemmis distinguere solent. Tinctura autem hæc fit mastice mundato, cui exiguum eboris in atrum pollinem exusti adiicitur, ut nigrescat. Mastix deinde calefieri parum, quemadmodum & Adamas debet,

idque ut impositus, ac suprapositus mastici, statim illi unione vera uniatur, ac vivos undique radios à se iaciat. Hanc unionem respuunt aliæ omnes gemmæ diaphanæ: impositæ enim huic tincturæ, vel in superficie gemmæ, vel tincturæ terminatur visus: ita ut superficiei partes nonnullæ cognoscantur, ac visus radii ab obiecto, ut in Adamante non reflectantur, aut si reflectantur per nebulam (quam superficies lapilli promit) id fieri videatur. Has notas dignoscendi verum Adamantem ab alia gemma, ut eludant, & tegant falsarii, ex frumenti grano ferro candenti oleum exprimunt, quod vel fuligine picis, vel eboris usti atro pulvere tingunt, ac Pseudoadamanti substernunt. Deinde lapillum, aut gemmam supra ita accommodant, ut spatium aliquod inter Adamantem, & tincturam aëre vacuum sit. Ita enim diaphanum partim ex lapide, partim ex aëre constans, satisque spatiosum, ne facile visus in tincturæ superficie terminetur, ac visus radii ab atro, & non splendenti tinctura sistantur, & hæreant, efficit. Hoc modo alia gemma veri Adamantis speciem ita reddit, ut sæpe fallantur peritissimi gemmarii. Nonnulli nigri holoserici particulam eodem modo substernunt. Alii speculum ita exacte subiiciunt, ut Pseudoadamas micet, niteat, ac vivat veri instar, neque commode nisi è cisti exemptus, aut lima examinatus, se prodat, & dignoscatur. Cur vero legittimus Adamas solus tincturam illam recipiat, aliæ gemmæ non, difficile est scire. Existimo mutuum illum, & amicum complexum propter similitudinem aliquam, quam habent in materia, & qualitatibus (hoc est tota utriusque natura) fieri. Natura enim natura gaudet, & similia similibus delectantur, & conservantur. Quæcumque enim similem materiam obtinent facile sese mutuo

*Adamantis fraus.*

*Cur verus Adamas tincturam recipiat.*

mutuo complectuntur, & commiscentur. Ob id aquea aquosis, oleosa oleosis, & mercurialia mercurialibus, & sulphurea sulphuratis (ut chymice loquar) miscentur. Quæ dissimilem habent materiam non coiunguntur; ita aqua cum oleo commisceri non potest, licet humidum sit, quia calidum est, & igneæ naturæ. Gummi cerasorum aquæ misceri, ac in ea dissolvi potest, quod aqueæ sit naturæ. Gummi masticis nequaquam, quia igneæ est naturæ, oleo ob id facile iungitur, à quo etiam dissolvitur, ut omnia alia quæcunque igneæ sunt naturæ, & facile in flammam redigi possunt. Quod itaque mastix, quæ igneæ naturæ est, Adamanti facile iungi possit. Signum est id propter materiæ similitudinem fieri, ac Adamantis materiam igneam, & sulphuream esse, atque ipsius humidum intrinsecum, & primogenium cuius beneficio coagulatus est, plane fuisse oleosum, & igneum, aliarum vero gemmarum aqueum. Hanc meam sententiam *b* Monardes approbare videtur: dum refert Adamantem in calidissimis tantum regionibus, (ut sub tropico cancri) reperiri; ubi nempe exhalationes calidæ, siccæ, igneæ, & sulphureæ sunt, ac in illis locis Crystallos nuspiam inveniri: sed tantum in frigidis regionibus, quia frigida, & aquea materia ad sui generationem indigent, qua India caret. Deinde quod calefactus ut Succinum (quod igneum est) festucas trahat. Non mirum itaque si pinguis, oleosa, & ignea masticis substantia illi absque visus termino adiungi, & applicari, aliis vero gemmis non possit. Qui hac à me data ratione contentus non est, meliorem adferat: interim sciat rerum ἀοίαν, & similitudinem ut plurimum ignotam esse, quemadmodum ferri, & Magnetis. Gemmæ quæ solent Adamantem ementiri, sunt Saphirus, Amethistus orien-

*Æmulatio Adamantis aliis gemmis.*

orientalis, Topasius, Chrysolitus, ac omnes quæ duritiem habent, perspicuæ sunt, & quibus color auferri potest. Colores enim igne auferri debent. Id solent artifices calce viva, vel chalibis limatura perficere. In illam enim gemmam sepeliunt, ac tigillo impositam igne carbonum obruunt, ut lente calefiat lapis, ac aucto calore evanescat illius color. Id dum perfectum arbitrantur paulatim ignem extingui sinunt, donec ne tepidus quidem calor amplius appareat. Tum è tigillo gemmam capiunt, quæ si perspicua diaphana, & absque omni colore sit, recte negotium peractum est. Si colorem non omnem amiserit, repetunt opus paulatim ut prius, id enim necessarium est. Nam si velociter incalesceret gemma, vel calefacta subito frigido aëri committeretur, in rimas fatisceret, vel diffringeretur. Præ cæteris gemmis huic operi imprimis inservit Amethistus orientalis, & Saphirus (nisi quod albicet) ac Topasius orientalis; cæteræ quo duriores eo aptiores. Topasium quia durior Amethisto, aliis præferrem. Vidi 7. Ceratiorum pondere 300. thaleris æstimatum, qui à vero Adamante discerni vix poterat.

a *Adamas teste Georgio Agricola lib.* VI. *de Natura Fossilium cap.* IX. *Ita dictus, quod non possit domari nec ferro, nec igne: sumptum nomen ab ἀ privativa particula, & δαμάζω, quod domo, & supero significat. Duritiei causam, tam in Adamante, quam in reliquis lapidibus, nativam siccitatem Philosophi prodiderunt. Serapio lib. Aggreg. cap.* 391. *scribit Adamantem esse frigidum, & siccum in quarto gradu, aitque has duas naturas raro aggregari in aliquo lapide. Quæ durities efficit, ut is maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas pretium habeat.*

*habeat. Huius duritiei quoque rationem egregie tradit Auctor lib. I. huius libri cap. XVI. Illud præcipuum Adamanti, quod eius ramenta etiam sunt pretiosa: nam scrupulus unus sex aureis venditur Coronatis, Cardano lib. VII. de subtilitate id asserente. Noster vero author scrupulum scobis, decem thaleris vendi solere asserit cap. 6. huius libri.*

b *Auctor hic deceptus est, existimans Nicolai Monardis locum esse, cum sit Garciæ ab Horto lib. I. Aromatum, & simplicium historia cap. 47. ut ibi videre est.*

## CAP. II.

### *De Adamantum generibus.*

PLinius *a* sex ponit Adamantum genera. Indicum non in auro, sed quadam Crystalli cognatione nascentem, laterumque sexangulo lævore turbinatum in mucronem ad nucis avellanæ interdum magnitudinem. Arabicum ei similem, sed minorem, & in auro nascentem, utrumque narrat incudem, & malleum ita ferre, ut ferrum, incudesque dissiliant, ipsis illæsis. Tertium Cenchron milii magnitudine. Quartum Macedonicum in Philippico auro repertum, cucumis semini parem. Quintum Cyprium, vergentem in aëreum colorem, in medicina efficacissimum. Sextum Sideritidem appellat ferrei splendoris, pondere ante cæteros, sed natura dissimilem, quem ut & Cyprium ictibus frangi, alioque Adamante perforari posse, degeneremque esse, ac tantum nominis authoritatem habere asserit. Hæc genera à Plinio tradita hodie ignota sunt, cum tantum unum genus Adamantis habeatur: id videlicet quod tincturam recipit: nisi quis velit ratione loci natalis, coloriſue, cum alii albicent,

bicent, alii palleſcant, alii nigreſcant, diverſa genera conſtituere, vel Pſeudoadamantes, ad Adamantum genera referre, qui à loco natali plerumque nomen habent. Tales ſunt, Bohemici, Arnhemii, Anglici, Hungarici, Clabbequii, & qui ſunt alii; nam paſſim inveniuntur. Inter hos, duas differentias notatu digniſſimas, animadverti. Nonnulli enim hexagoni, nonnulli globoſi naſcuntur, duritie multum differentes. Qui enim angulis excreſcunt molliores, & vix Cryſtallo nobiliores ſunt, ut Hungarici. Qui vero globoſi, aut rotundi ſilicum inſtar proveniunt longe duriores ſunt, ac orientalium ſplendorem, & nitorem non inepte mentiuntur. Sed tincturam non recipiunt, ut proinde pro veris haberi nullo modo poſſint, ac nominis authoritate indigni videantur. Ad hos Cyprii, & Macedonici referri debent. Veri ſiquidem in illis regionibus non reperiuntur. Orientales à locis ubi inveniuntur, diſtinguuntur. Alii enim de rupe veteri, alii de rupe nova nominantur, neque duritie, neque colore, omnes conveniunt, omnes tamen tincturam recipiunt, quod illis proprium eſt, nulli aliæ gemmæ conveniens. Quo duriores, eo meliores, magiſque nitent, niſi perſpicuitati aliquid deſit.

*Pſeudoadamantes.*

*Hungarici.*

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 4. ex Iacobi Dalechampii editione (quam continuo in hiſce notis ſequor) littera b.*

## Cap. III.

*Loci natales, magnitudo, & quomodo naſcantur.*

IN Biſnager orientalis Indiæ provincia duæ, vel tres rupes ſunt, quæ Adamantes ferunt, qui interdum

dum ſuperant pondus 37. Ceratiorum, ſed qui Regi cedunt. In Decan Indiæ provincia alia rupes eſt, non procul à ditione Imadixa, ac alia in dominio cuiuſdam reguli, in qua præſtantiſſimi inveniuntur, ſed minores cæteris, qui vulgo de rupe veteri vocantur, & venum portantur in urbem Liſpor, regionis Decan, iſti Naifes ab indigenis vocantur, & in magno ſunt pretio, ac uti naſcuntur, ita geſtari, arte impoliti, ſed natura politi ſatis, ſolent. Alia eſt rupes ad fretum Tanian in Malacca, quæ etiam profert Adamantes, qui de rupe veteri vocantur. Hi exigui quidem, ſed laudati, cæteriſque ponderoſiores ſunt. Inveniuntur in Biſnager Adamantes pendentes 140. ceratia, qualem ſe Monardes vidiſſe ſcribit. A fide dignis narrat etiam ſe audiviſſe extare unum qui 250. ceratia ponderet, eumque eſſe exigui ovi gallinacei magnitudine. Grandes in infima rupis, aut fodinæ parte, minores in ſuperiore naſcuntur. Exhauſta fodinæ ſuperiori parte, poſt biennium ibidem novi enati, & perfecti (quod mirum eſt) deprehenduntur. Cryſtallo nunquam innaſcuntur ut Plinius exiſtimavit. Prodit Rueus Adamantem unum alium gignere, ac Dominam Heverenſem è Luxemburgorum illuſtri genere oriundam, duos habere hæreditarios Adamantes, qui alios crebro producant, ut eos quicumque ſtatis temporibus intuetur *σύγγενῆ*, id eſt, congenerem ſibi prolem eniti palam iudicet. Id ſi verum ſit, non minimum eſt naturæ miraculum, ac Adamanti ſeminarium Adamantinum, & facultatem Adamantificam ineſſe, accedente aëre, & vapore, ſeu halitu extrinſeco (omni aëri inſito) pro materia apta ſtatui debet.

*Magnitudo Adamantum.*

*Adamas alium gignit.*

## Cap. IV.

### *Adamantis proprietates, qualitates, & facultates.*

ADamas ignis iniurias ita perfert, ut etiamsi per aliquot dies illi immoretur, nullum non solum noxam contrahat, sed potius nitidior, & præstantior inde eximatur. Quinimo ignis ope, certaque aqua mercuriali ex stibio distillata, ita auferri nativæ maculæ, nubes, & colores, qui illum viliorem efficiunt, possunt; ut nitidus, purusque inde prodeat, ac valore priorem statum longe superet. Huiusmodi aquam mihi communicavit nobilis, & humanissimus vir Ioannes Macinius Electoris Colonienſis consiliarius, artis spagiricæ peritissimus, amicusque meus ab ineunte ætate singularis, similem facultate aquam etiam invenit, & habet Invictissimus, & Augustus Rom. Imper. Rudolphus secundus Dominus meus clementiſſ. Vidi enim Adamantem vix 6. millibus emptum, qui ab ipso emendatus 12. vendi potuit. Sed hoc arcanum non cuivis innotescere debet.

*Ratio emẽdandi Adamantes.*

Malleum, & incudem innoxie Adamantem ferre tradit. *a* Plinius, verum id experienti falsum deprehenditur: cum nullus hoc seculo inventus sit, qui mallei ictu in partes non dissiliat, ac in pollinem redigi possit. Fama etiam est hircino calido sanguine, præsertim si hircus iis herbis, quæ calculos dissolvere perhibentur, nutritus fuerit, Adamantem emollescere, ac in scobem ferreo pistillo comminui: verum absque sanguine id omni Adamanti contingit, ut ante scriptum est. Magneti etiam vires adimere Adamantem quo minus ferrum trahere possit, ut hactenus creditum fuit, falsum multorum experientia deprehenditur; nisi varia Magnetis,

*Malleum non perfert Adamas.*

*Adamas Magnetis vires non tollit.*

tis, & Adamantis genera experientes fefellerint. Nam Adamas, perhibetur vere ut Magnes, septentrionem ostendere, & ferrum ea facultate imbuere. Id si verum, abiget adversam Magnetis faciem, ut in cap. de Magnete postmodum explicabo. Sed vereor ne ferro omni ea facultas insit, & falso Adamanti asscribatur. Plumbum etiam, ut hactenus creditum est, Adamantis aciem non obtundit. Id verum à *b* Monarde de Adamante statuitur, quod si alteri diu affricetur, illi satis firmiter adhæreat, ac si calefiat (ut succinum paleas attrahat, quod signum est, ut antea ostensum est, igneæ, sulphureæque esse naturæ.

*Adamas plagas ostendit.*

*Plumbum Adamantis aciem non obtundit.*

*Paleas trahit.*

Scribunt præterea authores Adamantem capiti mulieris, ipsa insscia suppositum, si fidelis sit marito, efficere ut dormiens in ipsius amplexus ruat, sin adultera, eosdem aversetur. Sed experientia, & ratio ista Adamanti non vere tribui, demonstrant. Nam sive cum marito, sive cum alio Venerem exerceat uxor, eundem actum naturalem, & ad generis humani conversationē necessarium exercet. Hunc, ut natura vitiosum non agnoscit, ita nec Adamas, qui si vitium, vel peccatum commissum fuisse cognoscere, vel ostendere deberet; tantum naturali, & ingenita sua facultate id præstare posset. Sed si natura non potest, nec ille poterit. Ignorat autem natura adulterium, quia matrimonium, & pacta mutua coniugum non à natura, sed à lege, hominumque voluntate, quæ adulterium pro vitio, & peccato constituit, proficiscuntur, quam sensu orbatus Adamas scire non potest. Ante Moysen dum naturæ lex sola vigeret, adulteria nulla erant, & tamen vario concubitu vivere licebat. Si ne tunc quidem homines pii, & prudentes vitium deprehendere potuerunt; quomodo iam Adamas absque

*Fidelitatem an prodat.*

sensu

sensu poterit? Valeant itaque nugæ, & aniles fabulæ, quas qui solide refutatas cupit legat caput 25. & 26. de gemmarum facultatibus. libro 1.

*An Adamas sit venenum.*

Adamantis pulveri etiam asscribitur vis deleteria, tam exitiosa, ut nullis remediis extingui, aut emendari possit. Huius scobe, Theophrastum Paracelsum chymicum sublatum, ipsius discipuli, & iurati asserunt: fortassis ut ipsius impostaram tegant. Nam cum ille vitam perennem, vel longævam medicamentis suis promisisset, in flore tamen virili extinctus est. Aut itaque mentitus fuit se huiusmodi pharmaca, quæ omnibus morbis mederentur, & vitam producerent, habere, aut si habuit, ratio danda fuit, cur iuvari decantatis medicamentis, instante morte, non potuerit. Commodior sane fingi non potuit ea, quę ab Adamantis pulvere sumitur, quem aiunt, non quia venenum est, sed quia duritie intestina corrodit, interficere. Verum experientia, & ratio huic opinioni refragatur. Nam Monardes refert mancipia quædam plurimos Adamantes, ut furtum tegerent, devorasse, quos postea integros absque iactura valetudinis, egesserunt, si maiores, qui acutos angulos habent, intestina non lædunt, difficilius pulvis, qui excrementis crassioribus ita involvitur, ut vix intestina attingere possit, lædet. Pulveris exemplum adfert Monardes; mulierem videlicet quampiam marito antiqua dysenteria laboranti, Adamantis scobem per multos dies propinasse, absque aliquo detrimento. Sola itaque materiæ duritie, vel acumine præsertim in pulverem redactus interficere non potest. Si itaque venenum est, vel manifesta, vel occulta qualitate esse debet. Manifesta non, quia neque prima, neque secunda qualitas in illo vehemens aliqua deprehenditur, cum potius tanquam mortuum, & in

altera-

alterabile corpus omni manifesta qualitate videatur carere. Sed neque occulta qualitate hominem necare poterit, si enim necare debebit, aget in hominis corpus, agere autem nihil qualitate potest, nisi agendo patiatur. Sic arsenicum ut necet, primum à ventriculo humano dissolui, & alterari, deinde ipsi adhærere, ut in ipsum agat, debet. Id enim omnibus venenis commune est, ut ab humano corpore alterentur, ac ab eo earum vis venefica in actum, ut noceant, redigatur. Quæ alterari non possunt, etiam qualitate nocere non possunt, ut aurum, lapides, nuclei cerasorum, ossa & similia, ista enim ut sumpta sunt, ita integra eiiciuntur. Adamas autem quia ita solide compactus est, ut alterari ab igne non possit, ab humano corpore multo minus poterit. Nullas itaque à se qualitates, ut noceat, emittit, præsertim cum illæ absque instrumento, & spiritu aliquo non communicentur, qualis ab Adamante, ut separari ne igne quidem, ita nec humani corporis calore potest. Non habet itaque Adamas veneficam qualitatem, neque in pulverem redactus interficere valet, ut falso à Paracelsi discipulis hactenus iactatum fuit.

*Ad venena, & multa alia.*

Creditur Adamantẽ contra venena, pestem, fascinationes, incantamenta, insaniam, metus vanos, terrentia intersomnia, incubos, & succubos, dæmonumque nocumenta, & præstigia, præsentaneum esse amuletum, eaque omnia arcere, ac præsente veneno madere, ac constantiam, victoriam, animique fortitudinem efficere. *c* Proditur etiam iram comprimere, coniugumque amorem fovere, ob quam causam reconciliationis gemma vocatur. Singulares has, multoque plures, per hanc gemmam divinitus exerceri posse facultates, humano generi commodas, non est dubium. In Dei enim potestate

*Reconciliationis gemma.*

ſtate eſt vel bonos, vel malos ſpiritus certis corporibus addicere, vel alligare, ut aut nocere, aut prodeſſe homini poſſint. Boni ſi præſto ſint, illum qui Deo confidit, ac huiuſmodi inſtrumentis, & mediis iuvare poſſe, & velle firmiter credit, iuvant. Mali vero Deo non confidentem, Deo permittente, offendunt. Si quid itaque metaphyſicum huic gemmæ aſſcribitur, id non à ſuo temperamento, eſſentia, vel natura, ſed à ſupremi motoris lege, & ordine promanare putandum eſt. Huius præſcripto Adamas, quem ſummus Hebræorum pontifex geſtabat, dum morte Hebræi propter peccata puniendi eſſent, colorem aëreum in atrum mutabat. Dum gladio plecti debebant, ſanguineus apparebat, ac cum nihil criminis commiſſum eſſet, nitebat, & ſplendebat ſupra modum. Has facultates nemo gemmæ, ut naturales aſſcribet, ſed ſpiritibus tantum, quibus huiuſmodi facultates exercere à Deo commiſſum, vel permiſſum eſt. Fortaſſis etiam gemmarum, propter ſplendorum pulchritudinem, & dignitatem ſubſtantia apta eſt, ut bonorum ſpirituum ſtatio, aut receptaculum ſit: ſicut malorum Medicorum, Theologorumque ſententia loca fœtida, horrida, ſolitaria, & humores melancholici, in quibus dum ſedem ſpiritus mali fixerunt: efficiunt, ut obſeſſus peregrino, ſibique ignoto idiomate utatur, futura prædicet, multaque, alia ſupra naturam faciat. Ut per hos humores mali, cur per gemmas boni agere, & incredibiles facultates exercere Deo ſic ſtatuente, & volente non poſſunt?

*Adamas Aaronis.*

*Pulchritudo gemma quid poſſit.*

Dum itaque ſupernaturale quid à gemmis efficitur, id non gemmarum viribus, ſed ſpiritibus aſcribendum eſt. Hoc modo adulterium Adamas prodere, & hominem interficere, aliaque plura perficere, quorum prius facta eſt mentio contra omnem

*Spiritus per gemmas metaphorice operantur.*

ratio-

rationem posset. Nonnulli arbitrantur supra in medium allatas, admirandasque facultates ab Adamante tum demum depromi, dum illi certi characteres, aut figuræ accommodo conspirante cœli aspectu, insculptæ sunt. Exempli causa victoriam efficere, dum ea hora, qua aspectus, qui victoriam significat, Martis, vel Herculis hydram superantis effigies illi insculpitur. Fateor profecto huiusmodi effectus supra naturam hac ratione interdum Deo permittente produci. Verum, ut supra monui, malorum spirituum beneficio id fit, qui in gemmæ corpusculum vana hominis credulitate, ne dicam ethnica impietate pellecti, sese insinuant, illoque abutuntur; ut naturales gemmæ facultates tegant, obruant, ac ignotas homini reddant, & pro iis suas, falsasque substituant, atque hac ratione paulatim hominem ad vana, & superstitiosa ducant, tandemque à vero Dei cultu avocent, ad suum trahant, ac in æternum perdant. Qui insculpi ea, quæ bonos spiritus alliciant, vult, martyria Salvatoris, eiusque vitæ actus, qui virtutes exemplo edoceant, insculpi curet, sæpeque pie contempletur. Haud dubie divina affulgente gratia, boniisque spiritibus auxiliantibus, facultates mirabiles (gemmæ, aut sculpturæ nudæ non asscribendas, sed Deo) percipiet.

*Adamantis sculpturæ.*

*Cur gemmæ interdum supranaturalia operentur.*

*Quæ gemmis insculpi debeant.*

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. 4. littera d.*

b *Auctor rursus in errore (ut cap. 1. huius libri demonstravi) versatur, cum Garciæ ab Horto locus sit.*

c *Psellus in libello de lapidum virtutibus, quem primus Philippus Iacobus Maussaccus vulgavit, latine vertit, & emendavit, testatur Adamantem febres semitertianas suspensum, aut alligatum restinguere.*

CAP.

## Cap. V.

### *Dignitas, & valor Adamantis.*

DIgnitatem Adamantis auget tum *a* ſplendor, quo dum radios hinc inde iacit Iridem intrinſeco ſuperficierum reflexu imitatur, & refert, tum materia, quæ fere incorruptibilis eſt. Præcipue autem divina authoritas, quæ Pontificem hac gemma ornari, dum Sancta Sanctorum ingrederetur, voluit. Ponebatur autem ſupra pectus ſummi Sacerdotis, ubi ille talarem veſtem, & ſupra talarem humeralem induiſſet.

A Regibus olim tantum expetitus fuit, nunc à quovis fere petitur, & geſtatur. Nihil tamen propterea illius diſceſſit pretio, cum longe pluris, quam ante aliquot annos veneat, ac indies licet in copia haberi poſſit, ipſius pretium creſcat. Hoc enim tempore Adamas perpolitus, & abſque omni vitio, ſi granum piperis ponderet, decem florenis, aut quinque ducatis venditur. Interdum maiori, interdum minori pretio, prout multi ad mercatum portantur. Solent ad pondus vendi dum iuſtam craſſitiem habent, & ſine macula ſunt, ac perfectam à ſculptore formam habent. Hoc eſt dum in ſuperiore ſuperficie tabulam quadratam, altera parte longiorem habent, ac duas laterales tabulas ſuperiori æqualem: deinde tres inferiores etiam ſuperiori æqualem, ac laterales ita pendentes, ut anguli recti hypotenuſam conſtituant.

Plerunque qui minus quatuor ceratiis pendent, ſæpe variant pretium; qui plus, id quod à me hic ſtatuetur, ſemper ſervant, uſque ad 10. ceratia. Inde ſinguli ſequentes præcedentes, ut ceratio ſuperant, ita etiam hoc numero videlicet 1010. Nam 11.

Cera-

Ceratiorum Adamas valet 9590, ergo 12. Ceratiorum, valet priori numero addendo 1010, 10600. & sic deinceps, in infinitum valor augeri potest. Nunquam tamen maiorem illo qui pendebat 187½. Ceratia, cuius mentionem facit *b* Monardes, inventum fuisse puto.

Ut autem proportio pretii statuatur, & inveniatur. Primo unius Adamantis perfecti, omnibusque modis absoluti, si granum ponderet pretium statuendum est, & sit exempli causa 10. vel thalerorum, vel florenorum, vel coronatorum, prout quis velit. Nam variat pretium, ut dixi, si variaverit, poterit valor numeri manens, etiam mutari. Nam ex 10. thaleris potest quis 10. florenos, ducatos, philippicos, aut coronatos efficere, ut tabula omni pretio inserviat. Si quis vero velit pretium illius Adamantis habere qui 2. grana pendet; quadret numerum, hoc est, in se ducat, nempe bis duo sunt 4. Hũc quotientem ducat in pretium unius grani, nempe 10. habebit in quotiente 40. sic est valor 2. granorum, superet itaque 30. unitatibus unius grani valorem, quam differentiam voco. Iam ut trium granorum valor habeatur. Differentia præcedens augenda denario ut sit 40. illaque addenda valori 2. granorum, qui erat 40. & ita constituetur numerus 80. valor trium granorum. Huic differentiæ quæ est 40. iterum adde 10. & constitues 50. differentiam, & numerum, qui additus 3. granorum valori nempe 8. constituet 130. valorem 4. granorum, id est, unius ceratii. Atque hoc modo augendo postremam differentiam numero denario constitues sequentem, quæ addita postremo valori etiam sequentem indicabit, ut in tabula licet videre. Nam singulæ differentiæ usque ad quadragesimum granum, vel 10. ceratia, hoc modo, ut in tabula apparet, progrediun-

*Regula pretii inveniendi.*

tur. Inter 10. & 11. ceratium differentia est mille tantum, ne nimis excrescat pretium. Deinde non per grana proceditur amplius, quia negliguntur. Nam si 10. ceratia Adamas pendet, vel 10. & 3. grana, perinde habetur. Vix enim mercatores huiusmodi excessum æstimant. Ceratiorum differentiæ etiam progrediuntur per denarium numerum, ut granorum: quæ optime tabella ostendit. Verum si quis paulo curiosior granorum valorem scire vellet, nempe 10. ceratiorum, & trium granorum. Dividat differentiam 1000. quæ est inter 10. & 11. ceratia, in quatuor partes ac tres addat 10. ceratiorum valori nempe 750. Hac tamen cautione, ut adhuc tres unitates addantur, quia tertium granum est. Si 2. grana 10. ceratiis addendæ essent duæ partes, nempe 500. adderentur. Si vero unum granum, tum tres unitates ab una parte 250. auferendæ essent, idque ut differentiæ crescant, ita differentiæ hæ erunt 247. 500. 753. ut itaque 10. ceratiorum, ac trium granorum valor habeatur adde numero 8590. qui constituit 10. ceratiorum pretium 753. & habebis 9343. Hoc modo cum reliquis agendum. Simili ratione si quis pretium 10. granorum cum dimidio scire velit, sumat differentiã quæ est inter 10. & 11. grana nempe 120. Hanc dividat in duas partes, nempe 60. ab una abstrahat 4. unitates, ut differentia minor sit, quotiens ergo sit 56. quem addet valori 10. granorum 640. & fient 696. pretium quæsitum, ita cum cæteris agendum.

Tabu-

Tabula sequẽs habet columnas quatuor. In prima, & secunda columna ponitur pondus Adamantũ: in tertia, pretium, & in quarta, differentia. Prima columna ceratia habet, unum ceratiũ pendet 4. grana.

| Ceratia | Grana | Pretium | Differentia |
|---|---|---|---|
| | ½ | 2½ | |
| | 1 | 10 | |
| | 1½ | 23 | 30 |
| | 2 | 40 | |
| | 2½ | 58 | 40 |
| | 3 | 80 | |
| | 3½ | 103 | 50 |
| 1 | 4 | 130 | 60 |
| | 5 | 190 | 70 |
| | 6 | 260 | 80 |
| | 7 | 340 | 90 |
| 2 | 8 | 430 | 100 |

| Ceratia | Grana | Pretium | Differentia |
|---|---|---|---|
| | 9 | 530 | 110 |
| | 10 | 640 | 120 |
| | 11 | 760 | 130 |
| 3 | 12 | 890 | 140 |
| | 13 | 1030 | 150 |
| | 14 | 1180 | 160 |
| | 15 | 1340 | 170 |
| 4 | 16 | 1510 | 180 |
| | 17 | 1690 | 190 |
| | 18 | 1880 | 200 |
| | 19 | 2080 | 210 |
| 5 | 20 | 2290 | 220 |
| | 21 | 2510 | 230 |
| | 22 | 2740 | 240 |

| Ceratia | Grana | Pretium | Differentia |
|---|---|---|---|
| | 23 | 2920 | 250 |
| 6 | 24 | 3230 | 260 |
| | 25 | 3490 | 270 |
| | 26 | 3760 | 280 |
| | 27 | 4040 | 290 |
| 7 | 28 | 4330 | 300 |
| | 29 | 4630 | 310 |
| | 30 | 4940 | 320 |
| | 31 | 5260 | 330 |
| | 32 | 5590 | 340 |
| 8 | 33 | 5930 | 350 |
| | 34 | 6280 | 360 |
| | 35 | 6640 | 370 |
| 9 | 36 | 7010 | 380 |
| | 37 | 7390 | 390 |
| | 38 | 7780 | 400 |
| | 39 | 8180 | 410 |
| | 40 | 8590 | |
| 10 | | 9590 | 1000 |
| 11 | | 10600 | 1010 |
| 12 | | 11620 | 1020 |
| 13 | | 12650 | 1030 |
| 14 | | 13690 | 1040 |
| 15 | | 14740 | 1050 |
| 16 | | 15800 | 1060 |
| 17 | | 16870 | 1070 |
| 18 | | 17950 | 1080 |
| 19 | | 19040 | 1090 |
| 20 | | 20140 | 1100 |
| 21 | | 21250 | 1110 |
| 22 | | 22370 | 1120 |
| 23 | | 23500 | 1130 |
| 24 | | 24640 | 1140 |
| 25 | | 25790 | 1150 |
| 26 | | 26910 | 1160 |
| 27 | | 28120 | 1170 |
| 28 | | 29300 | 1180 |
| 29 | | 30490 | 1190 |
| 30 | | 31690 | 1200 |
| 31 | | 32900 | 1210 |
| 32 | | 34120 | 1220 |
| 33 | | 35350 | 1230 |
| 34 | | 36590 | 1240 |
| 35 | | | 1250 |

| Ceratia | Pretium | Differentia |
|---|---|---|
| 36 | 37840 | 1260 |
| 37 | 39100 | 1270 |
| 38 | 40370 | 1280 |
| 39 | 41650 | 1290 |
| 40 | 42940 | 1300 |
| 41 | 44240 | 1310 |
| 42 | 45550 | 1320 |
| 43 | 46870 | 1330 |
| 44 | 48200 | 1340 |
| 45 | 49540 | 1350 |
| 46 | 50890 | 1360 |
| 47 | 52250 | 1370 |
| 48 | 53620 | 1380 |
| 49 | 55000 | 1390 |
| 50 | 56390 | 1400 |
| 51 | 57790 | 1410 |
| 52 | 59200 | 1420 |
| 53 | 60620 | 1430 |
| 54 | 62050 | 1440 |
| 55 | 63490 | 1450 |
| 56 | 64940 | 1460 |
| 57 | 66400 | 1470 |
| 58 | 67870 | 1480 |
| 59 | 69350 | 1490 |
| 60 | 70840 | 1500 |
| 61 | 72340 | 1510 |
| 62 | 73850 | 1520 |
| 63 | 75370 | 1530 |
| 64 | 76900 | 1540 |
| 65 | 78440 | 1550 |
| 66 | 79990 | 1560 |
| 67 | 81550 | 1570 |
| 68 | 83120 | 1580 |
| 69 | 84700 | 1590 |
| 70 | 86290 | 1600 |
| 71 | 87890 | 1610 |
| 72 | 89590 | 1620 |
| 73 | 91120 | 1630 |
| 74 | 62750 | 1640 |
| 75 | 64390 | 1650 |
| 76 | 96040 | 1660 |
| 77 | 97700 | 1670 |
| 78 | 99370 | 1680 |
| 79 | 101050 | 1690 |
| 80 | 102740 | 1700 |
| 81 | 104440 | 1710 |
| 82 | 106150 | 1720 |
| 83 | 107870 | 1730 |
| 84 | 109600 | 1740 |
| 85 | 111340 | 1750 |
| 86 | 112090 | 1760 |

| Ceratia | Pretium | Differentia |
|---|---|---|
| 87 | 114850 | 1770 |
| 88 | 116610 | 1780 |
| 89 | 118490 | 1790 |
| 90 | 120190 | 1810 |
| 91 | 121990 | 1820 |
| 92 | 123800 | 1830 |
| 93 | 125620 | 1840 |
| 94 | 127450 | 1850 |
| 95 | 129290 | 1860 |
| 96 | 131140 | 1870 |
| 97 | 133000 | 1880 |
| 98 | 134870 | 1890 |
| 99 | 136750 | |
| 100 | 138640 | |
| 110 | 158090 | |
| 120 | 178540 | |
| 130 | 199990 | |
| 140 | 222440 | |
| 150 | 237300 | |
| 160 | 276340 | |
| 170 | 305790 | |
| 180 | 322240 | |
| 190 | 349690 | |
| 200 | 378140 | |

Verum si quis absque tabella memoriter pretium aliquot ceratiorum, exempli gratia, decem velit scire ; redigat ceratia in grana : deinde, quia quatuor grana ceratium faciunt, multiplicet numerum 10. per 4. erunt 40. grana. Postmodum numeret quotus sit ille numerus à primo grano, & inveniet esse trigesimum nonum, hoc est unitate minorem proposito. Nam primus non computatur, idque necessarium, & perpetuum est. Auferat itaque à proposito numero 40. unitatem, ut maneant 39. Hunc multiplicet per 10. quia singulæ differentiæ augentur per denarium, & quotiens erit 390. Huic addantur 30. quæ est prima differentia, & quotiens erit 420. differentia videlicet, quæ sequitur proxime quæsitum numerum, auferatur ab ea 10. & exurget differentia, quæ præcedit quæsitum numerum, nempe 410. Ut vero à primo differentiarum numero 30. usque ad 410. habeatur omnium summa: secundum regulam progressionis addenda simul 30. & 410. & emergent 440. quæ medientur, sintque 220. ac postea multiplicentur cum 39. tot enim sunt numeri, qui per 10. augentur, & quotiens erit 8580. Huic addatur unius grani pretium, nempe 10. & ita 40. granorum pretium erit 8590. Hæc regula servit ad decem ceratia, vel ad 40. grana, ulterius non, quia alia in differentiis proportio servatur, & non amplius per grana, sed per ceratia fit progressus : deinde differentiæ etiam tantum denario numero augentur, ac prima differentia statuitur mille. Si itaque, exempli causa, quæratur pretium 22. ceratiorum, quia duodecimus hic numerus est à decem ceratiis, computatione facta, & singula pretia per decem adiecto millenario augentur, multiplicanda 12. per 10. fiunt 120. huic addenda 1000. fiunt 1120. Hæc est differentia, sequens nu-

*Absque tabella pretium venari.*

merum quæsitum, ab hac aufer 10. fiunt 1110. huic adde 1000. fient 2110. media fient 1055. cum hoc numero multiplica 12. quotiens erit 12660, huic addendum 10. ceratiorum pretium 8590. & emergit 21250. pretium 22. ceratiorum. Regula eadem est quæ superior, nisi quod primus numerus alius sit.

*Alius modus computandi.*

Si vero iste modus computandi difficilis videtur, dabo alium usque ad decem ceratia. Redigatur itaque ceratiorum numerus in grana. Exempli causa, quæro pretium quatuor ceratiorum, fiant inde 16. grana, & ducantur illa in se, fient 256. Hunc numerum duc in pretium unius grani, nempe 10. fiunt 2560. Qui numerus secundum Linscotium est valor Adamantis; sed fallitur is vehementer, quia hac ratione nimis augetur valor Adamantis. Hoc enim modo 20. Ceratiorum hoc est 80. granorum valeret 64000. Quamobrem ne ita excrescat pretium, à trium granorum pretio auferenda decem, à 4. granorum 30. & à 5. granorum 60. & sic deinceps, semper augendo differentiam numero denario usque ad 41. granum, circa quod mutatio fit.

Quia itaque à tertio grano progressio fit, addendo priori numero decem. Summa colligenda per regulam progressionis, collectaque à summa putati valoris auferenda. Verum quia 16. granorum valorem quæro, auferam ab eo numero 2. erunt 14. tot enim progressionis tantum sunt numeri, quia à tertii grani valore decem abstrahuntur, qui primus progressionis numerus est. Unum enim granum 10. valet. duo grana 40. Sed tria grana 90. demptis 10. id est. 80. Ut itaque postremum numerum progressionis habeam, multiplico illum per numerum excessus quo fit progressio, videlicet 10, & habebo 140. huic numero addendus primus, nempe 10. ut

regula

regula progressionis docet, & habebo 150. Huius medium multiplicabo cum 14. vel quod perinde est medietatem 14. nempe 7. cum 150. & quotiens erit 1050. qui numerus est summa omnium qui additione 10. aucti fuerunt ad 14. usque numerum. Hic abstrahitur à putativo pretio 2560. & remanent 1510. verum 16. granorum pretium. Breviter ita tradi potest regula. Exempli causa, si quæras 16. granorum pretium duc in se, habes 256. Hunc quotientem duc in 10. unius grani valorem habebis 2560. iterum abstrahe à 16. duo, habebis 14. hunc duc in differentiam progressionis 10. habebis 140. huic adde primum progressionis numerum nempe 10. & habebis 150. huius medium duc in 14. & habebis 1050. hunc abstrahe à putativo pretio 2580. & habebis 1510. pretium quæsitum.

*Regula pretii compendiosa.*

Tabella præcedentē regulam ostendens

| Grana | pretium putativum | numeri auferendi | verum pretium |
|---|---|---|---|
| 1 | 10 | | 10 |
| 2 | 40 | -- numerus progressionis -- | 40 |
| 3 | 90 | 10 | 80 |
| 4 | 160 | 20 | 130 |
| 5 | 250 | 30 | 190 |
| 6 | 360 | 40 | 260 |
| 7 | 490 | 50 | 340 |
| 8 | 640 | 60 | 430 |
| 9 | 810 | 70 | 530 |
| 10 | 1000 | 80 | 640 |
| 11 | 1210 | 90 | 760 |
| 12 | 1440 | 100 | 890 |

Potest hæc tabella ad libitum extendi, augendo numerum progressionis denario; sed frustra, quia in præcedenti tabula pretium verum, quod ab hoc

non differt expressum est, ut inspicienti perspicuum est.

Hactenus pretium perfecti Adamantis, id est, qui omni vitio caret, ac legitimam corporis habet constitutionem traditum, & præsciptum est. Qui vitium habet, his regulis æstimari non debet. Nam si aliquo colore, vel exiguo tinctus sit, mox illi tertia statuti in tabella pretii pars auferri debet. Si nubecula aliqua, fissura, granum, aut pilus adsit, pro quantitate illorum, vitiique magnitudine, vel media pars, vel duæ, tertiæ, vel etiam plus auferendum est. Si non satis crassus fuerit etiamsi purus, etiam aliquid ipsius pretio detrahitur. Forma enim legitima ut commodius radiet requiritur. Nec hic certa regula statui ulla potest. Examinatori enim prudenti æstimatio relinquenda est. Hoc tamen notandum quod Adamantes non crassi, & superius lati qui videntur plus ponderis habere, quam revera illis sit, pluris paulo, quam pendent, æstimentur. Sed minoris, quam appareant. Qui magnam tabulam habent, & latera angusta dimidium tantum pondus habent.

*Pretium Adamantis imperfecti.*

a *Quod calor Corrumpat splendorem, colorem, & vires Adamantum, testis est VVolfangus Gabelchoverus in annotationibus cap.* XV. *Andreæ Baccij de Gemmis, & Lapidibus, cuius hæc sunt verba. Notandum hoc loco est, Adamantem à calore corrumpi, & vires suas, & colorem amittere. Ideo qui ipsos præservare volunt, cum vesperi eunt dormitum, sibi annulum extrahunt, & in cyathum aquæ frigidæ ponunt, vel illum supra Marmor, aut in alio loco frigido collocant.*

b *Auctor non maiorem Adamantem inuentum fuisse putat, quam cuius meminit Nicolaus Monardes,*

at

*at non est locus Monardis, sed Garciæ ab Horto, ut capitibus præcedentibus docuimus. Cl. v. Carolus Clusius maiorem Adamantem in Belgio conspectum haud putat, quam quem Philippus Hispaniarum Rex, Ducturus Elizabetham Henrici II. Galliarum Regis maiorem natu filiam, emit de Carolo Affetati Antverpiæ, Anno 1559. octogies millenis Coronatis: pendebat autem ceratos septem, & quadraginta cum semisse, hoc est, 190. grana.*

## CAP. VI.

### *Vsus Adamantis.*

NOn solum Adamas ornatui inservit, sed in scobem malleo redactus ad alias gemmas duriores sculpendas, & cælandas utilis est. Absque ipsius enim ope, nec ille commode, nec ipsemet ullo modo cælari, aut sculpi, ut dignitatem, & pulchritudinem adipiscatur, potest. Cum ipse à nullo pati possit, ac omnes alias gemmas, imo omnes res creatas duritie superet. Solet autem in hunc usum oleo misceri, cuius guttula, vel gemmis ipsis, vel ferro acuto, quod gemmam, aut Adamantem excavare debet, instillatur. Deinde ferrum à rota circulariter, & celerrime motum gemmæ adhibetur: ita multis rotationibus, & continuo affrictu pulveris, tandem excavatur gemma. Verum Adamas multos dies resistit antequam effatu dignum quid ab ipso ablatum appareat. Paulatim tamen cedere sibi ipsi, ut lapis à guttis aquæ stillatitiis excavatur, cogitur: testante versiculo *Ad sculpendum.*

*Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.*

Si quis miretur cur pulvis in Adamantem, cum illo durior non sit, agere possit, ac agens fortior patiente

tiente esse debeat; mirari desinet, si particulam, quæ excavatur eandem, pulverem qui excavat, non eundem semper esse animadvertat. Nam propterea in pulverem redigitur, ut singula pulveris corpuscula suum officium faciant, locumque excavandum terant. Deinde cum pulveris vis evanescit, iterum recentior, & non hebetatus adhibetur. Solet enim pulvis in usum admissus duritiem amittere. Quod similiter Smir. lapidi, quo molliores gemmæ expoliuntur, & cælantur, contingit. Scrupulus unius scobis solet decem thaleris vendi.

*Ad arma penetranda.*

Adamantis cuspis si telo, aut sagittæ imponatur omnia arma facillime penetrat. Novi medicum familiarem, qui iactabat se singulari artificio, cuspidi acus imponere facile posse Adamantem, ac unguibus quemvis Adamantem, absque alio instrumento, vel materia, quam quæ à corpore humano sumitur, posse in squammas Specularis lapidis instar dividere.

*Adamantem frangere.*

*Ad symbola.*

Usus etiam Adamantis est in symbolis, vel emblemat. In his enim illius figura innocentiam, constantiam, fortitudinem, aliasque virtutes designat.

*Quid designet Adamas.*

Adamantis figura usi sunt Cosmus Medices Magnus Hetruriæ dux, Borsus dux Modenæ, Regii, & Ferrariæ, primus Marchio Estensis, ac comes Rovigii. Fridericus Gonzaga dux Mantuæ primus Marchio Montis Ferrati. Laurentius Medices Urbini dux, Alphonsus Carretus Marchio Savonæ. Antonius Carraciolus, aliique complures ut videre in tertio tomo symbolorum à me Pragæ editorum, licet.

Cap.

## CAP. VII.

### *Quo pacto Adamas sculpatur.*

ADamas varia figura scinditur, cæteris præstantior habetur quadrata, hoc est dum superficies in quadratam tabulam redigitur. Dum autem in talem formam Adamas aptatur, id observari debet, ut duæ tabulæ laterales unam superiorem faciant, ac laterales hypotenusam anguli recti constituant. Deinde ut una pars superioris tabulæ, longior sit alteri necesse est, ita enim perfectissima illius forma est. Cui si accedat substantiæ puritas, ita ut nullus color in eo appareat, plerunque 50. ducatorum pretio, si ceratium ponderet æstimatur. In pretii tabella unius ceratii valor indicatur numero 130. eo numero floreni, vel thaleri; vel semisolares aurei intelligi possunt, prout nempe pretium intenditur, vel minuitur à mercatoribus. Solent etiam Adamantes in pyramidis formam, ex quadrangulo emergentem, *a* sculpi, sed huiusmodi figura licet cæteris aliis prævaleat, dignitate tamen, & valore figuræ tabulatæ cedit. Aliæ figuræ plerunque propter lapidis nondum sculpti formam ita eliguntur ut quam minimum ipsius corpori decedat.

a *Vtuntur autem hodie Adamantum, gemmarumque sculptores, hoc glutine, cui gemmas ut poliantur inserere solent.* ℞ *Resinæ libram semiss. ceræ flavæ, mastichis ana unciam semiss. hisce liquefactis admiscebis imbricis, aut tegulæ frictæ pulverem per setaceum traiectæ, & lotæ ad sufficientem duritiem, & quantitatem. Experimentum autem consistentiæ capies si aliquid lapidi madefacto instillabis. Attendendum autem est sudo, & sicco cælo, tantum pulveri-*

*pulverizati Imbricis, seu tegulæ non addendum, quantum udo, & humido. Huius, sed non tali modo præparati glutinis meminit auctor fol. 82. Hoc unicum, (quoniam Adamantis mentionem fecimus) addendum putavimus, quod Aurifabri ut Adamantem non inficiant, sublatumque tuto paleæ applicent, soleant uti hoc glutine. Fruſtum eboris chrysibulo indunt, alioque chrysibulo superimposito, quod tamen eiusdem profunditatis non est, rimam argilla, sale bene subacta oblinunt, ne aër intret, igneque ustum in materiam nigram vertunt, ceræ liquefactæ ad sufficientem quantitatem eboris pulverizati admiscent, eaque materia stilum, ligneumve bacillum inungunt, quo & lævia quæque tollunt. Huius ferme formam tradit Auctor folio 115. sed tantum utitur pro colore Adamantibus substernendo.*

## Cap. VIII.

### *De Carbunculo.*

MAgna fama est Carbunculi. Is vulgo putatur in tenebris carbonis instar lucere; fortassis quia Pyropus, seu Anthrax appellatus à veteribus fuit. Verum hactenus nemo unquam vere asserere ausus fuit, se gemmam noctu lucentem vidisse. Garcias ab horto proregis Indiæ medicus refert se allocutum fuisse, qui se vidisse affirmarent. Sed iis fidem non habuit. *a* Ludovicus Vartomannus regem Pegæ tantæ magnitudinis, & splendoris habere scribit, ut qui regem in tenebris conspicatus fuerit, eum splendere quasi à Sole illustretur existimet, sed nec ille vidit. Si itaque gemmam noctu lucentem natura producat, ea vere Carbunculus fuerit, atque hoc modo ab aliis gemmis distinguetur, omnesque alias dignitate superabit. Multi autumant gem-

*Carbunculus.*

gemmas in tenebris lucentes, à natura gigni non posse; verum falluntur. Nam ut lignis putridis, nicedulis, halecumque squammis, & animalium oculis, natura lucem dare potest; non video cur gemmis idonea suppeditata materia (in tanta rerum creatarum abundantia) tribuere non possit. An itaque habeatur, aut non, incertum adhuc est. Doctissimorum tamen virorum omnium sententia huiusmodi gemmæ non inveniuntur. Hinc fit quod rubentes, & transparentes gemmæ omnes; ab iis Carbunculi, Anthraces, Pyropi, & Carbones nuncupentur. Quia videlicet carbonis instar lucent, ac ignis instar flammeos hinc inde radios iaciunt.

*Gemmas posse noctu lucere.*

*Incertum an habeatur.*

a *Addendum hic etiam puto illud, quod Ælianus lib. 8. de historia animalium refert, nempe ciconiam ob crus fractum, & ab Heraclea muliere curatam, Carbunculum (veram Æthiopum Amethistum) qui nocturnas tenebras instar lampadis illustrat, prætervolantem, gratitudinis ergo in sinum illius mulieris deiecisse.*

## CAP. IX.

### *Carbunculorum genera.*

CArbunculorum apud Plinium genera varia sunt. Imo sexus discrimen facit. Acriores masculos, languidiores fæmellas arbitratur. Inter cætera genera recenset Amethistizontas, quorum extremus igniculus in Amethisti violam exit; Sirtitas pinnato fulgore radiantes. Lythizontas, Charcedonios, nigriores aspectu, sed qui igne, vel Sole, & inclinatione acrius, quam cæteri excitantur, ac umbrante tecto purpurei videntur, & sub cœlo flammeos contra radios Solis scintillant, atque stellas intus

*Amethistizontas.*

intus habent ardentes, si masculi sint. Nam fæminæ universum fulgorem extra se fundunt. Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes, sed convoluto igne flagrantes. Alabandicos cæteris nigriores, sed scabros: Troëzenios intervenientibus maculis albis, ac Corinthios colore pallidos. Inter Carbunculorum genera etiam *a* à Plinio recensentur: Anthracitis, Sandastros, *b* Lychnitis, ac Ionis. Anthracitis præcincta candida vena in ignem iactata, velut intermortua extinguitur, contra aquis perfusa exardescit. Sandastros duplex Indicus, vel Arabicus, eius commendatio summa, cum in translucido stellantes intus fulgent aureæ guttæ, semper in corpore, nunquam in cute, fere & stellas Hyadas, & numero, & positione imitantes, unde in religione habitus, & in cæremoniis apud Chaldeos. Indici hebetare visus dicuntur. Blandior fæmellis flamma alliciens magis, quam accendens. Arabici fumidi Chrysolito similes dicuntur, negant aliqui Sandastros poliri propter teneritatem, Lychnitis circa Orthosiã in Caria, sed probatissima in Indis, quam quidam remissiorem Carbunculum vocant, habetur. Ionis Lychniti similis duplex; quædam radiat purpura, altera cocco. Calefactæ digitorum attritu paleas ad se trahunt. Nascuntur apud Nasamonas in montibus. Potoria vasa ex hoc lapide, & è Lychnite factitata traduntur. Omnia hæc genera scalpturæ contumaciter resistunt, partemque ceræ in signo tenent. Hæc sunt genera à Plin. ita confuse tradita, ut non internoscantur; non dubium tamen est, quin Rubinos, Granatos, Almandinos, Hyacinthos nostros, aliasque rubentes gemmas omnes hic descripserit, & Carbunculi nomine appellarit. Ne itaque confuse historia illorum tradatur. Carbunculi hoc est rubentis, & diaphanæ gemmæ

mæ genera sunt Rubini, Granati, Almandini, & Hyacinthi rubri: nam tales inveniuntur. Horum historiam ordine describam.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. 7. littera 1. Anthracitin hanc Hæmatitis genus facit Georgius Agricola lib. v. de Natura Fossilium cap. v.*

b *Lychnitis lapidis meminit Philippus Iacobus Maussacus libello de fluviis Plutarcho adscripto fol. 2. in descriptione fluvii Hydaspis, pluribusque in notis suis ad eundem libellum (edidit autem eum Tolosæ 1615. in 8o.) fol. 213. Idem vero Psellus de lapidum virtutibus supra cap. 4. huius libri citatus, testatur Lychnitem collo suspensum, oculorum fluxiones sistere, appositum fronti linea lacinia involutum.*

## CAP. X.

### *De Rubinis.*

RUbinus est gemma diaphana, rutilans, rubensque exigua portiuncula cærulei coloris, ac limam respuens. Rubedo ipsius non est puri minii, vel cinnabaris, sed sanguinis potius, cocci, laccæ Indicæ, aut kermesini. Quo tamen minus cærulei, modo aliquid in extremo igniculo appareat, eo nobilior est. Si ex flavedine rubeat gemma, non ad Rubini, sed Granati, vel Hyacinthi speciem referenda est, hac enim nota ab iis distinguitur.

## CAP. XI.

### *Genera Rubinorum.*

RUbinorum quatuor sunt genera. Verus, & simpliciter appellatus Rubinus, Rubacellus, Ballacius, & Spinellus. Inter hos aliqui albicant, &

vix

vix rubedinem habent, albi Rubini nuncupati, alii ceraſi maturi inſtar rubent, aliqui mixtos habent colores, aut media parte rubent, media candicant, alii media parte Saphiri, media Rubini ſunt, Qui albi ſunt duritie à cæteris gemmis diſtinguuntur.

## Cap. XII.

### *De vero Rubino.*

RUbinus verus, ut dixi, cocci, & laccæ Indicæ colorem refert, vitrumque eodem colore admixto lini oleo tinctum, apprime veri Rubini colorem oſtendit. Habet coccus, vel lacca Indica nonnihil coloris cinnabaris, Verum parum cærulei in extremo igniculo ſubeſſe videtur. Si enim nimis multum cærulei appareret, Balaſſium referret. Hic verus Rubinus ſi magnus fuerit, &c. Ceratiorum pondus excedat Carbunculi celebrati nomine dignus eſt, atque is cenſeri debet, qui tanto in pretio apud veteres fuit, ac cui inter tenebras lucendi facultas falſo data fuit.

*Carbunculus eſt magnus Rubinus.*

Rubinus ab Indis vocatur *Tokes*, vel *mamca*, à Perſis & Arabibus *Iacut*.

## Cap. XIII.

### *Loci natales magnitudo, & quomodo naſcatur Rubinus.*

NObiliores Rubini in inſula Zeilan naſcuntur. Alii & minores in Coria, Calecut, Cambaia, & Biſnager. Optimi in flumine Pegu, quos incolæ ore, & lingua explorant. Nam frigidiores, & duriores meliores arbitrantur. Illorum colorem igne, in quo coquunt augere dicuntur. Naſci ſolent in quadam lapidea matrice roſei coloris, quam aliqui ſi per-

si perspicua fuerit Balassium Rubinum vocant. Nam si transparens, gemmæque instar non sit, ab omnibus mater, aut matrix Rubinorum appellatur: propterea quod (ut infans in utero materno sanguine nutritur) in hac Rubinus formetur, alatur, ac excrescat. Primum candicat, deinde paulatim matureſcens ruborem contrahit. Hinc fit quod albi, & albicantes qui nondum maturi sunt, reperiantur. *a* Nascitur plerunque in eadem fodina ubi Saphiri reperiuntur. Si alimentum varium fuerit, & non omnino Rubino idoneum; mixti coloris inveniuntur, nempe partim albicantes, partim rubentes, aut media parte Rubini, media Saphiri, quos Indi *Nilacandi* quasi Saphiro Rubinos appellãt.

*Balassius mater Rubini.*

Veri Rubini satis magni reperiuntur. Rudolphus Secundus Imperator Augustus, & invictissimus, ac Dominus meus clementissimus, Rubinum habet qui parvi ovi gallinacei magnitudinem æquat, ac ceratia pendet.

*Cæsaris Rubinus.*

Is, à sorore sua Galliarum regis vidua, ad ipsum hæreditario iure pervenit. Illo maiorem in Europa inveniri non puto. Si quæ gemma pro vero Carbunculo unquam habita fuit, illa haberi debet. Intellexi olim 60. ducatorum millibus emptam fuisse. Verum si quod rarum, & pulchrum est, magno æstimari debet, ille aut inæstimabilis prorsus, aut longe pluris æstimandus est. Cleopatræ Margarita 234375. ducatis æstimata fuit. Ut illa omnes sui generis pulchritudine, & magnitudine superavit, ita & hic Carbunculus. Nec propterea, quod non pluris veniit, existimandum iusto pretio fuisse venditum. Quia mercatores tanti pretii gemmas servare non possunt. Nam si otiosas pecunias, aut divitias steriles habere, aut ære alieno gravati, bonis cedere nolint, divendere coguntur.

a *Author hæc sequentia habet ex Garciæ ab Horto lib. 1. Aromatum & simplicium historia cap. 49.*

## Cap. XIV.

### *Rubini proprietates, qualitates, & facultates.*

*Ad venena.*

TRadunt authores Carbunculum, seu verum Rubinum gestatum, vel ebibitum venenis vehementer resistere, ac à peste præservare, tristitiam arcere, libidinem coërcere, malas cogitationes, & terrentia somnia avertere, animum exhilarare, corpus incolume conservare, *a* ac si homini infortunia instent, ea mutatione coloris in obscuriorem significare, iisque præteritis iterum pristinum colorem recuperare. Interim tamen somnum minuere, ac sanguinem nonnihil exagitare, ut gestantes facile excandescant.

a *VVolfangi Gabelchoveri insignem de se ipso historiam notatu dignam, hic annectere placuit. Cuius verba in comm. cap. 6. Andreæ Baccii de gemmis, & lapidibus, hæc sunt. Notatu vero dignum est, Rubinum verum orientalem, coloris crebra mutatione, & obscuritate, homini ipsum gestanti, certum aliquod infortunium, & calamitatem non diu abfuturam denunciare, & pro maiori, vel minori infortunio, ad maiorem, vel minorem nigredinem, & opacitatem declinare. Id quod tum à viris Clarissimis frequenter audivi, tum quoque proh dolor ipse expertus fui. Cum enim 5. Decembris Anni 1600. post Christum natum, cum dilectissima coniuge, Catharina Adelmannia piæ memoriæ, Stutgardia Calvvam proficiscerer, observavi in itinere manifestissime, Rubinum pulcherrimum, quem annulo aureo incluſum ab eadem dono acceptum, in manu gere-*

*gerebam, semel atque iterum splendidissimum colorem fere prorsus amisisse, & pro splendore obscuritatem, & luce tenebras acquisivisse: quæ nigredo, & obscuritas non solum per unum, vel alterum diem, sed aliquot perduravit, adeo ut vehementer perterritus, annulum ex digito removerim, & in cistam recondiderim. Vnde non raro coniugem admonui instare vel mihi, vel illi insigne periculum, quod ex Rubini mutatione, & varietate collegeram. Neque sane animus meus me fefellit, ut quæ intra paucos dies lethali morbo correpta fuerit, qui ipsam ad mortem usque comitatus est. Post mortem vero pristinus splendor sua sponte denuo redijt.*

## CAP. XV.

*Dignitas, & valor Rubini, seu Carbunculi.*

RUbini dignitas dum 10. ceratiorum pondus excedit maxima est, propter gratissimum quo oculos pascit colorem. Proinde Adamantum pretio omnino æstimari potest, nec autem 10. ceratiis ulterius alia, quam priori tabula, qua Adamantum pretia statuuntur opus est. Scribit *a* Garsias ab horto 34. ceratiorum Rubinum à regulo in Decan 32. libris auri emptum, aureis Lusitaneis 20000. æstimatum fuisse, quod pretium proxime illi, quod tabella ostendit, accedit. Minorum Rubinorum pretium certum vix statui potest. Hodie tamen gemmarii pretium illius ab Adamante cui associari potest Rubinus, accipiunt. Ut si videatur ex magnitudine habere 4. ceratia, valore Adamantis (modo perfectus sit, & colore absoluto) qui quatuor ceratia pendet æstimetur. Eodem modo æstimantur, & illi qui in tabulas redigi non possunt, ac meliores crudi, quam præparati, apparent. Reliqui *Rubinorũ*

*matronalium pretium.*

qui ad collaria matronarum, vel mundum muliebrem exornandum eliguntur, neque exactam formam habent, non tanti æstimandi sunt, quanti qui tabulam constituunt. Qui vero tenues sunt, sed tamen colore, & pulchritudine absque cavitate inferiori perfecti, tanto pretio valent, quanto qui iustam crassitiem habent, cum neque ponderis, neque crassitiei, sed tantum amplitudinis, coloris, & perspicuitatis in illis habeatur ratio.

a *Libro* 1. *Aromatum, & simplicium historia cap.* 49, *non* 34, *sed* 24. *caratiorum habet: & male Auctor scribit emptum fuisse* 32. *libris auri, cum Garcias ipse affirmet emptum fuisse sex auri manus, quæ quinque Lusitanicas arrobas efficiunt. Cum Lusitanica Arroba constet* 32. *libris teste cl.* v. *Carolo Clusio.*

## Cap. XVI.

### *Imitatio, & adulterium Rubini.*

ADulterari, vel fucari solet Rubinus tribus modis. Primo dum ipsi, si absque aliqua, vel pauca rubedine sit, rubra bractea, aut color, aut vitrum aliquod rubeo colore tinctum, & splendens substernitur. Qui modus nonnullis ideo carere fraude putatur, quod vera gemma licet colore non proprio adiuta, appareat. Verumtamen fraus est pretium gemmæ alieno colore augere. Ob hanc impostura famæ iacturam fecit gemmarius quidam, dum Rudolphum Imperatorem invictissimum, & Dominum meum clementiss. decipere conaretur. Secundo dum alia gemma nobilis candicans, ut Saphirus albus, Crystallus, Topasius, aut Pseudoadamas in illius locum substituitur, atque propter colorem, bracteam, aliudve corpus diapha-

diaphanum subſtratum, ita rubet, & radiat, ut à vero Rubino nihil differat. Tertio dum vitri partes duæ maſtice ita glutinantur, ut maſtix colore cocci tincta per utrumque vitri corpus ita pelluceat, ut verus Rubinus videatur. Horum modorum ſecundus, & tertius uſitatiſſimi ſunt. Verum non adeo difficulter deprehenduntur. Primo modo fucati dignoſcuntur, quia non exacte ſcintillant, limam non perferunt, ac colore pulchriores veris videntur. Horum fraudē ſolent aliqui ad unguem noſcere. Nam ſi colore rubro caruerit, ac gemmæ planities ungui ſuperponatur, viſuſque per ſuperficiem gemmæ, & unguis dirigatur, candor abſque colore apparebit. Verumtamen gemmarii, inferiores gemmę ſuperficies, variis angulis ita artificioſe ſcalpere norunt, ut multiplici ſuperficierum in omnem partem reflexu fraus innoteſcere perito artifici non ſemper poſſit. Propter has fraudes Rubini hoc ſeculo non tanti quam olim fiunt. *Duplatæ.*

Nonnulli Rubinum ementiuntur auripigmento, quod excoquunt in vitro, non exacte obturato lento igne: ac fruſtula vitri lateribus adhærentia, ſed admodum frangibilia ſtatuis cereis adhibent, ut Rubini vices, quos exacte referunt, ſuppleant. *Auripigmentum coctum in Rubini ſpeciem abit.*

## CAP. XVII.

### *De Rubino Balaſſio.*

HIc Rubinus qui Balaſſius, aut Pallacius vocatur, inde nomen habere putatur, quod pallatium, ſeu mater Rubini veri ante deſcripti, in quo naſcitur, & tanquam in palatio, vel domicilio reſidet, ſit. Habet iſte Rubinus laccæ florentinæ, aut cremeſinum colorem, ita ut parum cærulei coloris vero rubro admixtum videatur, roſei coloris

rubentis instar. Verum color hic dilutus est admodum, visui admodum gratus, ac Rubini veri instar satis splendens. Sæpius in venis Saphiri hoc genus reperitur, è cuius tinctura cærulea huius rubedo diluitur, & temperatur. Nascitur in iis regionibus in quibus Carbunculi, & veri Rubini.

## Cap. XVIII.

*Dignitas, virtus, & usus Balassii.*

RUbini veri, putatur Balassius, habere vires, & facultates, licet languidiores. Peculiariter tamen furoris, iræ, atque libidinis impetus frænare, & coërcere putatur, ob id mulieribus maxime convenire. Deinde iecoris omnia vitia emendare creditur.

## Cap. XIX.

*Balassii pretium, & valor.*

LOnge vilior Rubino est Balassius. Nam, teste Linschotano, 1. ceratium pendens, 10. ducatis æstimatur, 2. ceratia pendens 20, 3. pendens 30, 4. pendens 40. & sic ulterius multiplicando numerum ceratiorum per 10.

## Cap. XX.

*Imitatio, & fucus.*

ADulterantur ut veri Rubini, ac difficilius in illis fraus deprehenditur.

Cap.

## CAP. XXI.

### *De Rubino Spinello.*

MAgis hoc genus rubet, quam Balaſſiorum. Attamen non habet Spinellus ſplendorem legittimi Rubini, fortaſſis fæmina Plinio eſt. In iiſdem locis invenitur, ubi alii Rubini: minores etiam vires habet, quam Rubinus, ac facile adulteratur. *Locus natalis.*

Spinellorum aliquot ſunt genera, aliqui enim tam perfecti ſunt, ut Rubinis comparentur. Aliud genus de rocca veteri eſt, quorum aliqui colorem Rubaſſorum habent, aliqui vergunt ad Hyacinthi colorem, neque adhuc ſtatutum eſt an Spinelli ſint. Gemmarii periti pro Spinellis non habent; ſed pro Rubacis, aut Rubicellis, vel etiam Hyacinthis, ſed etiam præſtantes ſunt, ut Spinellis comparentur. Volunt enim illos ita laudare, ut pro Spinellis vendere poſſint. Expoliunt etiam eo modo quo Spinellos, licet colore Hyacinthi, vel Rubicelli ſint. Cum Spinellus de rupe veteri præ manibus eſt, qui Adamanti unius ceratii ſociari poteſt, & in tabulam redactus eſt, valet dimidium pretii Adamantis, ſi perfectus ſit. Nam ſi vitium habeat proceditur, ut in regula de Adamantibus docui. *Genera.*

## CAP. XXII.

### *De Rubacis, aut Rubicellis.*

GEmmæ iſtæ ambigunt inter Spinellos, & Hyacinthos, ut neſcias num ad hos, vel illos referre debeas, videtur enim color ex utriſque mixtus. Bohemicis Granatis interdum etiam valde ſimiles ſunt, ac igne num Granati ſint probantur. Nam

Granati Bohemici ignem absque coloris, vel minima iactura ferunt, illi nequaquam, quia vel amittunt colorem, vel mutant, ut facile Granatos non esse manifestum fiat. Extremus istorum igniculus plerunque flavescit. Vilioris sunt pretii, quam Spinelli, ac Balassiorum pretio dimidio æstimari possunt si vitio careant.

## Cap. XXIII.

### *De Granatis.*

AD Carbunculi genera merito Granati referendi sunt, cum luci, aut Soli expositi carbonis imaginem ostendant, meliusque quam Rubini. Granati enim fere omnes ex flavedine rubent, ignis instar, miniique nativi, vel factitii colorem quo ignis depingi solet in se habere videntur, ob id à Gallis *vermeille* vocantur, quo nomine etiam minium significatur. Nam Galli minium *vermeillon* appellant, à quo derivatur *vermeille*.

## Cap. XXIV.

### *Granatorum genera, & loci natales.*

GRanati alii orientales, alii occidentales. Orientales ex India, Calecutio, Cananor, Cambaia, & Balaguate, ac ex Æthiopia adferuntur, ibique inveniuntur. Hi trium generum reperiuntur. Nam aliqui nigriores sunt cæteris, sanguinisque atri colorem referunt, satis tamen rutilant, ac splendent. Bractea suppositа alba in Sole carbonis igniti speciem referunt: ut propterea à nonnullis veri Carbunculi putentur. Magni hi inveniuntur. Nam vidi qui ovum gallinaceum magnitudine superarent. Aliud genus est, quod Hyacinthi colorem refert,

*Magnitudo.*

refert, ac nisi nimia rubedo adesset, Hyacinthus putaretur, iste à gemmariis Soriana appellatur. Si nimium flavedinis habeat, inter Hyacinthi species referenda est, ac ea erit gemma quam Itali, *Iacintha la bella*, vocant. Sæpe enim ita nutant, aut ambigunt gemmæ, ut nescias ad quam speciem referre debeas. Hinc fit ut sæpe ne à gemmariis quidem dignoscantur. Nam duritie, eiusdem speciei gemmæ non semper æquali sunt: ita ut hac ratione discerni nequeant, ac certissimum sit ambigere. Constat enim plures gemmas interdum à natura non solum misceri, sed coniungi. Tertium Granati genus Martir violæ colorem habet rubedini intermixtum. Hoc cæteris præstantius iudicatur, ac Italice à gemmariis, *Rubino della rocha*, vocatur. Fortassis Carbunculus Amatistizontas Plinii est. Verum difficile est hic aliquid certi statuere.

*Soriana.*

*Iacintha la della.*

Occidentales Granati aliqui sunt dilutioris coloris, ut Hispanici, qui Grani punici colorem referunt, ac satis magni reperiuntur, flammamque coruscantem æmulantur. Aliqui ex flavedine rubent colore admodum saturo, & qui igne ab iis removeri non potest, tales sunt Bohemici. Tanta enim copia rubedinis in iis est, ut nigrescant nisi excaventur, ac bractea argentea illis supponatur. Huius enim beneficio quodammodo diluitur coloris abundantia, quemadmodum excavatione minuitur. Quotquot in Bohemia inveniuntur omnes vitio ita carent, ut ostentum sit, si unus reperiatur qui vel nebulam, vel fissuram, vel simile quid habeat. Prope Balnea Teplicensia non procul ab Albi, & ab oppido Bilina reperiuntur. Hi orientalibus nobiliores sunt. Tum quia vitio carent, tum quia igne resistunt,

*Differentia in colore.*

*Puritas Granati Bohemici.*

verisque carbonibus similes sunt. Hos rustici in agris passim absque matrice arenæ, aut pisorum instar inveniunt, venumque Pragam deportant. Dum reperiuntur ita nigricant extrinsecus, ut nisi contra lucem quis eos intueatur, rubedinem percipere vix possit. Aliqui præterea sunt Granati Iserini vocati, qui nempe ad Iserin pratum circa confinia Sylesiorum colliguntur: scabri hi sunt, plerunque vitiis pleni, ac raro plane perspicui, Rubinis Spinellis viciniores, quam Bohemici. Dum perspicui non sunt matres Granatorum vocantur.

*Silesiaci.*

## Cap. XXV.

### *Qualitates, proprietates, usus, & dignitas Granatorum.*

Granatos manifestam aliam qualitatem, quam exsiccandi, si in pollinem redigantur, habere non puto. Alias collo suspensi, & ebibiti tristitiæ multum resistere, ac cor confirmare, melancholiæque adversari putantur. In medicos usus dum recipiuntur, calcinantur, ac electuariis cordialibus adhibentur. Præparantur autem optime hoc modo. Primo igniuntur, & in oleo salis aliquoties extinguuntur donec solvantur. Soluti oleo tartari in lactis cremorem coagulantur, lavanturque aqua calida, postmodum usui adhibentur.

*Præparatio Granatorum.*

Quod ad dignitatem attinet Bohemicos omnibus aliis præferrem quod rarissime magni, ac vix pisis maiores inveniantur: & præterea quod illorum color nullo igne auferri, aut minui possit, quod nulli gemmæ coloratæ proprium est. Ita ut hac ratione quodammodo immortalis, & Adamanti, auroque obriso comparandus sit. Novi qui per multos menses in igne detinuerant, variisque modis colorem

*Dignitas Bohemici magnitudo.*

lorem mutare, aut demere tentarant; sed frustra, quod color igni resistat, & in vaporem, aut halitum abire non possit.


## CAP. XXVI.

### *Pretium Granatorum.*

IMperator Rudolphus invictiss. & Dominus meus clementiss. magnos Bohemicos in pretio habet, & merito, cum rarissimi sint, & si quis avellanæ magnitudinem æquet, Rubini veri pretium æquare debeat. Exigui innumeri reperiuntur, sed vilissimi sunt ob copiam, ut Margaritæ parvæ. Orientales, & reliqui, quia maximi, ac satis multi inveniuntur, istos neque dignitate, neque pretio superare debent. Bohemici parvi, & minuti ad libram venduntur, ac pro eorum magnitudine augetur pretium. Maiores foraminibus rotundis examinantur. Nam qui primum foramen, formati, & politi tegere ne id transeant, possunt. Hi si quatuor numero sint thalero venduntur. Qui secundum tegunt unum thalerum valent. Qui tertium tres thaleros valent. Qui quartum 9. Qui quintum 27. Qui sextum 81. Qui octavum quod sub se cyphram 8. habet 364. Nam septimum foramen errore pictoris omissum est in figura, sed eius pretium tabula indicabit. Qui cupit foramina sibi describere, hac ratione fiet. Sumatur Granati thalerum vel coronatum valentis diameter, ac secundum longitudinem quater multiplicetur. Exempli causa diameter sit pisi magnitudine, adiiciantur adhuc tres diametri, ita ut fiat 4. pisorum longitudo,

*Circuli hic descripti foramina sunt.*

tum



8 6 5 4 3 2 4 3 2 1 A

tum singuli diametri à primo, videlicet secundus, tertius, & quartus, dividantur in sex partes æquales, ita erunt sectiones octodecim. Nam primus diameter nullam habet, quia eos qui minus thalero valent, taxare hic nolui, si tamen quis magnitudinem foraminis eorum, quorum quatuor thalerum valeant habere volet, dividat in sex partes primum diametrum. Nam quinque partes diametri constituent diametrum illorum. Primus circulus qui in se notam 1. habet foraminis quantitatem indicat, ex quinque sectionibus primi diametri in linea conflatum. Non secui tamen in partes primum diametrum, sed tantum reliquos tres. Diametros illos quatuor indicant numeri suppositi prope litteram A 1. 2. 3. 4. Sectiones litteris non notantur. Ex singulis sectionibus tanquam diametris, si quis velit, formentur circuli pro foraminibus. Initium diametri est ipsum A punctum, altera extremitas est punctum sectionis.

Primi diametri circulus, seu foramen quod sub se 2. habet, finiens in prima sectione, Granatum ea magnitudine præditum, uno thalero, seu coronato æstimat. Secundus circulus qui sub se 3. habet, ac à secunda sectione ad litteram A extenditur, 3. thaleris æstimat. Tertius sub se habens cyphram 4, qui à tertia sectione ad A litteram extenditur, 9. thaleris æstimat. Quartus sub se habens cyphram 5. thaleris 27. & ita deinceps augendo pretium

tium proportione tripla usque ad septimam sectionem, quæ à sexta sesquialtera differt, & in reliquis observatur. Ita decimatertia sectio, quæ tres diametros exacte continet, Granatum ea magnitudine præditum, 6165. thaleris æstimat: quæ 4. diametros 45666. thaleris. Id observatum est in sesquialtera proportione elicienda, quod dum impar numerus fuit, cuius dimidium accipiendum erat unitatem abiecerim. Licet autem maiorem decima sectione, reperiri Granatum non putem, tamen ad decimam quartam usque sectionem tabulam feci, & sectiones in figura ad decimam nonam sectionem, ubi quartus diameter finitur, produxi: ut intelligat Lector inæstimabilem, aut ingentis pretii esse posse, si ad illam magnitudinem perveniat. Si Margaritæ dum communem mensuram excedunt, inæstimabiles fiunt, propter raritatem, cur Granati isti esse non possint, nescio. Cum hominum opinio, & raritas sola pretium faciat. Ego qui per multos annos in Bohemia habitavi affirmare possum, me nunquam quinta, aut sexta sectione maiorem vidisse, licet magno studio quæsierim.

Tabula

*Tabula Sectionum.*

Ab A littera ad primam sectionem, crassus Bohemicus Granatus valet ut sequitur,

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ab A litera ad | primam | 1 | Thalerū |
| | secundam | 3 | |
| | tertiam | 9 | |
| | quartam | 27 | |
| | quintam | 81 | |
| | sextam | 143 | Thaleros |
| | septimam | 364 | |
| | octavam | 546 | |
| | nonam | 819 | |
| | decimam | 1218 | |
| | undecimam | 1827 | |
| | duodecimam | 2740 | |
| | decimamtertiā | 4115 | |
| | decimā quartam | 6165 | |

Sectionē valet

Iserini Granati dum absque vitio sunt, & colorem gratum habent, ac igne resistentem orientalium pretio æstimantur. Orientales primi generis, & secundi, si exemplares fuerint, id est, figura, colore, ac duritie perfecti, atque 1. ceratium pendent, duobus thaleris æstimari possunt. Si 2. ceratia pendent 4. thaleris, si 3. ceratia 6. si 4. ceratia 8. Duplando ceratiorum numerum usque ad pondus 20. ceratiorum. Inde pondus ad quadragesimum ceratium usque triplicandum, à quo ad 60. quadruplicandum, ac deinde ad 100. quintuplicandum, ut 100. ceratiorum 500. thaleros valeat. Atque postremo ad 200. ceratium sextuplicandum ut 200. ceratiorum, valeat 1200. thaleros. Habenda tamen maxima ratio coloris. Quia enim variant colore, & ita interdum ambigunt, ut prope ad Rubini colorem accedant, possunt periti gemmarii iudicio, vel pluris, vel minoris æstimari. Neque solum ob hanc causam

*Color statuit gemmis pretiū.*

causam inconstans habent pretium, sed quia paucis noti sunt, & à paucis expetuntur, ac interdum copia illorum ad nundinas defertur. Maiores quia rariores sunt, priori regula semper æstimari commode possunt. Orientales tertii generis qui Rubini della rocha Italice vocantur Spinellorum pretio æstimari possunt: cæteris enim Granatis orientalibus præstantiores habentut. *Rubini della rocha.*

## CAP. XXVII.

### *De Almandinis.*

ALmandini ambigunt inter Granatos, & Rubinos, ita ut Rubini nigriore colore tincti videantur. Viliores sunt Rubinis, atque imbecilliores vires habent. Olim Alabandici vocati fuerunt, pretium habent Granati orientalis.

## CAP. XXVIII.

### *De Amandinis.*

HI à *a* Plinio Troëzenii vocantur, variisque coloribus interstinguentibus maculis albis rubent. Paucis hæc gemma nota est, & ob id vix in pretio ullo.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. 7. littera f.*

## CAP. XXIX.

### *De Hyacintho.*

HYacinthi quia ex flavedine rubent, igniſque flammas imitantur ad Carbunculi genera referuntur. Verum non omnes, sed id genus tantum, quod cæteris rubicundius est, sanguinisque bilioſi colo-

colorem ostendit. Hoc genus vix pisi magnitudinem excedere ait Plinius. Ego Hyacinthum maiorem, qui egregia rubedine splendet, omnino à veteribus inter Carbunculi genera numeratum fuisse autumo: nostrates vero aliquos inter Chrysoliti genera à veteribus numeratos fuisse non dubito.

## Cap. XXX.

### *Genera Hyacinthorum.*

Quatuor Hyacinthorum ratione coloris genera statuo. Primo genere continentur qui ignis instar rutilant, ac cocci colorem referunt, minii nativi, aut sanguinis admodum bilioſi instar. Hos *Galli Iacinte la belle* vocant, atque proxime Granati Bohemici colorem referunt, sed dilutiorem absque ulla nigredine intermixta. Hi cæteris omnibus præferuntur, ac ad Carbunculi genera referri possunt. Secundo genere continentur qui rubedine croci flavescunt, planeque vitri è stibio concinnati, aut plumbi cum lateribus, ter in laminam ferri fusi, & vitrificati colorem repræsentant. Tertio genere continentur qui Succini flavi colorem ita exacte ostendunt, ut dignosci à Succino nisi duritie, aut palea (quam non attrahunt) non possint. Talem ego habeo. Hi omnium sunt viliſſimi, neque omnino pellucent, propter atomos, & corpuscula quæ in se continent, ac diaphanitatem impediunt, eosque antiquorum Lyncurios potius, quam Succinum putarem. Vix enim credibile est veteres Succinum molle, igniſque iniuriis obnoxium, pro lapillo, aut gemma habuisse. Quarto genere, qui nihil prorsus rubedinis in se habent, quique albi, pellucidi, Succini colorem referunt, continentur. Hi

omnium

omnium sunt vilissimi. Refert aliud genus Rueus quod fulvum & cæruleum colorem commixtum habeat. Verum id ut à me, ita ab alio nunquam visum fuisse puto. Propterea quod viride sit oportet. Fulvus enim color cæruleo mixtus, perpetuo viridem colorem efficit, ut norunt pictores, qui Indico, & auripigmento, atque quovis flavo, ac cæruleo colore, viridem efficiunt. Si quis in gemmæ corpore distinctos hos duos colores ponat, plures apparebunt; videlicet viridis, rubellus, & purpureus, ut in iride cælesti, & Opalo gemma, quæ rubro, cæruleo, flavoque colore tincta, viridem, & purpureum propter reflectionem ostendit. *a* Plinii Hyacinthus hodie inter Amethisti genera ponitur. Quemadmodum Amethistus veterum, nunc Granati nomen obtinet. Ætas, ac gemmariorum imperitia, gemmarum nomina ita confundit, ut vix aliquid certi hac in re statui possit. *Plinii Hyacinthus.*

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap 9. littera 1.*

## CAP. XXXI.

*Locus natalis, virtus, usus, proprietatet, pretium, ac adulteria Hyacinthorum.*

AD Iseram fluvium in confinibus Silesiæ, & Bohemiæ, torrentemque Georgii prope Hirspergam inveniuntur ignobiliores. Nobiliores enim ab oriente deferuntur, ac in Cananor, Calecut, & Cambaia reperiuntur. Præcipuus usus est ad pestem arcendam, si pro amuleto collo appensus, aut annulo incluſus gestetur. Ad hæc somnum conciliare, virtutes cordis tueri, divitias, honores, ac prudentiam augere, animi alacritatem efficere, ac à fulgure portantem defendere creditur. Primum genus maiori in pretio est. Deinde secundum *Vires.* *Pretium.*

postmodum tertium. Inde quartum vilissimum, nec ipsa cælatura maius, ita ut lapidis pretium cælaturæ non suppleat. Exempli causa, si pro cælatura solvendi sint 2. thaleri vix 4. valeat. Primum genus cælaturæ pretium, octupla proportione excedere potest. Secundum quadrupla. Tertium dupla, vel si quid certius desideres primum genus Granati orientalis duplum pretium habeat, secundum idem, & tertium dimidium. Verum ut in vilioribus gemmis nihil certi statui potest, ita nec hic: nam gemmarii in pretio gemmarum inconstantes sunt, licet aliquid certi pro norma, ut hic facimus, statui possit. Color, puritas, magnitudo, ac forma mutant gemmarum pretia. Hic absolutæ gemmæ non vitiosæ æstimantur. Adulterium Hyacinthus vix meretur. In illius locum aliquando substituitur ex plumbo vitrum, quod à vera gemma pondere, & duritie facile distinguitur, mollius enim, & gravius vera gemma.

*Vitrum plumbi.*

## Cap. XXXII.

### *De Amethisto.*

Amethistus Hebraice *Achlamach*, Chaldaice *enegla* vocatur. Violacei est coloris, qui ex mixtione rubri, & cærulei coloris emanat. Huius differentiæ ratione loci natalis, & coloris distinguuntur. Aliqui enim ut Indici, flavedinem immixtam habent, cuius ratione inter Carbunculi genera referuntur, & Hyacinthis proximi sunt. Aliqui vini suppurpurei colorem habent etiam in India reperti. Alii violaceo quidem colore tincti exacte sunt, sed pauco, ita ut plane transparentes sint, qui ut cæteris molliores, ita etiam viliores sunt, ac in Bohemia. Saxonia, aliisque regionibus ut præcedentes inve-

inveniuntur. Quibus vero in purpura refulget roseus nitor Carbunculi instar, præ cæteris commendantur, tum quod duriores, tum quod in Adamantem ita verti possint, ut fucus à peritissimis gemmariis vix deprehendi possit. Vidi enim Adamantem 18. mil. aureorum emptum, aureoque annulo incluſum cum Amethisto orientali dealbato eiusdem formæ, & magnitudinis, eodemque modo auro insertũ, ita conferri ut à me nulla differentia animadverti potuerit. Hic ducentis thaleris ab Imperatoris aurifabro æstimatus fuit, ob aquas ut vocant Adamanti vero similes, quas hinc inde micans iaciebat. Vertuntur in Adamantem eo modo ut Saphiri, quibus præferuntur, quod non ita albicent, ac genuinum Adamantis splendorem egregie ementiantur.

*Amethisti usti nitor, & pulchritudo.*

*Pretium.*

## CAP. XXXIII.

### *Loci natales, ac pretium.*


REperiuntur in India, Arabia, Armenia, Æthiopia, Galatia, Thaso, ac Cypro, aliisque locis orientalibus, celebriores. In Germania, Bohemia, Misnia circa Wolkenstein, & arcem Hohenstein, quæ miliari distat à Stolpa, civitate Misniæ. Item ad Trebisam prope Misniam, lociſque vicinis pulcherrimi, ac perfecte violacei, etiam candidiores copiose inveniuntur. Verum Crystalli instar molles omnes, ob quam causam minus expetuntur. Orientales, id est, duriores si absque macula sint, & vitio careant omni, optatumque habeant colorem, dum unum ceratium pendent, unum thalerum, aut coronatum valere possunt. Dum duo pendent, duos thaleros, dum tres, quatuor, dum quatuor septem, ita ut differentiæ semper unitate augeantur, ut ta-

bula indicat, ac differentia præcedenti pretio addita sequens pretium constituat. Sic 20. ceratiorum valebit 201. thaleros. Si quis loco thaleri ducatum velit perinde fuerit: modo proportionem tabulæ servet. Nam Gemmarii facile variant istarum gemmarum pretia, quia coloris maximam habent rationem, neglecto pondere.

*Tabula.*

| Ceratia | Pretium | Differentia | Ceratia | Pretium | Differentia | Ceratia | Pretium | Differentia |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 1 | 1 | 9 | 37 | 9 | 17 | 147 | 17 |
| 2 | 2 | 2 | 10 | 46 | 10 | 18 | 164 | 18 |
| 3 | 4 | 3 | 11 | 56 | 11 | 19 | 182 | 19 |
| 4 | 7 | 4 | 12 | 67 | 12 | 20 | 201 | 20 |
| 5 | 11 | 5 | 13 | 79 | 13 | 21 | 221 | 21 |
| 6 | 16 | 6 | 14 | 92 | 14 | 22 | 242 | 22 |
| 7 | 22 | 7 | 15 | 116 | 15 | 23 | 264 | 23 |
| 8 | 29 | 8 | 16 | 131 | 16 | 24 | 287 | 24 |

Bohemici, & Saxonici à magnitudine æstimantur.




Minima figura præditi thalerum, dupla vero superficie 2. thaleros, quadrupla quatuor, octupla octo, & sedecupla 16. thaleros valent. Magnitudo au-

do autem duplæ ſuperficiei habetur, ſi in circulo quadratum æquilaterum fiat, ac ex hypotenuſa aliud quadratum, id enim duplum eſt. Intelligo autem quadrata æquilatera, & rectangula. Quadrupla autem ſuperficiei magnitudo habetur, ſi primi quadrati latus dupletur, ac inde quadratum conſtituatur, aut ſi ex dupli quadrati hypotenuſa, aliud quadratum conſtituatur. Conſtitutis quadratis circuli inde fieri poſſunt, & excavari, ut foraminum loco ſint, ad explorandam gemmæ magnitudinem, nam quæ foramen tranſit minor eſt, quæ non tranſit maior: proximum autem foramen illi per quod tranſit, magnitudinem gemmæ indicat. Verum ut prædictæ gemmæ valorem à me præſcriptum habeant, fere puræ eſſe debent, alias longe viliori pretio æſtimandæ ſunt. Sed raro à vitiis omnibus liberæ inveniuntur. Quæ nubeculas, fiſſuras, plumulas habent, vix mediam ſtatuti pretii ſummam attingunt. Si magnitudo gemmæ trium, quinque 6. 7. aut plurium thalerorum deſideretur: ex Geometria quantitas quærenda. Invenitur autem hac ratione: fiat triangulus orthogonius ex lateribus illorum quadratorum, quorum numeri quæſitum numerum conſtituunt: hypotenuſa enim latus erit quadrati æquilateri, & orthogonii cuius quantitas deſideratur. Exempli cauſa, volo invenire trium thalerorum foramen, aut quadratum. Unum latus trianguli orthogonii erit latus quadrati A. Alterum latus trianguli erit quadrati B. Horum hypotenuſa quadratum conſtituet, eiuſque circulus foramen trium thalerorum. Si quinque thalerorum velim accipio latus quadrati C. & latus quadrati A, ac conſtituo triangulum orthogonium, cuius hypotenuſa conſtituet

quadratum quod quinquies continebit primum, & pro 5. thalerorum pretio inſerviet. Si 10. thalerorum cupiam ex latere D quadrati, ex latere B quadrati, triangulum erigo, cuius hypotenuſa quadratum quæſitum oſtendit.

## Cap. XXXIV.

### *Amethiſti vires, facultates, & uſus.*

PUtatur geſtatus ebrietatem prohibere, idque vini colore, quo præditus eſt, indicari, quaſi illum pro facultatis characteriſmo habeat. Ab hac facultate Græce Amethiſti nomen accepit. Nonnulli umbilico admotum vini vaporem ad ſe trahere, eumque diſcutere, ac proinde ebrietatem, crapulamque arcere ſcribunt. Addunt alii malas cogitationes prohibere, fœlix ingenium, vigilantiam, ac induſtriam efficere, imo geſtantem principum gratiam ſibi facile conciliare.

## Cap. XXXV.

### *Fucus, ſeu adulterium Amethiſti.*

ADulteratur colore violaceo maſtice mixto, ac inter duo vitra, glutinato, aut vitro, eiuſdem coloris inter duas Cryſtalli particulas, poſito. Germanici adulterium non merentur, quod ſatis magna illorum habeatur copia.

## Cap. XXXVI.

### *De Margaritis, & Vnionibus.*

MArgaritæ, & Uniones, ſeu Perlæ etiamſi inter gemmas referri non deberent, quod in terra non naſcantur, ut aliæ omnes, ſed in animalibus, conchis

conchis videlicet. Quia tamen vulgo in maximo pretio, gemmarumque instar habentur, ac ab omnibus ad ornatum, muliebremque mundum, & luxum imprimis, ut olim, ita & nunc expetuntur: Non male me facturum existimavi si post Adamantem, & Carbunculum ipsarum historiam describerem. Solent enim hæ tres gemmæ principatum habere. Margaritæ itaque omnibus notissimæ, Perlæ etiam vocantur, & dum magnæ sunt, Uniones: Arabibus, & Persis *lulu*, Indis *moti*, Malanaribus *mutu*. Lusitanis *Aliofar*, à portu Persiæ *Iulfar* appellantur. Plerumque tamen minores, & qui ad unciam venduntur hoc nomen habent.

*Præcipuæ gẽmæ quæ.*

*Vniones qui sint.*

*Nomina varia.*

## CAP. XXXVII.

### *Margaritarum genera. Quomodo nascantur, ubi, & qua magnitudine.*

MArgaritæ ratione loci natalis, & pulchritudinis tantum discernuntur. Proinde Europæi, quia orientales cæteris sunt pulchriores, eas à domesticis distinguunt.

Nascuntur in conchis. Scribit *a* Plinius certo anni tempore conchas luxuriare, ac maritimum rorem, veluti maritum sitire, cuius desiderio hiant, & cum maxime lunares liquantur aspergines, oscitatione quadam haurire humorem cupitum: sic concipere, gravidasque fieri, ac pro qualitate roris accepti, ac cœli serenitate pulchras fieri. Cœli enim, Solisque maiorem illis esse, quam maris societatem. Turbido cœlo turbidas, ac claro claras fieri, sanosque partus multiplici constare cute. Verum hæc Plinii de earum conceptione, & generatione opinio, veritati mihi consentanea nunquam visa est. Nam ex conchis Margaritas exemi complures, ac

*Plinii error.*

deprehendi in animalis corpore nasci ex eo humore, ex quo testa conchæ excrescit. Humor enim ille testæ adhærens, quia ex terreo, viscoso, ac exacte in minima (ab aqueo animalis humore) resoluto constat, siccessit paulatim, & induratur, ac certo tantum tempore, non semper, ab animali pro testæ fabrica eructatur. Hinc fit conchas multiplici constare cute, dum posterior exiccatur, priusquam nova adiiciatur. Dum humor ille ab animali morboso eructari, & expelli non potest, ac in corpore hæret, detineturque, si ibidem exiccetur; rudimentum, atque initium fit Margaritæ; quæ adiecto sæpius novo humore, eoque exiccato, cute subinde nova augetur, ac in Unionem abit, non secus, quam in fellis vesicula, & urinæ vesica lapides generantur. Quorum materia, quæ per urinam expellitur, dum in corpore vesicæ detinetur, ibidem exiccatur, & in lapidem abit. Hoc modo Bezoar in capris Indicis multis cuticulis generatur. Dignoscuntur facile conchæ, quæ Margaritas proferunt. Cum enim sine tuberculis extrinsecus pulchræ, beneque formatæ sunt, Margaritis carent. Dum tuberosæ, inæquales, ac morbosæ quodammodo sunt, tum Uniones habent. Si Margaritæ concharum partus essent, omne conchilii genus, eodem modo, partus suos efficeret, quod experientia non approbat, multæ enim conchæ sunt eiusdem prorsus formæ, quæ Uniones, aut Perlas non proferunt. Deinde non globosis, & ex orbicularibus cuticulis, sed oblongis pro futuræ conchæ rudimento nascerentur: nisi quis postea dum grandiores Margaritæ factæ sunt findi pro duplici, aut utraque concha asserat. Verum nullæ unquam tales apparuerunt, ac inconveniens est corpus tam durum postea findi. Præterea quæcunque animalium rudimenta primo sunt, mollio-

*Cur Conchæ cutim habeant.*

*Vnionis origo.*

*Bezoar,*

molliora semper, & apta ad fabricam animalis sunt, non dura ut Perlæ etiam munitissimæ, quæ ob id ad omnem figuram, & extensionem ineptæ, & inidoneæ sunt. Falsum enim est quod in aquis molles sint, ac extractæ Corallorum instar duræ evadant.

*Locus ubi ivenian-tur.*

Laudatissimæ in sinu Persico inveniuntur inter Ormus insulam, & Bassoram, nempe circa Baroyn, Catyffa, Iulfa, Camaron, aliaque sinus Persici loca, ex quibus locis in Ormus insulam deferuntur, quæ cæteris præferuntur. Inter promontorium Comorin, & insulam Zeilan quotannis maxima copia invenitur, sed cum Persicis conferendæ non sunt. Taprobana insula hodie Sumatra appellata, inter Iavam maiorem, & Indiam sita Margaritarum etiam feraciissima est, ut & Palane, & Caralco promontorium Indiæ. Sed parvæ sunt, ob quam causam viliores sunt. In insula Borneo, & Aynon grandiores generantur, formæ tamen elegantia à Persicis vincuntur. Occidentales, quia lacteſcunt, ac argenteum splendorem, & superficiei polituram tantam non habent, ut quis exacte speculi instar propriam faciei formam, in ea intueri possit, minus commendatæ sunt. Conchæ quo altius in mari resident, eo minores dicuntur proferre Margaritas. Conchæ læves, & candidæ Indis *Cheripo* vocatæ, è quibus cochlearia, & pocula conficiuntur, præstantissimas Margaritas proferunt. Illæ vero quæ *chanquo*, & matres Perlarum appellantur, nequaquam. Quia tamen intrinsecus pulcherrimæ & lævissimæ sunt, inserviunt mensis, aliisq; rebus ornandis; ob quam causam Bengalam advehuntur, ubi armillæ, aliaque inde fiunt opera. Fuit enim istic mos ne virgines corrumperentur, nisi huiusmodi armillis brachia ornata haberent. In Europa etiam in multis locis inveniuntur, ut in Scotia, Silesia, & Bohemia, ac nonnullæ in Fri-

*Cheripo.*

*Chanquo.*

*Vbi inveniantur Margarita.*

*Ostreæ feraces.*

in Frisia in conchis marinis, ostreisque vulgaribus reperiuntur. Sed minutæ admodum sunt. Apud Vogesum montem Lotharingiæ, & in Voitlandia

*Bohemicæ Margaritæ.*

Perlæ satis elegantes reperiuntur. Verum quæ in Bohemia prope Horasdiovitium, Straconitium, & Rabi arcem colliguntur, mihi cæteris præferri posse videntur. Vidi enim nonnullas, quæ vix ab orientalibus discerni potuerant. Id in illis reprehenditur, quod albiores sint orientalibus, quę argenteum quendam candorem, ut illæ lacteum præ se ferunt. Collegi in prædictis locis aliquot Margaritas præstantissimas, verum ex quingentis conchis, quas aperui, vix decem absque vitio habere potui. Nam maxima pars vel nigrescit, vel flavescit, ita ut ex argilla facta videantur. Deinde eæ conchæ, quæ Margaritas fuscis coloribus præditas proferunt, etiam interiorem testam, eodem colore tinctam habent. Quinetiam & humor, unde diximus testam, quasi lamellis, aut cuticulis invicem superadditis augeri, eodem colore plerunque est: ita ut non dubium sit, quin inde & non ex rore, ut vulgo hactenus creditum fuit, Margaritæ nascantur. Magnæ Margaritæ Uniones vocantur, quod raro sibi æqualem magnitudine habeant. Magnæ circa promontorium Comorin centum frumenti grana pendentes generantur. Sed maximæ prope insulam Burneo, verum non tam elegantes, ita ut 160. grana tritici ponderent. Maior procul dubio Cleopatræ fuit, quam aceto dissolutam devoravit, ut se cænam pretiosiorem Antonio habuisse ostentaret. Hæc enim centies sestertium (id est Budæo computatore) ducentis quinquaginta millibus aureorum æstimata fuit. Ego complures vidi in Corona aurea August. Cæs. Rudolphi secundi D. mei clementiss. quarum præcipua pyri muscatellini magnitudine, ac omni

*Vnionis nomen.*

*Vbi magnæ nascantur.*

*Cleopatræ Vnio.*

*Rudolphi Vniones.*

decoris

decoris ſpecie abſolutiſſima, pendens ceratia triginta, aureorum millibus empta dicebatur. Narrat Budæus in Gallia avellanæ magnitudine tribus aureorum millibus emptam fuiſſe. Verum mihi exiguum pretium videtur, niſi exigua fuerit avellana.

a *Libro 9. Naturalis hiſtoriæ cap. 35. littera f. Plura de Margaritis tradit Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. cap. 4. lib. 2. contra Plinium, ut ibi videre eſt.*

## CAP. XXXVIII.

### *De natura, facultatibus, qualitatibus, & proprietatibus Margaritarum.*

PUtant nonnulli ducem ut apes habere conchas Margaritiferas, ac duce capto facile reliquas, quæ gregatim regem ad paſcua ſequuntur, retiis capi, ut pote, quæ regem comitari, nec ab eo ſeparari volunt.

*Seneſcunt. Margaritæ.*

Margaritæ ſenecta flaveſcunt, verum color dempta cuticula ſuperiori priſtinus redit. Demitur autem ſpiritu vitrioli; verum cautione opus eſt, ne damnum ſentiant: alias pulvere Alabaſtri, Corallii albi, vitrioli albi, & tartari albi reſtituitur illis iuventus. Idem fit ſi columbis devorandæ præbeantur, aut ſi oriza, & ſale dui fricentur, vel ſi in milio contuſo groſſo modo, ſaleque mixto ſepeliantur. Maculæ abolentur rore Maii, qui foliis lactucæ inſidet, ſi per diem illi immorentur, aut eo perlinantur. Exiſtimant nonnullis aqua molles eſſe ut Corallium. Verum ego qui plures ex aquis, & ex ventræ animalis exemi, æque duras, & in aquis, & extra deprehendi. Creſcente luna aliqui Margaritas creſcere, deficiente obſcuras, gibboſas, & tortas evadere ſcri-

*Gratiam reddere Margaritis.*

re scribunt. Verum hæc veritati consentanea non esse ex superioribus facile colligi potest.

*Cor roborant.*

*a* Margaritæ cor, spirituſque vitales roborant; proinde venenis omnibus, pesti, & putredini resistunt, animum exhilarant, cardiacos, & melancholicos affectus, ac syncopen tollunt, cordisque substantiam, ne extabescat, legittime præparatæ, conservant. Phthisicis, marasmo, febreque ardente, aut pestilentiali correptis ob id utilissimæ sunt. Valent præterea contra sanguinis fluxum, omniaque alia alvi profluvia, cerebrum, neruosque roborant, & oculorum lachrymas butyro recenti commixtæ, palpebris superioribus inunctis, aut collyriis additæ, exiccant. Lac muliebre emendant, augentque.

*Ad febres, & phthisin.*

*Ad fluxus oculorum.*

*Lac.*

*Præparatio.*

Præparantur autem hoc modo sordibus expurgatæ aqua rosarum, gariophillorum, violæ matronalis, aut melissæ lotæ lapide Marmoreo, aut Porphirio teruntur, donec lævigentur: idque eo modo fit, quo pictores colores terunt. Metallis fieri id non debet, quia illarum corpori metallicum quid facile adhæret, quod naturæ nostræ inimicum est, & graviſſima symptomata excitare potest, ut quotidiana experientia docet.

*Diamargar. calidi vires.*

Præparatæ ut diximus modo Margaritæ, variis rebus commisceri possunt. Extant apud pharmacopeos duæ ex Margaritis compositiones. Diamargaritum calidum, & diamargaritum frigidum. Calidum virium imbecillitatem firmat iis, quibus animus deficit; sive à corde, sive à stomacho deliquium originem ducat, omnem noxę causam discutit. Insuper asthmaticis, tussientibus, ac tabidis auxiliatur, longo morbo deiectos, & imbecillitate languentes recreat, & ad pristinum robur deducit.

*Diamargar. frigidi vires.*

Diamargaritum frigidum ad virium omnem imbe-

imbecillitatem, quæ à nimio calore, vel cui nimius calor adiunctus est, confert. Proinde in febribus malignis, & pestilentibus eius usus commodissimus est. Syncopen etiam à spirituum resolutione dependentem aufert. Pulvis earum præcedenti modo præparatus, datur à drag. una ad dragmam unam & semis, atque huic aliquando Bezoar, unicornu, cornu cervi, vel os de corde cervi additur, pro affectus diversitate. Hic pulvis ad omnia venena, & animalium morsus nulli comparandus ad manus semper esse deberet R. Perl, præp. Scrup. unum, Bezoardici lapidis grana decem, ossis de corde cervi gran. quinque, cornu cervi gran. quinque. Unicornu gran. decem, Bac. uvæ paridis grana decem. fiat pulvis dandus à scrup. semis ad drag. semis. Si quis in succo citrii mali solvat Perlas, eumque propinet, facilius ad principes partes earum vis deducitur. Commodissime autem aqua Perlata confici potest, quæ ad vires reficiendas, & quasi mortuos resuscitandos, admirabilis est, hac ratione. Solvantur Perlæ in aceto vini fortissimo, aut utilius in succo citri, aut spiritu vitrioli, vel sulphuris, donec in liquorem abeant, adiecto subinde novo succo, ac priori decapulato. Deinde huic solutioni lacteſcenti, & turbidæ adiice sacchari q. s. ad dulcedinem. Si solutionis fuerint unciæ quatuor adde aq. rosarum, fragorum, florum borraginis, melissæ ana unciam unam. aq. Cinnamomi uncias duas. Cum propinare volueris agita aquam, ut sedimentum una ebibi possit. Potest propinari ab uncia semis ad unciam unam, nec quicquam præstantius haberi potest: in febribus malignis, & pestilentibus vulgares aquæ Perlatæ huic comparandæ non sunt. Id tantum observandum est, ut dum solvuntur Perlæ exacte vitrum obtu-

*Pulveris ad omnia venena descriptio.*

*Aqua Perlata.*

*Tabellæ Perlatæ.*

obturetur, ne spiritus earum exhalent. E præcedentis aquæ sedimento tabellæ hac ratione fieri possunt. R. sedimenti à quo per balneum aqua omnis extracta est unciam semis, adde sacchari uncias quatuor, aquæ rosarum, & cinnamomi q. s. fiant tabellæ. Hæ valent ad vires promptissime restituendas, & marcorem senilem emendandum. Aqua extracta ut præcedens, sed paulo maiori dosi ad præcedentia omnia nihilominus utilissima est. Si tabellæ ex pulvere Perlarum præparatarum concinnatæ fuerint, non tam efficaces sunt, quam prædictæ, quia illarum vis non tam facile, quam si in liquorem solvantur, deduci potest. Præparatur etiam ex Perlis aqua, quam quintam essentiam spagyrici appellant. Quæ præcipue valet contra venena, ac vitalem facultatem cordis roborat, ut non facile à veneno affici possit, sanitatem conservat, obstructiones lienis, hepatisque reserat, febres ardentes mitigat, sitim tollit, cor exhilarat, coitum incitat, calculos, & urinam ciet, nervosas partes corroborat, apoplexiam, spasmum, comitialem, & paralysin arcet. Phthisin, marasmum, ac senilem marcorem emendat, Phrenitidem domat, hęmorrhoidum fluxum sedat, cancri ulcerati exesionem impedit, ac quovis morbo etiam contrario correptum roborando, & ad temperiem redigendo quemvis excessum, pristinæ sanitati restituit. Paratur hoc modo R. Margaritas optime lotas, & in pulverem lapide marmoreo tritas, his violæ inditis superfunde menstrui acidi volatilis, vegetabilis, vel mineralis tantum ut duo digiti superemineant liquoris, ac violam bene occlusam, ne spiritus exhalent, cineribus calidis impone, donec Perlæ omnes solvantur. Menstruum deinde, balnei ope, ad siccitatem auferi: calcinatis affunde aqu. distillatam, ac abstrahe

*Q. essentiæ Perlarum vires.*

*Q. essentiæ Perlarum præparatio.*

terna

terna repetitione, ut omnis auferatur acrimonia. Qua ablata superfunde vini spiritum, quem aliquoties cohobando extilla, ut in liquorem oleo similem abeant. Spiritus balneo auferendus, ita in dante remanet oleum. Essentia vero, si per arenam distillaveris cohobando cum spiritu vini, illi miscetur, & alembicum transcendit. Huius aliquot guttæ, cum aqua appropriata, propinantur, ac si spiritum salis, oleum salis, aut vitrioli affuderis, iterum congelatur essentia. Hæc enim bonæ operationis nota est, ex matre Perlarum eadem fieri, quæ ex Perlis possunt, neque minores habent vires, sed prorsus easdem.

a *Margaritæ in tam frequenti usu sunt adversus morbum omnem occultæ malignitatis participem, ut vix ullum compositum sit Alexiterium, quod eas non recipiat: quædam etiam ab iis nomen sortita sunt, veluti nobilissimæ duæ confectiones Diamargaritum calidum, & frigidum, cuius facultates auctor hoc capite satis egregie explicat: quarumque laudes abunde recensent auctores, qui Antidotaria conscripsere, qui hoc loco consulendi sunt.*

## CAP. XXXIX.

### *Valor, & pretium Margaritarum.*

MArgaritarum earum, quæ rotundæ, pyriformes, omnibusque dotibus absolutissimę sunt, pretium difficulter admodum statui potest. Partim quia gemmarii vel augent, vel diminuunt pro libitu, & copia illarum pretium; partim quia pulchritudine, & colore etiamsi elegantissimæ videantur, non parum inter se differunt. Budæus pretium Margaritarum certa quadam proportione constituit,

tuit, verum id ingens admodum est, & nequaquam servandum. Exactius puto hac ratione constitui. Primum unius ceratii, hoc est, quatuor grana pendentis Margaritæ pretium, quod solet esse trium thalerorum, pro norma statuatur. Si vero maius, vel minus sit, applicetur pretium florenorum, vel coronatorum, vel quale quis volet numero ternario, perinde enim est; hacque ratione error committi non poterit, & regula omni monetæ conveniet. Si itaque Margarita pendens ceratium valet tria, & quæras quanti valeat, si quatuor ceratia ponderet duc in se 4, fiunt 16. quæ duc in pretium unius ceratii, nempe 3. habebis 48. pretium Margaritæ. Hæc regula valet pro Margaritis, quæ pendent minus, quam 11. ceratia. Si velis valorem 11. ceratiorum, duc 11. in se habebis 121. quæ duc in 3. pretium unius ceratii addendo illi prius unitatem, ut sint 4. & habebis 484. pretium 11. ceratiorum. Atque hæc regula valet ad quinquagesimum ceratium usque. Si quæras itaque plus pendentium pretium, duc in se cratiorum numerum, ac quotientem in tres thaleros, ita emerget pretium certum Margaritarum, & perpetuum in omnibus regionibus pro iis Margaritis, quæ pondere superant 50. ceratia. Nam quę tantum pondus non habent, quia maiori copia habentur, sæpe illarum pretium mutatur. Si vero mutetur (exempli causa unius ceratii Margarita duos thaleros valeat) etiam omnium ad quinquagesimum usque ceratium pendentium mutari debet. Verum eadem regula, quam supra tradidi, observanda est ad decimum usque ceratium, ac à decimo ad quinquagesimum usque. Quadratus enim ceratiorum numerus cum pretio duorum thalerorum multiplicandus est, ut quotiens ostendat pretium pro iis qui minus, quam undecim ceratia pendent.

Dum

Dum enim plus pendent, quam 10. ceratia, ceratiorum quadratum multiplicatur cum duobus thaleris, adiecta unitate, hoc est cum ternario numero, ut quotiens ostendat pretium.

Hactenus pretia Unionum statui, nunc Margaritarum, quę ceratium non pendent, ac nobilium virginum, ac matronarum pectora, & colla catenarum instar, exornant, pretium statuendum est. Hæ si omnibus modis absolutæ, id est, pulchro colore, absque tuberculis, & rotundæ sint, granumque ponderent, possunt tredecim cruciferis æstimari. Est autem cruciferus $\frac{1}{70}$ thaleri pars. Si duo grana pendent 52. si tria 117. si quatuor, hoc est ceratium, 210. id est tres thaleros. Nam & hic ducitur numerus granorum in se, deinde multiplicatur cum unius grani valore. Si medii grani pondus, addatur excessus posterioris numeri, id est, maioris à minore sumitur, eiusque dimidium minori adiicitur numero, ut pretium satis iustum habeatur. Exempli causa, si quæratur pretium Margaritæ pendentis granum cum dimidio. Quia unius grani pretium est 13. & duorum 52. aufer 13. ab 52. remanent 39. huius accipio dimidiam partem nempe 19. ac addo priori numero 13. fiunt 32. Hoc erit pretium satis iustum, posset quippe aliquid in his accuratius institui, verum necessarium id minime est, cum semigrani ratio vix habeatur, & oculis potius, quam ponderibus pretio à gemmariis examinentur. *Minorum Perlarum pretium.*

Rotundarum Margaritarum, & præcipuarum pretia posui, nunc illæ, quæ rotundę non sunt, etiam æstimandæ veniunt, harum aliquę hemisphęricę, conuexa superficie satis pulchrę sunt, & vel cum tuberculis, vel sine. Quæ absque tuberculis sunt, duplo, triplo, aut quadruplo excedunt aliarum pretium. Solent tamen mercatores eas lusoriis chartis *Hemisphæricæ Perlæ.*

filo affigere, ac commiscere inter se ut æquali pretio diuendi possint, & quod uni deest, altera supplere possit. Harum usus est ad torques, & aureas cathenas exornandas. Si tam magnæ sint, ut octo ceratiorum pendentis Margaritæ foramen æquent, perfectionique nihil desit, 50. thaleris æstimari possunt. Sed reliquæ, & imperfectæ, ut tabula sequens indicat, æstimantur.

*Margaritæ rotundæ foramen si æquet hemisphærica.*

| foramē explens | | valet cruciferos | Granorum | | valent cruciferos | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| unius grani | | | 3 | 11 | | 85 |
| 2 ceratiorū | | | 6 | 12 | | 95 |
| 3 | | | 10 | 13 | | 105 |
| 4 | | | 15 | 14 | | 115 |
| 5 | | | 25 | 15 | | 125 |
| 6 | | | 35 | 16 | | 135 |
| 7 | | | 45 | 17 | | 145 |
| 8 | | | 55 | 18 | | 155 |
| 9 | | | 65 | 19 | | 165 |
| 10 | | | 75 | 20 | | 175 |

Præter has Margaritas, aliquæ perforatæ non sunt, & minimæ, papaveris seminis instar, aut paulo maiores; quæ unciatim ad medicos usus divenduntur, harum uncia medica hoc anno 1604. thalero divenditur. Sunt & aliæ maiores perforatæ, non perfecte rotundæ, quæ ad fimbrias, coronas, vestesque muliebres exornandas usui sunt, quarum pretium pro magnitudine variat. Nam si earum 400. numero unciam ponderent, thaleris 30. æstimari possunt, quæ quo minus vitii habent, eo pretiosiores sunt. Earum omnium pretium ex numero colligi debet ut tabula sequens indicat.

Pen-

| Pendentes unciam unā numero | valent thaleros | Pendentes unciam unā numero | valent thaleros | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 100 | 100 | 900 | 16 | 4500 | 7 |
| 200 | 70 | 1000 | 14 | 5000 | 6 |
| 300 | 50 | 1500 | 13 | 5500 | 5 |
| 400 | 30 | 2000 | 12 | 6000 | 4 |
| 500 | 24 | 2500 | 11 | 6500 | 3 1/2 |
| 600 | 22 | 3000 | 10 | 7000 | 2 1/2 |
| 700 | 20 | 3500 | 9 | 7500 | 2 |
| 800 | 18 | 4000 | 8 | 8000 | 1 1/2 |
| | | | | 9000 | 1 |

Margariræ occidentales, Bohemicæ, Scoticæ, multo viliores sunt orientalibus. Si tamen proximæ illis pulchritudine videntur, satis magno pretio æstimari possunt, præcipue si omni macula careant, nullaque tubercula habeant, ac tantum argenteus ille orientalium splendor illis desit, locoque illius egregium, gratumque candorem, seu albedinem habeant. Huiusmodi hac tabula æstimari possunt.

| Pendentes cerat. | valent thaleros | Pēdentes ceratia | valent thaleros |
|---|---|---|---|
| 1 | 1/4 | 11 | 30 1/4 |
| 2 | 1 | 12 | 36 |
| 3 | 2 1/4 | 13 | 42 1/4 |
| 4 | 4 | 14 | 49 |
| 5 | 6 1/4 | 15 | 56 1/4 |
| 6 | 9 | 16 | 64 |
| 7 | 12 1/4 | 17 | 72 1/4 |
| 8 | 16 | 18 | 81 |
| 9 | 20 1/4 | 19 | 90 1/4 |
| 10 | 25 | 20 | 100 |

Ratio autem tabulæ hæc est: unum ceratium pendens Margarita quarta thaleri parte æstimatur. Deinde aliarum Margaritarum pondus ceratiorum, in se ducitur, ut quotiens ostendat pretium, Quod in thaleros, si quotientis quarta pars accipiatur, re-

ducitur: nam emergunt ex multiplicatione quartæ partes. Sic 20. ceratiorum Margarita valet. 400. quartas, id est centum thaleros. Si Margaritę vix orientalibus distingui ob elegantiam possint, quartę partes pro altera parte thaleri haberi possunt; ita. 20. ceratiorum 200. thaleris æstimari poterit, atque non quarta, sed altera pars, id est, dimidia quotientis ostendet pretium. Quinimo posset quotiens pro thaleris accipi ut 10. ceratiorum. 100. valeret. Hic enim gemmarii oculus, & peritia, ut bene elegantiam examinet, requiritur.


## Cap. XL.

### *Quomodo Margaritæ perforentur.*

QUia non omnibus notus est modus quo pacto[a] Margaritę perforari possint: volui hic eum in lucem proferre. A manubrium sinistra manu tenetur. Dextra manu manubrium arcus B. truditur, & trahitur, ut reciprocus motus pugionis A C. fiat, extrema pars C. acum habet non plane acutam, ut punctum faciat, sed ut lineolam. Acus insidet Margaritę perforandę, Margaritę si exiguę fuerint, asseri ex molli ligno malleolo affiguntur cistę D. ne vacillent, asser undiquaque concluditur asserculis ne aqua Margaritis superfusa defluat. Agitata arcu C acus penetrat, & perforat Margaritam, neque propter aquam exuritur.

a *Quoniam auctor iam modum tradit Margaritarum perforandarum; non absonum erit modum exhibere, quo auro, argentove etiam ea, quæ non perforata sunt optime figi possint, ut hæreant. Aluminis internam partem igni admovebis, eaque gutta, quæ per se purissima, & clara exstillare solet,*

*let, cavam partem inunges, quæque infixeris, solidissime, & ad miraculum inhærebunt.*




## CAP. XLI.

### *Adulteria Margaritarum.*

VIx ob aliam causam tanto in pretio sunt Margaritæ, quam quod non facile adulterari possint. Aurum adulteratur facillime. Gemmæ ex vitris duplicatis concinnatæ, auroque inclusæ ita fallunt oculos, ut gemmarii periti, nisi eas eximant, à veris non discernant. Sola Margarita neque corrigi, neque alieno fuco elegantior reddi potest. Tradit tamen Linschotanus Indos ut Margaritas pulchras reddant oryzam cum sale contundere, ac ea mixtura fortiter illas fricare, ita fieri pulcherrimas Crystalli instar, ac splendorem non amittere. Non mirum itaque cathenas Margaritarum ab heroinis, & fæminis nobilioribus aureis præferri, meliusque divitias ostentare, fastumque facere, quam gemmę, aut aliud quicquam quod adulterio, fucove

obnoxium est. Tradunt varii authores rationes quomodo Margaritæ falsæ fieri possint. Nam nonnulli ex pulvere concharum, alii ex creta orbiculos formant, quos postea argenteis foliis obducunt, ac obductos albumine ovi humectant, ac siccari sinunt, ut Margaritæ videantur. Alii sunt qui ex Margaritarum pulvere concinnant cum albumine ovi, ac postea exiccant, verum pondere, & colore facile mangonium deprehenditur. Baptista à porta hunc modum describit. Margaritæ in sacculum cum Smir. Pumicis, sæpiæ ossis pulvere iniiciantur, & ex aqua manibus tractentur, dum elotas, & politas cognoveris, resiccato, ac in pollinem redigito. Solvantur limonum succo, ac morentur donec solutas noveris, & pingue quoddam olei instar in humoris superficie natare videas, id argenteo cochleari excipe. Postea pulverem in orbes redigito, manibus, vel typis argenteis, ac porci seta perforatas Margaritas oleo inungito, ac è filo pendentes vitro includito, Solique exponito. Dum siccatas videris milii, vel hordei fermento non salito, neque acido involue, ac in furno excoqui finito, aut columbis manducandas præbeto, vel in lacte ficus ebuli, & præstantes habebis. Si aliter placuerit ubi succo, vel forti aqua fuerint dissolutæ Margaritæ, clara lavabis lympha, vel distillata, lotisque manibus, ne tractando sordescant, & palleant, sic lacteo fici succo, cochlearum aqua ferventi balneo distillato, aut ovi albore glutinabis, perforabis, & siccabis, argentea lavando semper aqua, & commiscendo. Aquam argenti sic parabis. Forti aqua solutum fatiscat purgatum argentum, lenibus prunis evolet aqua, tertium relinquendo, mox ab igne vas tractum dimittito, deinde sub dio noctu relinques, donec glaciet, & argentum in Crystallini lapilli specie reperies, rite ablues

*Aqua Argentea quomodo fiat.*

ablues fontis aqua, ut lucidiores conſpiciantur, quos vitreo condes vaſe, ac putri fimo ſolvere ſinas, quo mergas factitios Uniones, & immorari ſinito, & lucidos argenteo colore pellucenti reperies. Hactenus Porta, cuius fucandi modi, etiamſi non plane diſpliceant, non tamen omnino ſatisfaciunt, quia ex pulvere Margaritarum ſolutarum nunquam ita ſolidum corpus, graveque effici, ut ante fuit, poteſt. Perſpectus mihi alius modus qui prorſus naturam imitatur, deinde etiam modus quo pacto augeri poſſint Margaritæ, ſed hęc tanquam arcana in alium locum reſervo.

## CAP. XLII.

### *De Saphiro.*

SAphirus apud omnes fere gentes hoc nomen obtinet. Indis tamen *Nilaa* vocatur, & à loco ubi naſcitur *Podia*. Quam gemmam *a* Plinius Saphirum vocat, Cyanus eſt, ſeu lapis Lazuli. Gemma hæc cæruleo colore, pellucida, & diaphana eſt, ac florum myoſotidis, aut ſcorpioidis colorem refert. In ea nulla rubedo ſubeſſe videtur, quæ in Amethiſto facile obſervatur. Saphiri aliquæ albidæ, aliquæ colore cæruleo ſaturo ſunt: hæ mares, illæ fæmellæ appellantur. Si omni colore careant, albę Saphiri vocantur, ac Adamantibus admodum ſimiles ſunt, eorumque vices ad ornatum ſupplent. Saphiri aliæ orientales, aliæ occidentales, quæ orientalibus ſunt viliores. Inveniuntur in Calecut, Cananor, regno Biſnagar, Zeilan, & præſtantiſſimę in regno Pegu. Occidentales variis in locis reperiuntur. Confinia Bohemię, & Sileſię ſatis prędſtantes ferunt, in quibus locis aliud quoddam genus reperitur, mollius, perſpicuum quidem, ſed lacteo, albove

*Vbi inveniatur.*

bove colore, cui aliquid cærulei immixtum videtur, has Lucoſaphiros vocant. Vitiis Saphirus multis obnoxia eſt, dura tamen ut limam reſpuat, & ſatis incommode cælari poſſit. *b* Color ipſius igne facile aufertur, ut in Adamantem vertatur, non verum quidem, ſed tamen ita elegantem, ut auro incluſa, niſi à perito gemmario dignoſci non poſſit.

*Lucoſaphirus.*

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 9. littera f.*
b *Quem modum docet Alexius Pedemontanus lib. 6. de ſecretis ex Baſilienſi editione in 8. fol. 246.*

## Cap. XLIII.

### *Proprietates, qualitates, & facultates Saphiri.*

QUalitate frigida, & ſicca prædita eſt Saphirus, ut cęterę fere omnes gemmę. His facultatibus in pulverem levem redacta, oculorum humiditates exſiccare, inflammationem arcere, & extinguere, collyriis adhibita, aut butyro loto excepta, palpebriſque oblinitis ſuperioribus, poteſt. Valet etiam pulvis ad omnia alvi profluvia, ad dyſenteriam, fluxum hepaticum, hæmorrhoidum, ſanguiniſque reiectiones, ſi intus ſumatur cum aqua plantaginis, tormentillę, aut alia his affectibus propria. Integra Saphirus fronti adhibita hęmorragiam ſiſtit, ac inflammationibus applicata, eas extinguit. In orbiculum redacta piſi magnitudine, ac perpolita, oculis impoſita, pulveres, culices, & quicquid in oculum cecidit aufert, inflammationem ſedat, veteraque oculorum vitia omnia aufert, & oculos à variolis, & morbillis tutatur. Verum quotidie ſæpius imponi debet; ſi ſæpius quis Saphirum contueatur, oculos ab omni iniuria

*Ad oculi vitia.*

iniuria defendet, ac ita tutabitur, ut nihil illis adversi contingere possit.

Pulvis etiam exhibitus cum lacte, ulcera interna, ac vulnera sanare perhibetur. Ad cordis corroborationem præstantissimus est, proinde corpus vegetum, membraque principalia integra conservat. Pesti etiam, omnique veneno, febribusque malignis omnino adversatur. Cor lætificat, cardiacos, ac melancholicos affectus quosvis lenit, tollitque. Ob hanc causam adhibetur antidoto de gemmis. *Ad cordis affectus.*

Chymici in salem Saphirum redigunt, quem putant longe maiores vires habere. Saphirum enim duplo pondere sulphuris commixtam, in calcem adurunt, quem deinde aqua stillatitia sæpius abluunt, rursusque exiccant, postea spiritu vini perfundunt, ac macerant, tum rursus extillant, quodque in fundo remanet, iterum calcinant, distillantque toties, donec in vino eliquescat, nivis instar, tandem in coquendo sal provenit quod in loco humido in liquorem, & magisterium solvitur. Alii tincturam Saphiri, & essentiam extrahunt, quam putant ad prædictos affectus, præcipue autem ad venena, & pestem, cordisque roborationem esse præstantissimam. Calcinatur Saphirus bis, ac postea oleo vitrioli solvitur, Deinde spiritu vini essentia extrahitur, ut Chymicis peritis notum est. *Sal Saphiri.* *Tinctura, & essentia Saphiri.*

*a* Saphirus gestata ab homine impuro, & intēperante, rebusq; Venereis dedito, sordescit, ac nitorē amittit, ut alię fere omnes gemmæ, quę amissa pulchritudine adulterum, & fornicatorē facile produnt. Dicitur tamen Veneris tentigines gestata prohibere, ac scabiem minuere, carbunculorumq; etiā pestiferorum ortū arcere; imo natos iam anthraces apposita, extinguere, & ne pestiferū halitum ad cor mittant, ipsiusque spiritus inficiant impedire. Tota enim *Saphirus quando sordescat.* *Ad venerē amuletū.* *Ad venena.*

natura putatur venenis resistere, & cor mirifice recreare. idque adeo vehementer ut si vitro parvo includatur aranea, vitrique ori supraponatur Saphirus, illa brevi intereat, verum id à me hactenus expertum non est. Inflammationibus, tumoribus, & inflationibus adhibita, eas, si modo in principio adhibeatur reprimit. Contusionibus etiam statim adhibita, ne inflammentur miraculi instar impedit. Verum contusa pars paulo fortius Saphiro premenda est.

*Ad contusiones.*

*Ad febres.* Si circa cordis arterias pendeat, febrium ardorem non parum mitigat, ac hominem continentem efficere dicitur, sacerdotibus, & ecclesiasticis personis qui castitatem voverunt ob id ad gestandum utilissima censetur. S. Hieronymus in explicatione capitis 19. Prophetæ Esaiæ, portatum Saphirum gratiam apud homines, & principes conciliare, inimicos placare, incantamenta prohibere, carcere detentos liberare, ac irã Dei mitigare, affirmat. Verum existimare gemmam, ac creaturam in creatoris sui, summęque maiestatis mentem, & voluntatem quicquam agere posse nefas existimo; Non flectitur enim lapillis, aut coloribus Deus, sed piorum precibus, quibus sua liberalitate, & bonitate si ardentes fuerint, se flecti velle promisit. Virtutes etiam alię, ac hominum favor divino tantum auxilio, hominisque industria comparantur.

*Ad cordis affectus, & lætitiam.* Fioravantus Italus nobilis empiricus Saphirum ad lętitiam summopere commendat, ac prętera cordis affectus omnes miraculose sanare asserit. Iubet autem Saphirum in tenuissimum pollinem redigi, quem postea aceto forti, & succo limonum solvit, ac solutionis ad prædictos affectus prębet cum essentia vini dragmam unam, adiecto scrupulo olei, vel tincturę extractæ ex melle, ac exigua quanti-

quantitate syrupi violacei. Mihi sequens modus magis probatur. Accipe aceti terebinthinæ uncias quatuor: in iis extingue quatuor, aut plures ducatos vigesies, quo sæpius eo melius, deinde in eo aceto solve Saphiri pulverem, huic solutioni adde spiritus è melissa cum q. essentia vini extracti uncias duas, ac syrupi violacei scrupulum unum, aquęque theriacalis dragmam unam, ac croci scrupulum semis, omnibus commistis, ac per mensem digestis præbe scrupulum unum, non dubito, quin effectum nobilissimi medicamenti, sis admiraturus.

*Oleum Saphiri.*

Oleum Saphiri multi ad prædicta commendant. Sed plerunque ægros decipiunt chymici impostores. Novi enim quendam qui cum magni à Magnatibus fieret hic in Bohemia, multis carissimo pretio proSaphiri oleo, obtruderet chamomillæ oleum, id enim si certo modo distilletur oleum prębet Saphiro omni colore pulchrius, sed neque hoc sincerum chamomillæ oleũ est, sed alterius rei, floribus chamomillæ adiungunt oleum album, seu spiritum terebinthinæ, ac satis magnam portionem salis armoniaci factitii, hanc mixturam vesicæ æneę indunt, huicque aquam communem addunt, deinde extillant aquam, & oleum prorsus vulgari, & communi modo. Aqua extillata, oleum in superficie sua Saphiro colore simile continet; id oleum terebinthinæ est oleo chamomelino iunctũ (nam herba ipsa, aut flores herbę aliquid olei prębent) sed color à sale armoniaco est, qui ex ære exugens colorem eum oleo indidit. Ætate si diu servetur oleum, color is perit, ac postea manifeste odor ipsius terebinthinæ deprehenditur. Quia multi hac ratione decipiuntur, & aliqui chimici tam imperiti sunt, ut putent colorem à chamemelo proficisci,

ciſci, placuit hic impoſturam, & fucum, vel errorem Chymicorum detegere. Qui non credit ſalem armoniacum cæruleum colorem efficere, vaſi æneo imponat adiecta calcis vivæ aqua, ac deprehendet ſe paucis diebus ultramarino ſimilem colorem habere. Solent agirtæ aquam Saphiream, ut vocant, ad oculorum omnia vitia præſtantiſſimam ex dictis ſimplicibus conficere. Primum calcem vivam extinguunt vulgari aqua, quam, ubi reſederit calx, decapulando puram colligunt, ac in ea parum ſalis armoniaci ſolvunt. Id ubi ſolutum exacte fuerit, in prædicta calcis aqua; eam in æneam pelvim coniiciunt, quæ ubi per noctem in pelvi ſteterit Saphiri colorem conquirit, ac in vitro ſepoſita, diaphana eſt, & ad omnia fere oculorum vitia, imo ad ulcera quævis mundanda utiliſſima. Cancrum, ambuſtionem, aliaque multa vitia etiam hæc aqua ſanare perhibetur; oculis aliquot guttæ tantum imponuntur, quia ſi multum ſalis habeat, aut multum ex ære, mordicat. Si parum habuerit plus imponi oculis poteſt. Si multum æris habeat, etiam pelles oculorum aufert, ſi nimis acris fuerit, aqua roſarum, vel fœniculi dilui poteſt.

*Aqua Saphirea ad oculorum vitia, & ulcera.*

a *Rationem, cur qui adulterio ſe contaminant, thorumque legitimum, ac genialem commaculant, tum qui vago, ſordidoque concubitu ſe polluunt, nunquam ſpecioſas, nitidaſque gemmas circumferant, VVolfangus Gabelchoverus in Comm. cap. 7. Andreæ Baccii de gemmis, hanc tradit: contrahunt enim aliquod vitii ex putidis corporibus, quæ virus exhalant, illaſque venenato halitu inficiunt, ut mulieres menſtruo inquinatæ, ſpeculi nitorẽ obfuſcant.*

## CAP. XLIV.

### *Dignitas, & valor Saphiri.*

MAximam olim Saphirum habuisse & gratiam apud Deos, & authoritatem apud Pontifices, Sacerdotes, ac Principes perhibet antiquitas. Cum enim sacra fierent Phœbo, aut ab eo responsa peterentur, creditum fuit, illi magis placere, & ab eo facilius aliquid obtineri posse, si Saphirus tanquam concordiæ signaculum adhiberetur. Scribit Epiphanius visionem quæ Moisi apparuit in monte & legem datam, in Saphiro fuisse expressam. Hac ætate Saphirus post Adamantem, Rubinum, ac Unionem quartum locum obtinet. Ego tamen Opalum legitimam huic omnino præferri debere existimo, ut in ipsius capite paulo fusius ostendam. Propter pulchritudinem Saphirus à multis expetitur, sereni enim cœli, & lucidissimi habet colorem, ac oculos sua venustate mirum in modum recreat.

Saphiri pretium à colore, puritate, ac magnitudine sumitur. Si nihil vitii habeat, & colore sit pleno, aut saturo qui diaphanitatem non impediat, magnitudo index pretii esse solet. Iustius tamen pretium pondere constituitur, quod hic sequi volo, ac ceratiorum pondere pretia statuere. Unum itaque ceratium absoluta Saphirus pendens, 2. thaleros valet. Ut autem habeas aliorum valorem, duc ceratiorum numerum in se, & quotientem in dimidium pretii Saphiri unum ceratium pendentis, & quotiens ostendet quæsitum, ita 10. ceratia pendens valebit 100. thaleros. Viginti pendens 400. Centum vero ceratia pendens 10000. & sic de cæteris. Occidentales viliores sunt.

CAP.

## Cap. XLV.

### *Adulterium Saphiri.*

Solet Saphirus vitro Cæruleo inter duos Bohemicos Adamantes glutinato, egregie adulterari. Alii ex vitro massam cęruleam in igne conflant, eamque expoliri iubent, indurant, & imperitis pro Saphiro venditant. Solet id artificium variis modis perfici. Plerunque in massam vitream ex Crystallo, aut Silicibus paratam, momentum zaphuræ iniicitur, videlicet dragmę duę ad libram unam, ac movetur massa igne candens quam optime, ferreo unco. Deinde exempta particula exploratur, num plus zaphurę, aut massæ addendum sit. Si iusta mensura apparuerit, per sex horas effervescere sinitur. Postea eximitur, ac Saphirum referens massa, perito sculptori sculpenda, ac expolienda traditur. Si rite massa facta fuerit vix à vera Saphiro distingui Pseudosaphirus poterit. Quæ fictitię sunt, plerunque bullulas, seu atomos in corpore habent, qui propter ignem non æqualiter in massam agentem proveniunt.

## Cap. XLVI.

### *De Opalo.*

Opalus gemma est omnium pulcherrima, meoque iudicio omnibus aliis prędferenda, non solum propter summam ipsius elegantiam, dum omnis generis colores, lucis reflectionę, in eadem parte ostentat (Inest enim illi Carbunculi tenuior ignis, Amethisti fulgens purpura, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mistura lucentia) verum etiam, quia ut aliæ gemmę adulterari nulla

*Varii colores in Opalo apparętes.*

nulla ratione potest. Si subieceris enim Crystallo varios colores illi in eodem loco hęrebunt, neque diversos pro radiorum reflectione edent. Apparet in Opalo, cęruleus, purpureus, viridis, flavus, & ruber, interdum niger, & albus, id est, lacteus. Non videntur hi colores omnes inesse gemmę: quia si frangatur Opalus pereunt, ita ut tantum ex reflectione unius, aut duorum colorum oriri, (ut in iride apparet, & in triangulo Crystallino, in quo ex sola lucis reflectione in angulos varii colores sese efferunt) putandum sit.

Olim Pęderos hęc gemma vocata est, à puero, & amore, quod pueri pulcherrimi, & innocentissimi instar omni amore digna sit. Ab hoc nomine forte deductum est nomen illud Germanicum, quo appellatur *ein VVehse*, id est, pupillus, quod nomen pueris tantum convenit. Peritiores tamen gemmarii in quavis lingua Europęa Opali nomen retinent. Nam illi Opali, qui in verorum Opalorum matre absque colore nascuntur, illo nomine solent tantum appellari. Itali *Girasole*, vel *Scambia*, si dum versantur, in oppositа parte lux perpetuo appareat, vocant. *Paderos.* *Girasole.* *Scambia.*

Nascuntur in lapide molli (qui Gummi Benjoini colores non absurde refert,) venis nigris, flavis, vel fuscis distincto, corpus lapidis albescit, flavescit, nigrescit, & interdum iisdem coloribus perspicuum est.

## CAP. XLVII.

### *Genera, & loci natales Opali.*

AB uno lapide Opalifero, interdum omnia Opali genera haberi possunt. Genera quatuor sunt. Primum genus est diaphanum absque opaco aliquo

aliquo corpore intrinseco, ac rubro, viridi, cæruleo, purpureo, flavoque colore iridem imitatur, id præstantissimum est. Alterum nigrum est, ac ex nigredine ignem, ac Carbunculi fulgorem emittit, quod omnino vivum anthracem, seu carbonem refert, visu quam iucundissimum, rarissimum, & pretiosissimum, huiusmodi generis Opalum pisi maioris magnitudine vidi apud amicum meum qui & exiguo Opalo istius generis me donavit. Tertium genus varios colores habet, sed ita in flavescenti, vel flavo corpore, ut quieti videantur, & non exacte ut primi generis, reflectione radiorum oculos pascant. Hi fere omnes ex Hungaria adferuntur, satisque elegantes sunt, quia Unionum colorem, aliarumque gemmarum omnium imitantur. Ad hoc genus referri potest qui lacteo colore Opacus est, quique ex matre Opalorum concinnatus ab Italis *occhio del gatto*, id est, Oculus Cati dicitur. Is à nonnullis Pseudopalus appellatur. Quartum genus Pseudopali nomine insignitum diaphanum est oculis piscium simile, parumque cærulei lactis instar, aut etiam flavi coloris, in se habet, ac luci oppositum, si vertatur in extremo cardine, lucere propter lucis reflectionem videtur. Id proprie *ein VVehse* à Germanis, & ab Italis *Girasole* vocatur. Nonnullis *Astroites*, vel *Asteria* dicitur, quia intus includit lucem stellæ instar deambulantem; quanquam alii duriorem Pseudopalo gemmam, prorsusque candicantem Asteriam esse velint, eamque Solis Oculum vocari, & proprie *Girasole* vocari. Oculus etiam Cati à gemmariis ad Opali genera non refertur; sed peculiaris gemma putatur. De qua paulo post agam, licet commode inter Pseudopali genera numerari posset: similes enim ex matre Opalorum licet molliores eruuntur. Opali primi, & secundi generis raro magni inve-

*Niger Opalus.*

*Variis coloribus Opalus.*

*Oculus Cati. Pseudopalus.*

*Girasole. Astroites.*

*Oculus Solis. Oculus Cati.*

inveniuntur. Nonius senator Romanus primi generis avellanæ magnitudine 20000. aureorum æstimatū habuisse dicitur. Tertii & quarti generis satis magni reperiuntur. Vidi enim quendam variis coloribus perspicuum, & lacteſcentem, nucis iuglandis minoris quantitate, qui 200. thaleris æstimatus fuit.

*Nonii Opalus.*

*Quantitas Opali.*

Omnia Opali genera in India reperiuntur, viliores in Cypro, Ægypto, Arabia, Galatia, Thaso, & Hungaria. In Hungaricis Opaliferis lapidibus interdum, sed raro primum genus invenitur. Secundum genus rarissime. Tertium & quartum frequens est. Verum fodina una tantum esse dicitur, quam nunc ruinis obrutam deseri fama est.

*Vbi nascantur Opali.*

## CAP. XLVIII.

### *Facultates, proprietates, & virtutes Opali.*

ARbitrantur authores omnium aliarum gemmarum vires habere Opalum, quod omnium colores exhibeat. Inest enim illi Carbunculi (ut inquit Plinius) tenuior ignis, Amethisti fulgens purpurea, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mistura lucentia. Cordis itaque spiritus recreat, illud adversus venena, aëriſque contagia, melancholiam, tristitiam, syncopen, cardiacam, aliosque pravos affectus tuetur, Peculiare hoc Opalo ascribitur, quod gestatus oculorum aciem, & nitorem conservet. Mollis est adeo hæc gemma, ut dum expolitur stannum, vel plumbum non ferat, sed tantum terra tripolitana ligneo orbi imposita poliri possit. Qui exactius vires huius gemmæ scire cupit: Rubini, Smaragdi, Amethisti, ac Iaspidis facultates exquirat in propriis capitibus, votiq; compos fiet. Nam putant gemmarii dictarum gemmarum omnium vires in Opalo concurrere.

*Omnium gemmarū vires habēt Opali.*

## Cap. XLIX.

### *Dignitas, & valor Opali.*

OLim apud Romanos in magna existimatione, & pretio fuit Opalus. Constat enim historiis Nonium Rom. Senatorem maluisse patria, & senatoria facultate privari, quam petenti Antonio Opalum quem habebat 20000. sestertiis æstimatum, tradere. Mirum nunc illius pretium decrevisse, cum Margaritas, & omnes alios lapides elegantia, puritate, nitore, & colore superet, neque adeo copiose reperiatur, præsertim primum genus. Primi, & secundi generis Opalos, qui vitio carent, ac rubro, cæruleo, flavo, viridi, purpureoque colore rutilant, Unionum pretio omnino æstimandas iudico. Propterea Lectorem ad Unionum pretia remitto, & unius ceratii Opalum tribus thaleris æstimo. Secundi generis si lacteſcentes varios colores habeant Saphirorum pretio æstimandas iudico, alias si proxime ad primi generis Opalos accedant, duplo, vel triplo, prout sunt elegantes, Saphirorum pretia excedere possunt. Nam hic nihil certi statui potest, cum periti gemmarii oculus, gemmæ decorem, illiusque vitia perpendere debeat. Quarti generis viles sunt, nullaque regula æstimari possunt, cum raro, etiamsi unguis humani magnitudinem æquent, ducati pretium superent.

## Cap. L.

### *Adulterium Opali.*

ADulterari duplici vitro, vel colore, ut aliæ gemmæ Opalus non potest. Scribit tamen *a* à Porta calcem stanni in vitrum Crystallinum excandens

dens iniectum illud obnubilare, & colorare Opali instar. Sed oportet sæpius ex igne eximere, & accommodare, donec quis voti compos fiat. Quercetanus à spiritu nitri alembicum vitreum intrinsecus ita tingi variis coloribus asserit, ut Opalus videatur. Qui modum tingendi scire cupit, legat libellum *b* quem edidit de priscorum Philosophorum vera medicina.

a *Libro* VI. *Magiæ Naturalis cap.* 7.
b *Cap.* 4. *fol.* 26. *in* 80. *Aureliæ Allobrogum.*

## CAP. LI.

### *De Smaragdo.*

INter virentes gemmas nulla præstantior, elegantior, & iucundior Smaragdo, grato enim suo virore oculorum aciem ita demulcet, animumque ita recreat, ut herbarum omnium, viridariorumque amœnitatem longe superet. Pellucidâ est hæc gemma, & diaphana. In colore ipsius nihil neque cærulei ut in Turcoide, neque flavedinis, ut in veterum Topasio, quem nunc Chrysolitum appellant, animadvertitur.

## CAP. LII.

### *Nomina, & genera Smaragdi.*

ANonnullis Prasinus vocatur, item Neronianus. aut Domitianus, teste Epiphanio. Neronem enim, sive Domitianum aiunt oleum in multa vasa infudisse, & intervallo temporis oleum viridem colorem contraxisse, hocque oleo petram copiosius rigatam floridioris coloris evasisse. Alii dicunt Neronem quendam antiquum artificem, & gemma-

*Prasinus.*
*Neronianus.*
*Domitianus.*

rum sculptorem, Smaragdi præcipuum usum invenisse, & gemmam istam ab illo Neronianam dictam, alii vero Domitianam appellari malunt. Hactenus Epiphanius. Persis & Indis vocatur *Pachee*, Arabibus *Zamarrut*, unde Smaragdi nomen deductum est. Serapio & Pandectarius *Tabarget* vocant, sed vitiose.

*Genera Smaragdi duodecim.*

Smaragdi genera *a* à Plinio duodecim recensentur : qui Schiticis summam tribuit authoritatem, quod nulli austeritas, & durities maior, nec minus vitii sit, ac quantum Smaragdi à cæteris gemmis distent tantum Schitici à cæteris Smaragdis. Secundum locum apud ipsum obtinent Bactriani, in commissuris saxorum nati. Tertium Ægyptii, quorum gratia non in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pingui. Reliqua genera in ærariis metallicis inveniuntur, qui duritie, colore, ac perspicuitate à primo genere distinguuntur. Hi à locis ubi olim reperiebantur nomen habebant. Æthiopici acriter quidem virides sunt, sed non puri, aut concolores. Persici non translucidi, visum nihilominus recreant, in umbris refulgent, longius quam cæteri nitent, ac in Sole hebetantur. Medici plurimum viriditatis habent, qui interdum rerum diversarum imagines complectuntur. Attici in argentariis metallis reperti è longinquo speciosiores, minus pingues sunt, iisque senecta evanescit viriditas, ac Sole læduntur. Charcedonii fragiles, colore incerti, ac virentium in caudis pavonum similes sunt plumis. Recensentur & Laconici, Medicis similes, & Siculi. Item Chalcosmaragdus gemma è Cypro turbida æreis venis, & Tanos in Persia reperta sordida, ac ingrate viridis. Smaragdus quem *Colam* vocant in Arabia, ædificiorum ornamentis occludebatur. Hæc Plinii

Sma-

Smaragdorum genera hoc seculo vix discerni possunt.

Hodie Smaragdi in duo genera tantum distinguuntur. Alii enim sunt Orientales, alii Occidentales. Orientales durissimi, virentique iucunditate amœnissima prata repræsentant, solique præ aliis omnibus oculos ubertim explent, & satiant, eorumque aciem iugi intuitu hebetatum reficiunt, ut vel ob hanc causam à sculptoribus libenter tractentur. *Orientales.*

Hi quia neque Soli, neque umbris, seu lucernis cedunt, sed potius virenti fulgore contra nituntur, & irradiant, ut se superari non posse ostentent: deinde etiam quia prorsus translucidi, ac in magno pretio sunt, ad primum genus referri debent. *b* Omnes ex India Orientali ad nos adferuntur, verum in quibus locis reperiantur incertum adhuc, quia fragmenta in loco natali propter illorum pretium nulla à negotiatoribus relinquuntur, Putant multi Iaspidi, vel Prasio innasci Smaragdos, ut Rubinus Balassio. Vidi lapidibus metallicis angulares ita innasci, ut politi, ac impositi, arte, non natura, viderentur. Si huius generis Smaragdi maculis, nubeculis, opacitate, aliisque vitiis obnoxiæ fuerint, multum illorum dignitati decedit. Bonitas cognoscitur si in orbe detentus frigidus appareat, ac in Sole viriditatem servet. *Incertum ubi nascatur Smaragdus.*

Occidentalis in duo genera distingui possunt. In Europæos, & Peruvianos. Peruviani etiamsi iucundissimum habeant virorem, tamen quia absque radiis mortui videntur, ac plerunque hinc inde nubeculis viridibus pleni sunt, nec ut Orientales translucent, & irradiant: deinde quia copiose, satisque magni, neque ita duri ut Orientales reperiuntur, *Occidentales duplices.*

exiguam nunc authoritatem obtinent. Alii ex vicinis regionibus adferuntur prædictis paulo durio-
res: verum qui interdum nigricant, ac noctu pul-
chriores apparent, non plane virides, sed Prassio si-
miliores, è cuius frustis eruuntur. Europæi qui in
Cypro, Britannia, aliisque in locis reperiuntur,
prædictis omnibus ignobiliores, nisi duritiem, &
*Magnitudo.* elegantiam habeant, sunt. Orientales illi præstan-
tissimi, raro nucis avellanæ maioris quantitatem
excedere visi sunt. Occidentales tam magni repe-
riuntur, ut palmæ manus magnitudinem superent.
Europæi raro magni reperiuntur.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. v. littera b.*

b *Hæc verba auctor desumpsit ex Garciæ ab Horto lib. 1. cap. 48. Aromatum, & Simplicium historia, quam opinionem videtur sequi. Verum alia certior, & vera ratio hæc est, quod Smaragdi in Scythis, Bactris, Ægypto, regionibus procul dissitis ab India, in qua Garcias degebat, reperiantur. Qui plura ad Smaragdum pertinentia scire desideret, consulat Raphaëlem Volateranum Comm. Vrbanor. lib. 27. de gemmis. Item Conradum Gesnerum libro de Fossilibus &c. Impress. Tiguri Anno 1565. in 8o. fol. 112. verso, & VVolfangum Gabelchoverum in Andreæ Baccii de Lapidibus, & Gemmis cap. v. qui ibi plura ad medicinam pertinentia tradit.*

## Cap. LIII.

*Vires, facultates, & proprietates Smaragdi.*

SMaragdus ut omnes gemmæ frigidæ, & siccæ est temperaturæ, ob id omnem alvi, sanguinisque fluxum, & præcipue dysenteriam ebibitus sistit, teste Avenzoare, nec refert an à mordaci humore, an

à vene-

à veneno ortum habuerit. Propinantur ad venena, dysenteriam, alvique fluxum, sex grana in pollinem redacta cum aqua aliqua cordiali, ut tormentillæ, acetosæ, nympheæ, vel boraginis. Quibus hauſtis extemplo æger, ſi venenum ſumpſerat, cordis anxietates, animique defectus patitur: quos ſi exceperit ſudor, & ſomnus liberatur 10. horarum ſpatio. Eadem doſi ſumptus, venenatis morſibus, animaliumque puncturis, *a* peſti, febribuſque peſtilentibus medetur.

*Ad venena, fluxus alvi.*

*Ad morſus animaliũ.*

Inter amuleta præcipue commendatur Smaragdus. Nam ſi è puerorum collis pendeat, eos ab Epilepticis paroxyſmis tutari creditur; digitis etiam geſtatus comitialem morbum impedire omnes authores aſſerunt, eamque habere facultatem, ut ſi morbus ita vehemens ſit, ut ſuperari à gemma non poſſit, eam in partes diffringi, itaque vel tollere morbum, vel frangi quaſi pugnando à potentiori devicta. Coxæ mulieris alligatus Smaragdus partum accelerare, ventri appoſitus retinere, ori inditus hæmorrhagiam ſiſtere perhibetur. Ventri adhibitus indubitato dyſenterias omnes, teſte Antonio Guainerio, miraculi inſtar aufert, ac hæmorrhoidum fluxum nimium compeſcit. E collo pendulus inanes timores, ac dæmones arcere, fugareque creditur, ac hemitritæam febrem tollere. Memoriam etiam firmare, ac viſum reficere, & recreare à multis creditur. Communi etiam hominum opinione caſtitatis cuſtos, ac adulterii proditor exiſtimatur, quod venereos actus illegittimos non ferat, ac ſi peragantur in partes diſſiliat. Verum id naturæ (quæ actum legittimum ab illegittimo non diſcernit) adverſari omnino videtur. Agricola ſi pendulus cutim tangat illius, qui actum venereum exercet, diſrumpi exiſtimat. Id ſi in quovis actu, le-

*Ad epilepſiam.*

*Partum accelerat, & retinet.*

*Hæmorrhagiam ſiſtit.*

*Dyſenteriam miraculoſe ſiſtit.*

*Dæmones, & timores fuges.*

*Caſtitatẽ prodit.*

gitimo vel illegitimo contingit, necesse est vel motum, vel halitum seminalem in Smaragdum agere, nisi metaphysica facultas ipsi insideat aliqua, quæ nulla ratione investigari possit. Huiusmodi facultate dæmones arcere, hominum ad secreta invenienda habilem reddere, futurorum cognitionem dare, eloquentem efficere, ac opes augere, credere licet Christiano qui Dei in rebus naturalibus metaphysicas vires, potius admirari, quam intelligere interdum debet.

*Tinctura Smaragdi.*

*b* Ex Smaragdis tinctura ad superius narratos affectus, & morbos utilissima spagyrico artificio elicitur hoc modo. In ferreo vase pulverisatur, ac per linteum traiicitur, huic superfunditur spiritus urinæ, qui aliquid phlegmatis adiunctum habet, ut colorem extrahat; spirituſque iterum distillatione aufertur, ut in fundo remaneat Smaragdi, extractum griseum, è quo tandem spiritu vini color Smaragdi extrahitur. Variis casibus obnoxius est Smaragdus. Facile enim à contactu duriorum gemmarum, ab æstu, igne, chalybe, ære, ab ictibus, & attritu læditur. Id etiam Smaragdo asscribitur, quod speculi instar rerum circunstantium ideas in se recipiat, ac intuentium oculis exhibeat. Neque hoc ignoravit Nero, qui gladiatorum certamina Smaragdo conspexit. Existimo omne diaphanum, si altera ipsius superficies, nigredine, vel materia aliqua exacte lævigata, ut visus radios non recipiat, neque proprius color agnoscatur, idem efficere. Id probant puteorum aquæ, ligna, metalla lævigata, aliaque infinita, quæ omnia circumstantes species referunt. Dum enim radios visivos non recipiunt, ad species oppositas illi reflectuntur.

*Debilitas Smaragdi*

a *Hoc*

a *Hoc unicum addendum existimo, nullum præstantius inveniri remedium in pulsu intercepto, viribusque statim reficiendis Smaragdi pulvere, teste Helidæo Padoano in curationibus, consiliis, & processibus fol. 98. & 229. in quarto, cuius hæc sunt verba.* ℞ *pulveris Smaragdi scrupulum semiss. detur in cochleare vini, & Syrupo de pomis, talis enim pulvis in materiis malignis, & pulsu intercepto, est præstantissimus, & statim vires reficit. Huc pertinet etiam illud, quod Ioannes Crato de pestilentis febris curatione cap. 4. scribit, nempe, Omnes prope Medici post theriacam, & mythridatium, Smaragdum laudant, datur ad grana 6. cum mythridatio. Deinde Hyacinthus ita describitur, quod non solum intra corpus sumptus, sed etiam foris gestatus pesti resistat, &c. Ferunt etiam in virginum defloratione egregias Smaragdos frangi.*

b *Theophrastus Paracelsus tractat. 4. de præparationibus. Magisterium ex Smaragdo confectum (teste Henrico Nollio in Physic. Hermetic. lib.* VIII. *capit.* VI. *section. 3.) peculiariter succurrit epilepsiæ, si per destillationem fuerit præparatum, sanguinisque expuitionem arcet.*

## CAP. LIV.

### *Dignitas, & valor Smaragdi.*

SMaragdi selectissimi semper in magna fuerunt dignitate, existimatione, & pretio, adeo ut olim illis aliquid insculpere vetitum fuerit. Fabulosum etiam quippiam quo maiorem haberent authoritatem, traditum ab antiquis fuit. Nempe Schiticos, hoc est, præclarissimos in metallis aureis nasci,

unde non sine magno discrimine, ac negotio possint conquiri: Gryphis alitibus ferociſſimis in iis nidificantibus, illoſque ab Arimaſpis populis monoculis, qui armati eo auri, & Smaragdorum cupidi accedunt, tentantibus. A quinquaginta annis quo Peruviani ad nos allati ſunt, Orientales viliores facti ſunt. Narrat Aloiſius Mundella Brixienſis medicus à Franciſco Maria Urbinatium Principe duorum ceratiorum pondere Orientalem Smaragdum 113. aureis emptum fuiſſe, ingens ſane pretium, quodque Adamantis eiuſdem ponderis dimidiatum æquat. Orientales perfectiſſimos, omnibuſque modis abſolutiſſimos, iuſte æſtimari quarta parte Adamantis eiuſdem ponderis puto. Si itaque 10. ceratia pendentis Smaragdi pretium ignoretur, in Adamantis tabula pretium 10. ceratiorum quæratur, cuius quarta pars oſtendit pretium. Statuitur ibi pretium 8590. cuius quadrans eſt 2147. pretium Smaragdi quæſiti, nec hic alia regula opus eſt. Linſchotanus, qui iter orientalis Indiæ deſcribit, longe maioris æſtimat, quam Adamantem. Nam Orientalem Smaragdum, qui aſſociari unius ceratii Adamante poteſt, 80. ducatis æſtimat, cum tamen Adamantem tantum 70. æſtimet. Meo tamen iudicio nimis magno æſtimat. Quarta pars pretii Adamantis dum illi magnitudine par eſt, mihi hoc tempore, quo tanta copia Smaragdorum occidentalium habetur, non ſolum ſufficere, ſed excedere videtur, præſertim cum gemmarii complures, præferant Peruvianos Orientalibus quia gratiorem viriditatem habent. Iuſtius itaque duplum pretii Smaragdi occidentalis tantum habeat.

*Pretium orientalis.*

Cap.

## CAP. LV.

### *Adulterium Smaragdi.*

OMnibus fere modis Smaragdi adulterari possunt. Nobilior modus fit Crystallo, vitro, & Silicibus calcinatis, & fusis, si iis exigua quantitas minii adiiciatur. Ita ego præstantes feci. *a* Alii æs ustum in tenuissimum pollinem redactum addunt, adiecta croci ferri dimidiato pondere, ac sex horarum spatio coquunt, ac vas per se refrigerari sinunt, gemmamque polituræ committunt. Si exacte quis operatus fuerit, Americanis omnino similes efficiet Smaragdos.

a *Garcias ab Horto lib. 1. Aromatum, & Simplicium historia cap. 48. scribit, fictitios Smaragdos in Balaguate, & Bisnager ex vitrearum lagenarum crassioribus fragmentis confici (addendum existimo cum Iacobo Dalechampio, si pars Iaspidis viridis addatur) eximii coloris, & insignis magnitudinis.*

## CAP. LVI.

### *De Prasio, Smaragdite, & Chrysoprasio.*

PRasius, Prassius, Italice *Prasma*, Germanice *ein Praesem*. Mater Smaragdi à multis putatur, & non immerito, quod aliquando in eo reperiatur, etiamsi non semper. Nam quæ partes viridiores absque flavedine, & perspicuæ in Prasio reperiuntur, Smaragdi rite appellari possunt, ut illi quorum flavedo aurea est Chrysoprasii. Color istius gemmæ proxime ad porri, vel prasii colorem accedit, unde Prasii nomen obtinuit. Fit prassii color è mixtura flavi, viridisque coloris. Prassius nubeculis perspicuus

ſpicuus eſt, vel totum corpus opaco quadam diaphanitate impeditur. Huic interdum rubri, albi, vel atri quippiam inſidet, quia adnaſcitur Iaſpidi, Cryſtallo, aliiſque gemmis à quibus varia corpuſcula, varioſque colores nanciſcitur. Differentiæ tres ratione coloris hic ſtatui poſſunt. Prima continentur, qui ex acte viridis porri colorem æmulantur. Secunda qui multum flavedinis habent, ac filicis areſcentis fere colorem referunt. Hi ſi aurei ſint ſplendoris Chryſopteri veterum ſunt. Tertia quæ exigua viriditate, maiorique flavedine lacteſcunt. Has tres ſpecies omnes apud me reſervo. Poſtremum genus, quod ſemiperſpicuum eſt, ad nephriticos lapides omnino referri debere exiſtimo, ut ſuo loco docebo.

Praſii non ſolum in India Orientali, & Occidétali, verum in Europa inveniuntur, præcipue in Bohemia, viciniſque regionibus.

## Cap. LVII.

### *Dignitas, & valor Praſii.*

VIlis eſt hæc gemma, quia in magna copia, tantaque mole interdum reperitur, ut inde ſtatuæ fieri poſſint. Ultra cælaturæ pretium vix unquam, niſi ſingularis elegantiæ ſit, æſtimatur. Tertium genus, quod rarius eſt, & ad nephritidem curandam ſingulare, maximo in pretio iis, qui ipſius facultatem norunt, eſt. Praſius quia vilis, non adulteratur.

Cap.

## CAP. LVIII.

### *Vires, facultates, & proprietates Prasii.*

VIres habet Smaragdi, verum minores, hoc proprium illi ascribitur, quod veneno præsente viriditatem amittat, quam non nisi lotus recuperat. *Ad venena.*

## CAP. LIX.

### *De Chrysopraso.*

NOn dubium est, quin veteres omnes gemmas aureum splendorem habentes, Chrysolitos appellarint. Hinc Prasii, Topasii, Berilli aureis radiis fulgentes, Chrysoprasi, Chrysopatii, Chrysoberilli vocati fuerunt. Chrysoprasus itaque Prasius est, aureum splendorem porri viriditate immixtum habens. Grata admodum est aspectui gemma, ac iisdem cum Prasio viribus, ipso tamen nobilior, & amœnior aspectu.

## CAP. LX.

### *De Smaragdoprasio.*

AMbigit hæc gemma inter Prasium, & Smaragdum, unde Germanice nomen obtinuit *Smaraldprasem.* Graminis enim habet virorem, neq; flavedinis quid in eo deprehenditur, si conferatur cum Prasio; si vero cum Smaragdo conferatur, flavescens quædam viriditas, magis in ipso, quam in Smaragdo conspicitur. Raro perspicuus est, nonnunquam tamen; ut plurimum opacam habet diaphanitatem. Ego illum pro Pseudosmaragdo habeo fortassis Chlorites *a* Plinii est. In Bohemia, ac Occidētali India reperiuntur. Duo itaq; illius sunt genera Bohe-

Bohemici, & Americani, illi plerunque opaci sunt, isti vitrioli instar ; cuius colorem exacte referunt semitransparentes. Indi hunc formant columnæ instar, ut maiorem æquet digitum longitudine, minoremque latitudine. Deinde alteram extremitatem reliquo corpori paulo crassiorem faciunt, ut pertusis labiis inseri, ac pendulus prominere ornatus gratia possit. Hac enim ratione Principes se ab aliis distinguunt, ac viliores huiusmodi ornatu indignos arbitrantur. Quidam affinis meus, mihi frustulum istius lapidis dono dedit, qui eundem magni faciebat, ac Nephriticum verum lapidem esse asserebat, cui opinioni non repugno, quod eius multa sint genera, ac omnia colore plurimum inter se differentia, ut loco explicabo. Ut Bohemicum Smaraldoprasum, vel Pseudosmaragdum appellavi, ita hunc optime Smaragditem appellari posse existimo.

*Ab Indis gestatur.*

*Nephriticus lapis.*

*Smaragdites.*

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera a a.*

## Cap. LXI.

### *Vis, facultas, dignitas, & valor Smaraldoprasii.*

Vrinam brachio applicatus ciere, proinde arenulas pellere, calculi generationem prohibere, nephriticos, ac arthriticos dolores compescere, & è collo suspensus ne oriantur vetare, puerorum etiam terriculamenta impedire, omnesque Smaragdi vires, sed imbecilliores habere, creditur. Paucis nota est hæc gemma, hinc fit nondum esse in pretio.

*Ad calculum, & nephritidem.*

Cap.

## CAP. LXII.

### *De Topasio veterum, ac Chrysopatio, qui hodie Chrysolitus appellatur.*

TOpasius veterum, viridis fuit gemma, ac diaphana: si aureo quodam fulgore splendebat Chrysopatius appellatur. Nunc utraque à Gemmariis Chrysoliti nomen obtinet. Topasius, seu Chrysolitus vulgaris Smaragdo est colore dilutior, cui nonnihil flavedinis adiectum videtur. Huic dum viror aureus est Chrysopatii nomen tribuitur, & mater Smaragdi putatur. *a* Plinius multa de Chrysopatiis, Chrysolitis, & Chrysoprasis tradit, sed omnes istas gemmas ita confundit, ut nihil inde certi colligi possit. Chrysopatius non absurde hodie à Gemmariis Chrysolitus appellari potest, quod revera aureus color per viridem in illo fulgeat. Qui si noctu igne admoto vehementer splendeat *b* Chrysolampis Plinii est. A nonnullis hæc gemma cum Chrysoprasio confunditur, quia parum inter se differunt. Topasius, teste *c* Plinio, à Iuba Mauritaniæ rege qui eam in insula Chiti Arabiæ, marisque rubri primum invenit, nomen accepit. Reperitur authoritate Plinii in lapidicinis Alabastri, & prope Thebas Ægypti.

*Chrysolampis.*

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* 8. *littera b. c. d. & cap.* XI. *littera k.*

b *Chrysolampis est Chrysolithi genus, Chrysopasion vocant Isidorus, & Marbodæus: Chrysopagion Albertus Magnus: Chrysopsin quidam. Dicitur autem Chrysolampis* ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, καὶ λάμπω, *id est, ab auro, & splendeo. Ab hac gemma sumptum est adagium* ἐν νυκτὶ λαμπούσης, ἐν φάει δ' ἀνωφέλης, *id est,*

*est, in nocte lucens, luce vero inutilis. De præposteris qui sapiunt ubi nihil est opus, cum opus est dormiunt. D. Erasmus magis arbitratur competere in eum, qui inter indoctos videatur aliquid esse in litteris, inter eruditos nihil sapiat: & posse inverti proverbium* ἐν φάει λαμπρὸς, ἐν νυκτὶ δ' ἀνωφελής. *Chrysolampis etiam fuit in tabula illa aurea inæstimabili inter alias quoque gemmas longe pretiosissimas, quam nobilis illa matrona Hildegardis olim Theodorici Comitis Hollandiæ uxor D. Adelberto tutelari Egmondensium præsidi dono dedit, qui nocturnis temporibus ita totum hinc inde illustravit sacrarium, ut ad preces horarias noctu intempesta lectas vice lychnorum perdui haberetur.*

c *Hallucinari videtur Auctor, aliam enim rationem, & mentem verborum Plinii, statuendam crediderim, cum ætymologiam nominis Topazii aliam faciat. Eius verba hæc sunt libro 37. Naturalis historiæ cap. 8. Iuba Topazon insulam in rubro mari à continente stadiis 300. abesse tradit, nebulosam, & ideo sæpe quæsitam navigantibus, ex ea causa nomen accepisse. Topazin Troglodytarum lingua significationem habere quærendi. Ex quibus verbis Plinii manifeste constat nomen non sortitum à Iuba Mauritaniæ rege, sed ab insula ubi fuit inventa. Quod vero Plinius putet Topazin Troglodytarum lingua habere significationem quærendi, hoc de suo Plinium addidisse testatur* v. Cl. *Claudius Salmasius in Plinianis exercitationibus in Caii Iulii solini polyhistora fol.* 1084. *cum* τοπάζειν *in significatione quærendi mere Græcum sit, nam coniectura, aliquid colligere, & indagare significat. Nec enim de Troglodytis ipsis accipiendum, qui insulam incolebant, patria sua illis quæsita non fuit, nec ignota, sed à navigantibus vel Græcis, vel Ægyptiis nomen imposi-*

*impositum fuisse: Troglodytarum vero provinciæ nomen non sumptum (ut quidam existimant à Troglodytiæ amne Arsinoen præterfluente) sed ἀπὸ τ πρώλης, hoc est à specu, quod in specubus, & Cavernis degant. Quod idem nobiscum sentit idem. V.Cl. Claudius Salmasius libro iam citato fol.1267. Cuius hæc sunt verba. Et sane πρωλίτας, & πρωλοδύτας eadem ratione appellare fecit, quod cavos, & specus subirent. Ab eadem causa & πρωλίπης genus passeris, qui & πρωλοδύπης potest recte dici, quod cavis, & rimis turrium, ac murorum sese inlatebret, & in his nidum congerat.*

## CAP. LXIII.

*Natura, vires, & facultates Topasii veterum, seu Chrysolithi Gemmariorum, & Chrysopatii.*

TOpasius limam sentit, ac in tantam molem interdum excrescit, ut statuæ inde fiant. Scribit enim Iuba, Arsinoë Ptolemæi Philadelphi uxori statuam cubitorum quatuor fuisse, ex Topasio in delubro sacratam. Sanguinis eruptiones sistere, vulnerique admotus extemplo fluentem compescere, bilem, iramque, ac phrenitidem mitigare, si pro amuleto gestetur, perhibetur. Nocturnos etiam timores, & puerorum terriculamenta, ac lunaticos paroxismos arcere creditur. In mensa positus Chrysopasius (quem à Chrysopraso differre non puto) præsente veneno traditur colorem amittere, eoque semoto iterum recipere. Sed huiusmodi vanas, & præter rationem omnem, de gemmarum viribus opiniones, experientia rerum omnium magistra refutat. Potus Chrysopatius comitialem curat perfecte, teste *a* Cardano. *Ad sanguinis profluvia, & phrenitidem.* *Ad comitia.*

a *Auctor hic mentem Cardani non recte percepisse videtur. Quum Cardanus lib. VII. de subtilitate Chrysopatium potum non Comitialem morbum (ut Auctor habet) perfecte curare, sed melancholicis auxilio esse testetur, cuius hæc sunt verba. Expertus tamen sum quindecim illius grana, auxilio præsenti melancholicis esse.*

## Cap. LXIV.

*Valor, dignitasque Topasii, seu Chrysolithi vulgaris.*

NOn magnam habet authoritatem hæc gemma, neque cælaturæ pretium excedit. Causa est quantitas, & magnitudo, quæ illam vilem efficit. Chrysopatii tamen si egregie aureis radiis splendeant paulo nobiliores sunt.

## Cap. LXV.

*De veterum Chrysolitho, Chryselectro, & Melichryso, seu vulgari Topasio.*

HOc tempore gemmariorum Topasii, gemmæ sunt aurei coloris, & omni dubio procul, inter veterum Chrysolithos numerandi. Fortassis à Plinio Chryselectri, aut Melichrysi appellantur. Nam Chrysolithi nomen tanquam genus omnibus gemmis, quæ aureum habent colorẽ, applicat. Color illius nullo alio colore intermixtus est, & aquam reubarbaro, vel croco tinctam refert. Duo ipsius sunt genera Orientalis, & Europæus. Orientales illi habentur, qui purissimi auri instar rutilant. Hi omnibus gemmis, Adamante excepto, duriores, aliquando ita tincti sunt, ut nimium croci in illis appareat. Nonnunquam tamen dilutiores, quam conveniat, sunt, imo interdum Adamantum aquas habent

habent absque aliquo colore, quos propterea referunt. Qui medio modo se habent cæteris nobiliores, & præstantiores habentur. Europæi Chrystalli instar molles, cum aureo colore, vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli tam parum flavedinis habent, ut nisi nigredine à Chrystallis distinguerentur, ab iis discerni non possent. Inveniuntur in Bohemia passim. Dum aureo colore, eoque puro splendent, ab Orientalibus, nisi duritie distingui possunt, tam sunt elegantes. Orientales in Æthiopia, & Arabia inveniuntur. Præstantiores in India, & Bactriana. Reperiuntur aliquando permagni Topasii, & qui 12. pondo ponderent. Vidi Bohemicum duarum ulnarum longitudine, & fere semiulnæ latitudine, qui Rudolpho secundo Cæsari invictissimo, & Domino meo clementissimo dono datus fuit.

## CAP. LXVI.

### *Natura, vires, & facultates Topasii vulgaris, seu Chrysolithi veterum.*

NAturæ Solaris, cuius speciem aliquo modo refert hæc gemma aureo suo colore, est. Proinde ut aurum, ac Sol vitalis facultatis fomentum est; ita Chrysolithus, timores enim nocturnos, & melancholiam minuere, atque depellere, intellectum confortare, molestisque insomniis adversari, dæmones terrere, & fugare, pusillanimitatem, stultitiamque auferre, sapientiam, animique constantiam promovere, ac à fascinationibus ferentem tueri, brachio sinistro alligatus, aut è collo suspensus, auroque incluſus, creditur. Refert Cardanus in libro de admirandis curationibus mira de Chrysolithi viribus his verbis. Cæsarem Palavicinum, *Ad melancholiam.*

aliumque nobilem ex oppido Gallerati, melancholia, & comitiali morbo alternatim (quorum unus iam quindecim diebus cum febre, Palavicinus, alter iam sex mensibus, sed sine febre, verum cum clamoribus) laborantes, & frustra à medicis vexatos, somniferis lotionibus capitis, solo potu pulveris Chrysolithi ex vino, in octo dierum spatio, sic liberavi, ut nunquam morbus redierit. Præter dictas facultates, sanguinem vulneribus applicatus sistit, ac libidinis œstrum compescit. Chrysolithus tritus, & potatus asthmatis, & orthopneæ paroxismos mitigat. Has vires omnes, multi non huic Chrysolitho, sed præcedenti gemmæ, nempe illi gemmæ, quæ nunc Chrysolithus appellatur, & è viridi colore aureus est, attribuunt. Frigidæ, & siccæ naturæ est, ut omnes gemmæ. Hoc peculiare habet, quod sub lingua detentus sitim febrientium extinguat.

*Ad comitialem.*

*Ad sanguinis profluvia.*

## Cap. LXVII.

### *Topasii vulgaris, seu Chrysolithi veterum dignitas, & valor.*

ORientales Topasii vulgares si purissimi auri instar rutilent, & absq; vitio sint, quia aspectui admodum grati sunt, à nonnullis expetuntur ad ornamenta pileorum, statuarũ, ac reliquiarum in ecclesiis. Qui ceratium pendent duobus thaleris æstimandi sunt. Qui 2. ceratia, quatuor thaleris, qui 3. 9. thaleris. Inde ut aliorum pretia sciantur, ceratiorum numerus ducatur in se, & quotiens ostendet pretium quæsitum. Sic 4. ceratiorum valebit 16. thaleros, & 10. ceratiorum 100. thaleros. Hæc regula ad 20. ceratia tantum valere potest. Nam ulterius vilius sunt æstimandi, propter magnitudinem quam aliquando attingunt. Propter summam duri-

duritiem quam habent uruntur ut Saphiri, ac tum veros Adamantes melius æmulantur, quam alia gemma. Vidi vix 10. ceratia pendentem 200. thaleris venditum. Ita enim exacte annulo incluſus Adamantem referebat, ut vix à perito gemmario differentia cognoſci potuerit.

Topaſii Bohemici Orientalibus ſimiles eadem regula taxari poſſunt. Si tamen quotientis quartam partem accipiat pro Bohemici valore. Reliqui qui nigricant, & fortaſſis pro veterum Obſidiana gemma haberi poſſunt, aut parum aurei coloris habent, his viliores ſunt, nec commode æſtimari poſſunt. Si quis regulam viliorem velit ſumat octavam partem pretii dicti.

## CAP. LXVIII.

### *Adulterium Topaſii.*

TOpaſii aurei coloris ob elegantiam adulterantur omnibus modis, quibus aliæ gemmæ adulterari ſolent. Præſtantior modus eſt dum in Cryſtallo, Silicibus, & vitro fuſo aureus color conciliatur, id fit ſi ad ſingulas vitri libras quarta unciæ pars ferrei croci remiſceatur, atque tantillum minii addatur. Sed primum addendum minium poſt crocus, teſte *a* Baptiſta à Porta. Si Cryſtallo calcinato triplum plumbi addatur Topaſius abſque aliqua adiectione emergit, ſi per diem in fornace moretur. Aliter ſic conficies; fac pollinem ex ære uſto, cinnabari nativo, ac Cryſtallo, quadruplumque ſtanni uſti adde, fuſorioque vaſi ex terra fortiſſimo inde, fornacique committe per diem. Sed ignis vehemens non ſit, ac ſemper eodem gradu permaneat, facile enim fluit pulvis prædictus.

*Præſtans modus.*

*Alius modus.*

a *Libro 6. Magiæ Naturalis cap.* v.

## Cap. LXIX.

### *De Berillo.*

*Aquamarina.*

Berillus gemma est quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum. Italis à colore *Aquamarina* vocatur, Hebraice *Iaschpech* vocatur: unde nonnulli putant Iaspidis nomen deductum. Dum Berilli aureos radios habent, aut ex auro scintillant, Chrysoberilli appellantur, quos aliqui ad Chrysopraſos referunt. Transparent Berilli omnes, & dilutum habent colorem, si enim colore saturo sint, pro aliis vulgo gemmis habentur. Eius colorem refert aqua si exigua quantitate Indici, ac decima parte viridis coloris adiecta, tingatur. Est autem Indicum color quo pictores sæpe utuntur. Sculpuntur Berilli pluribus angulis ut illorum repercussu vivaciores fiant, magisque fulgeant.

*Chrysoberillus.*
*Chrysopraſus.*

## Cap. LXX.

### *Genera, & loci natales.*

a Plinio authore multa Berillorum sunt genera. Probatissimi viriditatem puri maris imitantur. Proximi his sunt Chrysoberilli paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic est pallidius, vocatur Chrysopraſus. Quarto loco Hyacinthizontes colore Hyacinthi. Quinto Æroides viridiores qui ab ære nomen habent. Post hos Cerini, ceræ, & Oleagini oleo, ac tandem Crystallis nonnulli similes. Sub istis generibus non dubito quin multæ aliæ gemmæ, quæ nunc ad alias referuntur, contineantur. Nam videtur Berilli nomen commune fuisse, ac fere omnes eas gemmas quæ Crystalli instar diluto aliquo colore tin-

*Chrysoberillus. Chrysopraſus. Hyacinthizontes. Æroides. Cerini. Berillus veterum multas gẽmas cõprehendebat.*

re tinctæ fuerunt sub se comprehendisse. Nam quos nunc Citrinos, Topasios, Lucosaphiros vocant, ut & Hyacinthi quædam genera, non est dubium quin inter Berillos numerata fuerint. Itali etiam hodie Crystallos qui angulorum multiplici reflexu aliquos colores in se habere videntur, Berillos vocitant. Reliquarum nationum gemmarii illos tantum qui marinæ aquæ colorem, vel dilutum, vel exacte referunt, Berillos vocare solent. Nascuntur Berilli ad radices Tauri montis in Eufratis littore, ac in India, dilutioris coloris, & qui Crystallis similes sunt, in variis regionibus, ut in Germania, & Bohemia.

*Locus ubi nascatur Berillus.*

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* v. *littera* 1.

## CAP. LXXI.

### *Facultates, & vires Berilli.*

GEmmarii Berillum gestatum contra hostium pericula, vitia hepatis, suspiria, eructationes valere, ac oris morbos, faciei, gulæ, & paristhmia prohibere, credunt. Illius ex aqua dilutum oculos humidos sanare perhibetur. Ad vulnera oculorum etiam aliqui celebrant, sive illa pupillæ, sive alteri parti inflicta fuerint. *a* Reducitur Berillus contusus, & tritus in pollinem exactissime, ut impalpabilis sit. Deinde lentis quantitate pulvis quotidie mane supino iacente ægro, in oculum donec sanetur, infunditur, ac præcipitur ut æger immotus aliquandiu supinus permaneat. Si pupilla vulnerata fuerit etsi commode sanari non possit, tamen ita emendatur, ut oculus deformis non fiat. Si læsio extra pupillam fuerit, præclare sanat Berillus, quemadmodum etiam omnes oculorum con-

*Ad oculorũ vitia.*

tusiones quacunque re factæ fuerint. Suaderem ad contusiones, & sugillata ut infusio fieret aqua verbasci: si adiuncta esset inflammatio aqua rosarum, plantaginis, eufrasiæ, vel simili. Si vulnus esset, aqua bethonicæ, tormentillæ, vel plantaginis. Magi putant contra segnitiem hanc gemmam pollere, ingenio prodesse, & coniugatos invicem conciliare.

a *Idem Psellus de lapidum virtutibus (cap. 4. huius libri citatus) testatur Berillum curare convulsiones, oculorum dolores, & icterum.*

## Cap. LXXII.


### *Dignitas, valor, & adulterium Berilli.*

Berilli non sunt in maiori authoritate quam Topasii Oriētales, olim Chrysolithi appellati; proinde eodem pretio æstimari possunt, pro coloris tamen elegantia augetur, vel minuitur pretium, idque in omnibus gemmis servandum est. Adulteratur Berillus iis modis quibus aliæ gemmæ omnes. Nobilior modus est dum æs ustum in tenuissimum pollinem redigitur, ut omnem tactum effugiat, ac Crystallino vitro, aut Crystallo calcinato, vitroque illi adiecto miscetur, ac fornaci committitur, æris una dragma pro vitreæ massæ libra sufficit.


Cap.

## CAP. LXXIII.

### *De Cryſtallo, & Pſeudoadamante.*







CRystallus notissima gemma, si nomen gemmæ meretur, transparens est, ac aquam in glaciem congelatam, unde nomen habet, omnino refert, nomen deducitur à κρύος, id est, gelu, & στέμω, id est,

est, contraho. Molliſſima eſt omnium gemmarum. Dum coloratur non iam pro Cryſtallo amplius, ſed pro alia gemma habetur; quanquam in vere gemmæ locum ſubſtitui non poſſit. Si enim Berillum referat, Pſeudoberillus, ſi Topaſium Pſedotopaſius, ſi Saphirum Pſeudoſaphirus, ſi Smaragdum Pſeudoſmaragdus, & ab illa gemma, cuius ſimilitudinem refert, appellatur. Tales autem in Bohemia, & vicinis locis complures reperiuntur, qui omnes ſola duritie à veris gemmis diſtinguuntur; molles hi enim omnes Cryſtalli inſtar ſunt, & pro Cryſtallis haberentur, niſi coloris elegantia gemmariis, ut aliud nomen illis darent, ſuaderet. Naſcuntur Cryſtalli plerunque hexagoni. Nam qui rotundi, aut globoſi, ut Silices, reperiuntur: illi duriores Cryſtallis ſunt, & pro Pſeudoadamante habendi ſunt. Tales ſunt Arnhemii prope Arnhemum Geldriæ oppidum, Clabequii prope Bruxellam, Gallici, Bohemici, & Sileſiaci. Hi enim aliquando tam duri ſunt, tantaque elegantia micant, ut vix ab Orientalibus diſtinguantur. *a* Tincturam tamen quam verus Adamas admittit, non recipiunt, Deinde igne, & ſenecta corrumpuntur, quod Adamanti non accidit. Horum mentio in capite de Adamante facta eſt. Gemma etiam illa quæ Iris appellatur, quod omnes colores iridis, ſi quis fronti applicatam intueatur, conſpicuos faciat, ſpecies Cryſtalli eſt, quæ partim ob iuſtam angulorum reflexionem huiuſmodi colores, ut vapores iridem, partim quia minus pellucet Cryſtallo, offert. Hæc ſi ſubcitrina, fuerit ab Italis & Gallis *Citrino* vocatur, ac præſtantior communi Cryſtallo habetur.

*Falſæ gemmæ quæ dicantur. Bohemiæ gemmæ fere omnes Cryſtalli ſunt. Pſeudoadamantes.*

*Arnhemii. Clabequii. Bohemici,*

*Iris.*

*Citrinus.*

Putant *b* nonnulli aquam eſſe materiam Cryſtalli, ac glaciem diu in frigidiſſimis montibus ſervatam tandem in Cryſtallum converti: verum omnino

*An aqua ſit materia Cryſtalli.*

no falluntur, ut in tertio Tomo symbolorum Principum (ubi symbolum Ludovici Gonzagæ, *ex glacie Crystallus evasit*, explicatur) notavi. Nunquam enim aqua in Crystallum mutari potest, absque tamen aqua non generatur. Solvi enim terræ tenuissima portio ab aqua debet, aut illi aliunde missa commisceri, quæ recedente aqua tum primum in Crystallum concrescit. Si Crystallus ex aqua congelata constaret, igne solveretur, (quæ enim frigore concrescunt calore solvuntur) ac aqueæ partes igne consumerentur, quod non fit experienti. Igne enim crematus calcem, seu terram, & sal, cuius spiritus beneficio coagulatus fuit, ostendit. Hæc fusius ante, ubi de causis concretionis gemmarum egi, explicantur.

*Cur Crystallus hexagonus nascatur.*

Nascuntur plerunque Crystalli forma hexagona in mucronem desinente, quia terrestris subtilis materia se separans ab aqua nititur se unire, ac omnibus modis singulæ particulæ, centrum corpôris sui ambiunt, & appetunt. Quod cum fit vel circularem, vel hexagonam figuram faciant oportet, nulla enim alia à circulo perfectior videtur. Circularis figura fit dum materiæ partes sunt prorsus uniusmodi; qualis in iis qui proximi sunt Adamantibus, quos duriores dixi, conspicitur: hexagona, cum partes nonnullæ ipsius mixti, reliquis sunt vel subtiliores, vel magis aëreæ, aut alia ratione differunt; hæ enim à reliquis circa angulos pelluntur, vel ipse non tam cito, quam aliæ centro se unire cupiunt: hacque ratione concrescente materia, hexagona figura circulo quam proxima, aliisque omnibus angularibus perfectior, efficitur. Si statueretur, omnes particulas eiusdem naturæ temperamenti, & qualitatis esse, sphæricam figuram habere deberet omnis Crystallus, omnibus ad centrum æquali vi tendentibus,

*Causa hexagonæ figuræ.*

bus, aut absque ratione nobis manifesta, figuram certam illi à natura, & Deo datam esse hexagonam statuere oporteret, ut in multis rebus contingit. Nam neque cur homo, aliudve animal suam formam extrinsecam, neque cur flores, & frondes certam perpetuo habeant unquam ingenium humanum perscrutari potest. Quod admirari hæc natura non vero intelligi velit. Invenitur Crystallus variis in locis etiam in Europa. Circa Pisas reperitur in quodam torrente qui ex monte Magno fluit. In Verruca etiam monte propinquo foditur. Saxis adhæret conglobatus, ut difficulter avelli possit. In Alpium iugis, Germania, Bohemia, Hungaria, Cypro, & Lusitania frequens est, ubi ingentis ponderis interdum invenitur. Sæpe in agris ut prope Tsaltoniam Bohemiæ, & Coutebergam. Multa vitia Crystallo innasci solent, ut sales, festucæ, nebulæ, atomi, rubigo, & ferrugini quid simile. Dum plane perspicui sunt Crystalli montani nomen illis tribuitur. Crystallus obscurior, aut nigrior aqua perspicuus, & qui à nonnullis Iris appellatur, eo loci ubi Crystalli reperiuntur, inveniri interdum solet. Qui in agro Pisano inveniuntur, ac raro digiti magnitudinem excedunt Iridis colores angulorum repercussu imitantur. Ob quam causam à gemmariis Adamantum instar scalpuntur, ac Berilli nomine tanquam præstantes gemmæ divenduntur. Est tamen Berillus alia gemma, ut suo capite explicavi.

*Locus ubi inveniantur Crystalli.*

*Vitia Crystalli.*

*Iris.*

*Berillus.*

Ex prædictis itaque facile colligi potest Crystalli nomen accommodari ad omnes gemmas perspicuas, mollesque, quæ colorem nullum manifestum in se habent. Hæ videntur esse in quadruplici differentia. Ut prima contineatur quæ glaciem refert Crystallus montanus dictus. Secunda Iris. Tertia Citrinus. Quarta Pseudoadamas. Aliis nobilior

*Species, seu genera Crystalli.*

bilior est Pseudoadamas, ut Citrinus Iridi, & Iris Crystallo.

a *Crystallus omnium gemmarum tincturas in se recipere potest, ut vel hinc mater gemmarum quibusdam statuatur, præsertim quia Philosophi, qui lapidem Philosophorum, singulari benedictione adepti sunt (ut Henricus Nollius in physic. Hermetic. lib.* VIII. *cap.* VI. *sect.* 3. *ex Raymundo Lullio de animæ transmutatione testatur) gemmas alias ex eo artificiose conficiunt, & tincturas earum Crystallo imprimunt.*

b *Opinionem hanc habet Plinius lib.* 37. *Naturalis historiæ cap.* 2. *littera c, qui Crystallum gelu concrescere, nec aliubi reperiri, quam ubi maxime hybernæ nives rigent, glaciemque esse pro certo scribit. Quam Plinii opinionem etiam amplectitur* V. *Cl. Claudius Salmasius (libro post cap.* 62. *huius libri citato) fol.* 205. *Cuius contrarium satis dilucide tradunt Auctor hoc loco, & cap.* X. XII. *&* XIII. *lib.* I. *Petrus Andreas Matthiolus in Dioscord. lib.* V. *cap.* 116. *& Georgius Agricola lib.* 6. *de natura Fossil. cap.* 7. *ut ibi videre est, quibus etiam nos assentimur.*

## Cap. LXXIV.

*Natura, qualitates, & facultates Crystalli.*

*Ad febrim.* FRigidæ, & siccæ naturæ adeo est Crystallus, ut sub lingua positus sitim febrientium sedet, manibusque detentus acuta febre correptos recreet, & refrigeret, præsertim si satis magnus fuerit, ac sphæricæ figuræ, sæpeque in aqua rosarum mergatur, ubi à manu ægri incaluerit. Crystallus in tenuissimum pulverem redactus, ac cum vino propinatus, dysenteriam curat, ac albos uteri fluxus sistit.

*Ad dysenteriam.*

*Ad uteri fluxus.*

Cum

Cum melle, vino, aut iusculo exhibitus lactantibus, lactis ubertatem, & copiam à proprietate promovet. Præterea dragma pulveris cum oleo amigdalarum dulcium exhibitus; extemplo curat eos quibus argentum sublimatum oblatum est. Fluxum præterea cholericum vel cœliacum citissime, & à proprietate tanquã Bezoar aliquod compescit, calculum etiam rumpit, & per urinam expellit, Collo appensus Crystallus somnia prohibet, & vertigini medetur.

*Ad lactis abundantiam.*
*Ad sublimatum.*
*Ad alvi fluxus, calculum.*
*Ad somnia, & vertiginẽ.*

Ad prædictos omnes affectus Chymici è Crystallo salem, vel essentiam eliciunt, quam crudo Crystallo præstantiorem, & tutiorem existimant, & ad calculum pellendum utiliorem. Crystalli in pollinem redigantur his adde duplum sulphuris, tere optime simul, sine sulphur exuratur, ac reverbera optime sex horarum spatio. Calcinato Crystallo affunde aquam urticæ, ut sex digitis emineat, ac in fimo equino digere quatuordecim diebus. Postmodum distilla, & magna Crystallorum pars extillatur. Remanentiæ iterum affunde aquam urticæ, ac repete prius opus, donec omnes Crystalli transcendant, nihilque in dante vitro remaneat. Extillato iniice parum salis fusi, ac sine ut stet aliquandiu, hac enim ratione oleum Crystalli separatur ab aqua quæ superiorem partem occupat. Aquam effunde, ac aliam aquam distillatam Crystallis affunde, in qua iterum salis portio dissoluitur. Hoc opus repete donec omne sal in ea solutum fuerit, & Crystalli oleum dulce fiat. Id serva ad usum, ac dragm. semissem, cum uncia una aq. appropriatæ exhibe ad prædictos affectus. Aliter præparatur ut & sal ipsius, hac ratione. Crystalli subtilissime conteruntur, & vel æquali nitri, vel duplo sulphuris pondere commixti in calcem aduruntur. Hæc deinde ex aqua plu-

*Oleum & sal Crystallorum.*

*Oleum dulce Crystalli.*
*Alius modus.*

pluviali ſtillatitia lavatur aliquoties, rurſuſque ſiccatur. Poſtea ſpiritu vini perfunditur, maceraturque in loco calido aliquot diebus, tum extillatur rurſus, & quod in fundo remanet, iterum calcinatur, lavatur, maceratur, diſtillaturque toties, donec ſalis inſtar ſit, ac in vino eliqueſcat nivis inſtar, tandem id ſal in loco humido reſolvitur, & pro oleo Cryſtallorum haberi poteſt. Ad calculum maiori compendio vis Cryſtallorum haberi poteſt. Cryſtallus in pollinem redactus excandeſcat ignis vi per horam, ac in aqua raphani, ononidis, aut petroſelini, cui quarta pars olei vitrioli, aut ſulphuris acidi addita eſt extinguatur, idque opus decies repetatur. Poſtea ſaccharo optime trito affunde paulatim aquam prædictam, ac diligenter ſpatula lignea move. Huius ſacchari offer quotidie mane, & veſperi ſemicochlear, aut quantum medietas nucis iuglandis capere poteſt. Valet etiam ad omnes viſcerum obſtructiones, teſte Quercetano: & quia tartarum in homine reſoluit, podagricis convenit, ſyncopi præterea, ac capitis morbis, quia cerebrum confortat, apprime conducit in eum uſum datur à granis 10. ad 30.

*Sal Cryſtalli in vino ſolubile.*

*Sal Cryſtalli ad calculum aliter.*

*Ad obſtructiones. Podagrã. Syncopen.*

Sal Cryſtallorum etiam alia ratione, non tamen à prædicta diſſimili haberi poteſt. Calcinatur Cryſtallus, ac in tenuiſſimum pulverem ſupra Marmor conteritur, poſtea ſulphure, & ſale nitro calcinatur, perque diem, ac noctem reverberatur, in vas vitreum, longũ collum habens, inditur, ac acetum terebinthinatum ſuperfunditur, obturatoque vaſe, ſupra cineres calidos per noctem relinquitur, ſequentique die quod ſolutum eſt, effunditur, cuſtoditur, novumque iterum acetum ſuprafunditur. Hocque tamdiu repetitur donec Cryſtallus ſolvatur. Acetum poſtea in quo Cryſtallus ſolutus eſt filtratur, ac in balneo humiditas evaporatur, ut in fundo

*Sal Cryſtallorum aliter.*

do Cryſtalli ſal reſideat, quod tritum, & ſupra Marmor poſitum in liquorem ſolvitur.

## CAP. LXXV.

### *Dignitas, valor, uſus, & adulterium Cryſtalli.*

CRyſtallus non ſolum ad mundum muliebrem, dum catenæ, nodi, aliaque huiuſmodi inde fiunt, ſed etiam ad ſpecula, perſpicilla, pocula, ſcyphos, patinas, lavacra, & ſimilia uſui eſt. Adeo ut dum abſque vitio eſt, huiuſmodi pocula, vel ſcyphi à Principibus appetantur, & ſat magno in pretio ſint. Aureus enim ſcyphus pedis magnitudine interdum centum thaleris divendi poteſt, aliquando etiam pluris. Exigui Cryſtalli ex quibus nodi, aut coronæ fiunt, viles ſunt, ac cælaturæ pretium non ſuperant. E Cryſtallo etiam adiecto vitro, ac arena puriſſima, ſaleque alcali nobiliſſima vitra, Cryſtallo vero quam ſimilia, fiunt Venetiis. Inſervit etiam Cryſtallus ad gemmas imitandas dum calcinatus plumbi tribus partibus miſcetur. Huic ſolent metallica addi, ut optatus Smaragdi, Topaſii, vel alterius gemmæ color prodeat. Cryſtalli beneficio etiam ignis ſolet è Solis radiis colligi, dum nempe rotunda planities modicum convexa Soli ita opponitur, ut corpus id, quod ignem ſuſcipere debet, circa convexi centrum ponatur. In mollioribus etiam corporibus & delicatulis, cauterii ferrei vices ſupplet, quanquam non minus quam ferrum urere, & dolere exiſtimem. Adulteratur vitro Cryſtallino quod illi ſimillimum, verum Cryſtallo mollius, & ponderoſius eſt.

*Vitra ex Cryſtallis.*

*Ad gẽmas imitandas.*

*Cauterii ex Cryſtallo.*

Pſeudoadamantes dum perite cælati ſunt etiam auro includuntur, ac dum exigui ſunt, ita veros æmulantur, ut non niſi à peritis dignoſci poſſit. Hinc fit

*Pſeudoadamas.*

apud Bohemos, Polonos, Hungaros, & Moscos non exiguam habere authoritatē, maioris tamen, quam cælaturæ pretium sit, non venduntur, nisi duri sint, & egregie scintillent. Eadem ratio Citrinorum, & Iridum, qui omnes supra cælaturæ pretium non plus valent, quam velit emptor. Habentur enim in satis magna copia, magnaque frusta pugni instar nondum elaborata, & prorsus perspicua uno, aut duobus thaleris tantum divenduntur. Elaborata, & in scyphos aptata venditoris arbitrio, ac emptoris deliciis commissa, sæpe satis magno distrahuntur.

*Citrinus. Iris.*

## Cap. LXXVI.

### *De Asteria, aut Solis gemma, Italis* Girasole,

IN capite de Opalo mentionem feci Asteriæ gemmæ, ac ad Opali genera retuli, similes enim ex matre Opalorum ipsemet extraxi. Si tamen Opalo longe durior sit, potest sui generis gemma esse, & ab Opalo distingui. Quo enim durior eo elegantius si Soli obiiciatur, & vertatur solem deambulantem in se conspicuum facit, unde nomen habet. Quia etiam lux illa deambulans stellæ similis est, nomen Asteriæ illi à nonnullis tribuitur. Sed meo iudicio rectius id nomen opacæ gemmæ, quæ Stellaris appellatur, ac stellas quasi arte depictas continet, Germanice *Sternstein* aut *sigstein* convenit. Perspicua est hæc gemma, Crystalloque similis, durior tamen: Opalis Crystallizontas admodum similis, ac tantum duritie ab iis differens. A Plinio Astroites, & quæ deterior Ceraunia, à Michaële Mercato Astrobolus, ab aliis Oculus Felis, quia radiat modo clarius, modo obscurius, ut felium oculus, vocatur. Differt à gemma, quæ Beli oculus, aut *Bellothio*

*Ceraunia, Astrobulus, Oculus Felis. Beli Oculus.*

*chio* Italice dicitur, ac exacte oculum iride, & pupilla imitatur. Opaca enim est, ac Achatis species. Plinius Asteriam, & Astrion, tanquam diversas gemmas describit, cum gemma una videatur. Agricola Stellarem lapidem opacum Astroitem putat: Asteriam vero quam gemmam Solis vocamus. Plinius lib. 37. Cap. 9. ita scribit. Candidarum dux est Pæderos, &c. Proxima candicantium est Asteria, principatum habens proprietate naturæ, quod inclusam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit, cum inclinatione velut intus deambulantem ex alio, atque alio reddens, eademque contraria Soli regerens candicantes radios, unde nomen invenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Caramania nata, similiter candida est, quæ vocatur Astrios Crystallo propinquans in India nascens, & in Pallenes littoribus intus à centro, seu stella lucet fulgore lunæ plenæ. Quidam causam nominis reddunt, quod Astris opposita fulgorem rapiat, ac regerat. Optimam in Caramania gigni, nullamque minus obnoxiam vitio. Cerauniam enim vocari quæ sit deterior, pessimam lucernarum lumini similem. Et paulo post. Est & inter candidas quæ Ceraunia vocatur fulgorem siderum rapiens. Ipsa Crystallina splendoris cærulei in Caramania nascens, albam esse Zenothemis fatetur, sed habere intus stellam coruscantem. Fieri & hebetes Ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas concipere stellam, eam quæ post totidem menses elanguescat. Hactenus Plinius ex cuius verbis colligi potest Asteriam, seu Astrion, gemmam esse, eiusque speciem unam Cerauniam. Putat Agricola Astroiten à Plinio alibi Solis gemmam appellatam fuisse, ac Astrobolon oculis piscium similem à sudine. Solis enim gemma Plinio

*Astrios.*

*Pæderos.*

*Locus natalis.*

*Ceraunia.*

*Agricolæ opinio.*

candida est, & ad speciem sideris in orbem fulgentes spargit radios. Eidem Mitrax dicta Persis accepta est, è rubri maris montibus multicolor, ac contra Solem varie refulgens. Ex præcedentibus Plinii verbis vix aliquid certi colligi potest. Ego Asteriam, seu Solis gemmam eam puto, quæ Crystalli lacteſcentis instar rotundam lucem inclusam transfundit, cum inclinatione deambulantem. Astroiten vero eam, quæ è medio corporis stellulas radiantes ostentat, quam inter Opali species retuli, aut si mavis eam, quæ multicolor contra Solem varie refulget, ut felis oculus. Hanc apud me, ut & priorem servo, quam ex Opalorum matre abstraxi; elegantem sane, ac quæ Soli exposita plurimas, ac scintillantes stellulas exhibet. Prædictæ tres gemmæ omnes, commode pro Opalis haberi possent. Sed quia duritie, & coloribus Opalum non semper referunt, à gemmariis distinguuntur. De posteriori quam Astroiten, Oculum Solis, aut Oculum Cati vocant, sequenti capite agam.

*Mitrax.*

## Cap. LXXVII.

### *Facultates, proprietates, usus, dignitas, & pretium Asteriæ.*

USus istius gemmæ est ad aurea manubria, gestata enim, somnum conciliare, & somnia terrifica abigere creditur. Orientalis tam dura est ut vix cælari possit, satisque vilis, nec pretiosior duplo cælaturæ pretio.

Cap.

## CAP. LXXVIII.

### *De Oculo Cati.*

OCulum Cati, esse Astroiten Plinii quam multicolorem asserit, existimo, ac eam esse gemmam quæ à nonnullis Solis Oculus, & à Persis Mithrax, quod Solem significat, appellatur. *a* Cardanus hanc Pseudopalum vocare videtur. Opalo enim similis est variis coloribus, quanquam non ita distincti in hac gemma ut in Opalo appareant, & hæc longe durior sit; tenerrimus enim est Opalus. Differt hæc gemma ab alia quadam opaca, quæ oculi depicti imaginem refert ac etiam Oculus Cati vocatur, aut Beli Oculus, Italice *Bellocchio*, quia Achatis, vel Onychis species est. Laudatissimi inveniuntur in Zeilan, interdum ex Pegu advehuntur, qui eo deferri ex regione Bramaa dicuntur.

*Solis Oculus.*
*Mithrax.*
*Pseudopalus.*

a *Libro* VII. *de subtilitate.*

## CAP. LXXIX.

### *Dignitas, valor, & facultates.*

MAgno est in pretio apud Indos, qui sibi persuadent eius, qui hanc gemmam gestat, divitias non posse imminui, sed semper incrementum facere, & augeri. Ait *a* Garsias ab Horto se expertum, lineum pannum ita compressum ut ipsius gemmæ meditullium, sive oculum tangat, nullo igne uri posse. Id scio verum esse, verum (quod ille non animadvertit) gemmæ viribus, aut facultatibus tribuendum non est, cum omni lapillo idem contingat ad modicum tempus. Ignis enim flamma neque statim lapillum ignitum facere, neque

*Ad divitias.*

partes panni complecti propter compressionem ut exurat, potest. Reiicit enim, ac repercutit à se flammam lapillus, ut ignis urat, corpus vere attingere, & complecti debet. Id quilibet ex tempore filo alligato lapillo, ac flammæ candelæ adhibito experiri poterit.

*Pretium.* Apud Indos tanto, ut dixi est in pretio: ut qui in Lusitania 90. aureis æstimatus fuit, in India 600. venditus fuerit. Potest itaque pretio Opalorum æstimari minoris, vel pluris, prout elegans est, variisque coloribus ornatus, nihil enim hic certi statui potest.

a *Libro* 1. *Aromatum & simplicium Historia cap.* 54.

## Cap. LXXX.

### *De Sardio, seu Corneolo.*

HActenus de perspicuis, & transparentibus gemmis egi: nunc de semiperspicuis, aut semiopacis agendum. Nobilitate autem cæteris præstantior videtur Sardius, prima gemma rationali Aaronis imposita, quam Iudæi putant Rubinum fuisse, nunc Sardius, Corneolus, vel Carneolus appellatur. Italice, Gallice, & Germanice paucis litteris mutatis idem nomen retinens. A carne sanguinolenta cui similis est colore, nomen Carneoli, vel corrupte Corneoli habet. Sanguinis bilioſi, vel subcitrini colorem exactius refert. Semiperspicuus est, loturæ carnis similis. Nam in corpore ipsius quasi rubrica, aut caro pellucere, sed offundi obscura nubecula videtur. Plinius Sardam apud antiquos frequenti in usu fuisse asserit, precipue ad sigilla: nihil enim ceræ in signo tenet. *a* Serapionis Sarda alia ab hac videtur; Eam vocat Hager albuzedi,

*Ad sigilla. Sarda Serapionis succinum videtur.*

zedi, ac lapidem rubentem languidius, quam Hyacinthus, ac lividius esse dicit, ac adferri ex Oriente rudem, obscurum, perpolitum nitere, oculos tactu roborare, paleasque capillis affricatum trahere, ut Magnes ferrum, idem asserit. Quæ omnia Succino conveniunt, quod Hiacinthi vulgaris colorem exacte refert.

a *Libro de simplicibus cap. 399.*

## CAP. LXXXI.

*Genera, loci natales, & magnitudo Sardii.*

SArda primum Sardibus reperta, ut *a* Plinius asserit, sed laudatissima circa Babilonem hærens in saxi corde. In India trium generum. Rubrum, & quod demium vocant à pinguedine. Tertium quod argenteis bracteis sublinitur. Indicæ præluccent, crassiores sunt Arabicæ. Inveniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum quæ aurea bractea sublinuntur. Mares excitatius fulgent, fæminæ pinguiores sunt, & crassius nitent. Hactenus Plin. Albertus magnus Sardam à Corneolo distinguit nominum copia deceptus; eadem enim gemma est. Nisi velit Corneolo albo Sardæ nomen tribuere, & rubro Sardii vel Corneoli. *b* Franciscus Rueus aliud caput de Sardio, aliud de Corneolo habet: fortassis orientalem Sardium nostratem Corneolum statuit. Durior enim ille isto, ac alio nomine dignus. Apud me tria genera Sardii, vel Corneoli servo. Primum rubrum à me supra descriptum, alterum exigua sanguinis rubedine tinctum, ac semiperspicuum. Tertiumque subflavescens ex rubedine. Laudatissimus Corneolus in Sardinia invenitur. Secundum locum obti-

*Sarda, Sardius, & Corneolus.*

*Genera.*

net, qui in Epiro, & Ægypto reperitur. Sed Babylonius cæteris præfertur. Indici, & Arabici etiam non contemnendi, ut nec Europæi. Nam ad Rhenum, in Bohemia, Silesia, aliisque regionibus, quales apud me habeo, præstantes inveniuntur. Aliis lapidibus adnasci solent.

a *Libro 37. Naturalis Historiæ cap.* VII. *litter a n.*
b *Nempe cap. 6. lib. 2. gemmis de Sardio agit, & cap.* XX. *eiusdem libri de Corneolo.*

## Cap. LXXXII.

### *Natura, facultates, qualitates, & proprietates Corneoli, & Sardii.*

Refert Albertus gestatum Sardium, seu Corneolum animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præstare, fascinationes prohibere, ac corpus contra venenata quævis, quæ ex humorum corruptione proveniunt, tueri. Imprimis autem sanguinem undecunque fluentem peculiari proprietate, mirabili modo sistit. Ventri etiam alligatus partum conservare creditur. Tumoribus etiam calidis applicatus medetur, pulvis ad omnem sanguinis fluxum ex vino rubro austero propinatur. Is etiam liventes dentes, eorumque sordes affrictu emendat. Acuere ingenium, somnia mala prohibere, & malignitati Onychis obsistere, dicitur. Stultum est cum Cardano asserere, quod litigantes victores, & gestantes divites faciat.

*Ad sanguinis fluxus.*

Cap.

## CAP. LXXXIII.

*Dignitas, valor, & usus Corneoli.*

APud Hebræos olim in summa authoritate extitit, Quia prima gemma fuit, quam Deus rationali inseri iussit, quod Aaron summus Pontifex supra pectus gestabat. Quanquam Iudæi existiment Rubinum fuisse. Verum illis à quibus gratia omnis divina ablata est hac in re credendum non est, sed 70. interpretibus, & scriptoribus ecclesiasticis, ac Iosepho; qui etsi non Sardium, tamen Sardonichen ex Sardio, & Oniche constantem, non Rubinum interpretatur. Apud Romanos etiam in satis magna dignitate fuit. Eo enim ad sigilla utebantur, quia ceram non recipit, ob duritiem, cuius beneficio ab aqua non facile hebetatur. Nunc quia præstantiores gemmæ in maiori copia inveniuntur dignitatem suam non parum amisit. Ad sigilla tamen, & fæminarum manubria exornanda inter gemmas sanitatis (ut vulgo vocantur) recipitur. Cęlaturæ pretium non superat, nisi nucis iuglandis magnitudinem excedat. Tum enim quia ad sanguinis fluxus sistendos expetitur, venditoris arbitrio æstimatur, & aliquando duobus, tribus, aut etiam quatuor thaleris divenditur.

Vitro simili colore prædito, ut aliæ omnes gemmæ adulteratur.

## CAP. LXXXIV.

*De Sardonyche, ac Cameo.*

SArdonyx *a* ex Sardio, & Onyche à natura simul compositis gemma est. Huic interdum aliæ gemmæ adnascuntur, verum à Sardio, & Onyche

tanquam præcipuis denominationem habet. Constat plerunque sanguineo, albo, & nigro colore; qui à se invicem circulis, aut zonis ita distinguuntur ut arte facti videantur. Quæ carneo colore carent Sardonychis nomine non sunt appellandæ. Hodie *Nicolus.* à gemmariis & Onyx, & Sardonyx Nicolus vocatur, communiter tamen ille qui ex nigris, & albis zonis constat, ut in capite de Onyche explicabo. Dum crusta unius coloris scalpitur, ac alterius coloris pro strato relinquitur, tum gemmarii *Camehuyam*, vel *Cameum* vocant, sive Onyx, sive Sardonyx sit.

a *Sardonychis nomen compositum ex Sarda, quæ Græcis* σάρδιον, *&* ὄνυξ, *quæ unguem significat, & gemmam unguis colore: ergo Sardonix ita olim intelligebatur, velut unguis carnibus impositus esset. Nam superficiem habebat Onychis gemmæ, vel unguis humani instar candidam: radicem vero, sive fundum, instar Sardæ, vel Carnium, hic enim Sardæ color.* σάρδιον αἱμαλόεν *Orpheo dicitur: sic Sardonyx erat velut unguis carnibus impositus. Hæc autem fuit gemma signatoria, quam Polycrates volens proiecit in pelagus, erat enim Tyranno ea gemma rerum omnium suarum gratissima, quum plurimum tristaretur. Quinto, sextove quum hæc acta sunt die, piscator quidam captum eum piscem, qui Polycratis gemmam casu absorbuisset, Polycrati dono detulit, in cuius eviscerati alvo gemma ea reperta est. Exstat proverbium* βάμμα σαρδονικὸν, *id est, tinctura Sardonica de colore præcellenti, præcipue purpuræ, per iocum autem transfertur ad eum qui pudefit, aut qui ob plagas sanguine tingitur. Sardonichis etiam meminit Doctissimus Philippus Iacobus Maussaccus in libello de fluviorum, & montium nominibus, quem ille sub nomine Plutarchi Græce,*

*Græce, & Latine edidit Toloſæ (ut poſt caput 9. huius libri monuimus) in titulo de Euphrate fluvio fol. 68. ſub finem capitis.*

## CAP. LXXXV.

### *Genera, & loci natales, dignitas, & pretium Sardonychis.*

INfinita eius ſunt genera, ſi coloris diverſitas, diverſa genera ſtatuere debet. Nam in his ludit natura. Si rubedo ad cocci, vel laccæ colorem vergat, vulgo *Incarnati* vocantur. Colorum varietas dignitatem auget. Interdum enim in iis purpureus, cæruleus, roſeus, flavuſque apparet circulus, cui Baſis quædam (ut Arabibus) nigerrima, Indis cerea, vel cornea ſubſternitur. Præferuntur aliis quibus candidæ, vel purpureæ, aut roſeæ zonæ, aut etiam cæruleæ ſeſe ex ordine citra alterius rei intermixtionem ita ſubſequuntur, ut iridis aliqua forma referatur. Quæcunque zonas non unitas, ſed diffluentes habent, & mellei coloris ſunt, ac fæces in ſe habere videntur, tanquam ignobiles non ſunt in pretio. Sardonyche primum uſus apud Romanos dicitur fuiſſe Scipio Africanus, ut tradit Demoſtratus, quæ poſtea Romanis, & Indis ab iis perſuaſis fuit celebris. Puto vaſa Myrrhina olim ita decantata ex hac gemma fuiſſe fabricata. Vidi enim partes poculorum olim cælatas. Quæ iridis varios colores, ut de Myrrhinis ſcribitur, anhelabant. *a* Porcellana enim vaſa (quæ hodie ita vocantur,) excocta igne, ac ex terra ſubtiliori pingui conflata ſunt, ac ex China huc deferuntur, & nequaquam antiquorum Myrrhina vaſa ita decantata eſſe, exiſtimo. Scribitur de Mythridate Pontis rege, quod ex Onyche 4000. poculorum habuerit. Inde coniicio non ex ſimplici Onyche,

*Incarnati.*

*Myrrhina vaſa ex Sardonyche.*

*Porcellana.*

Onyche, sed ex Sardonyche, & Calcedonio, elegantioribus, Regiisq; mensis dignioribus gemmis, & quæ fortassis à suis nomine non distinguebantur etiam pocula fuisse elaborata. Prima dignitas Indicis, altera Arabicis datur. Invenitur quoque in Germania, Bohemia, Silesia, lociśque vicinis: sed raro absque fæcibus sunt; sæpe etiam melleum in se colorem habent, nec zonas, aut circulos à se ita exacte distinctos ut orientales. Sardonychum magna frusta, ut pocula, & scyphi inde elaborari possint inveniuntur. Hinc fit exiguas ad sigilla, coronas nisi coloribus excellant, vix cælaturæ pretium bis superare. Magna frusta eleganter cælata vigecuplo interdum cælaturæ pretium excedunt. Coloris varietas, & elegantia præcipui valoris sunt indices.

a *Quoniam auctor hoc loco de Myrrhinis, & Porcellanis vasis tractat, non abs re futurum censui, insignem de Myrrhinis vasis (Petri Bellonii observat. lib. 2. cap. 71.) narrationem, huic loco inserere; cuius hæc sunt verba. Ingens Murrhinorum vasorum copia in Cairo à mercatoribus publice Venalis proponitur. Cum autem videremus ea novo Porcellanæ nomine appellari, eius appellationis Gallicum etymon perquirere libuit, atque animadvertimus, denominationem sumpsisse à Conchylii quodam genere Murex Latinis dicto, quod Galli concham porcellanicam nuncupant: tametsi affinitas vocabuli Murex satis respondeat voci Murrhina: Gallicæ tamen appellationis etymon duntaxat perquirimus, quoniam Porcellanica vasa ea nuncupamus: nec ignoramus Latinos Myrrhæ vocem à Græco σμύρνα deduxisse. Vasa quæ Porcellanæ appellatione apud nos hodie venduntur, nulla nota cum veterum vasis conveniunt. Sed nec summi totius Italiæ artifices simi-*

*lia*

*milia parare norunt, utpote qui commoda materia destituuntur attamen vasa ab ipsis conflata, Porcellanæ nomine donant, atque etiam venundant. Latæ significationis est Porcellanæ vocabulum, & multis conchis marinis applicatur. Quoniam porro elegans vas è concha marina paratum aptius denominari non posset secundum veterem appellationem, quam Porcellanicum: expolita illa, & splendentia conchylia Margaritiferis conchyliis respondentia arbitratus sum affinitatem aliquam habere cum materia vasorum antiquorum Porcellanicorum. Huc accedit quod Galli sphærulas illas precatorias è magnis cochleis confectas, Porcellanicas sphærulas appellant. Murrhina vasa ex Iaspide Viridi etiam fieri author est Garcias ab Horto lib. 1. Aromat. & simplic. histor. cap. 52. cuius hæc sunt verba. Invenitur Iaspidis genus Viride, ex quo vasa Murrhina fiunt (Porcellanas vocant) adeo virentia, ut ex Smaragdo conflata videantur. Ex hoc forte genere erit id quod Genuæ ostenditur, quodque ex Smaragdo esse contendunt, rarius videndum proponentes, quo maiorem auctoritatem concilient. Huiusmodi vas Murrhinum aliquando mihi propositum fuit venale ducentis pardaons sive aureis Hispanicis: cuius si ex Smaragdo conflatum fuisset millesimam partem eo pretio vix nanciscì potuissem.*

## CAP. LXXXVI.

*Natura, & facultates Sardonychis, & adulterium.*

ONychum nocuos effectus, animi fastum, & venena domare creditur, ac ad ea valere ad quæ Sardius, seu Corneolus, vitro adulteratur, quod in ipsius locum substituitur, sed facile dignoscitur, quod facile ab aëre exedatur, & pulverulentam super-

superficiem contrahat, neque ita ut Sardonyx niteat.

## Cap. LXXXVII.

### *De Calcedonio, vel Charcedonio.*

CHarcedonios *a* Plinius inter Rubini genera recenset, ac nigrioris aspectus, Carbunculoque pallidiores, & obscuriores videri, igne tamen, vel Sole, & inclinatione acrius quam cæteros excitari, umbrante tecto purpureos videri, sub cœlo flammeos, contra radios Solis scintillare, ceras liquefacere, asserit. Duo etiam facit genera, masculum, & fœminam. In masculis stellas intus ardere, fæminas universum fulgorem extra se fundere scribit. Quæ omnia potius Granato Orientali, aut Amethisto, quam nostris Calcedoniis videntur convenire.

*b* Calcedonius itaque gemma est quasi per nubem, vel nullo, vel levi aliquo colore tinctam, totumque corpus occupantem semiperspicua, scalpturæ propter duritiem contumax. Olim sub Onyche comprehensa, cuius species est, appellabatur Onyx candida. Nam candicans veterum Onyx, sive transluceat, sive non, nunc Caledonii nomen apud Europæ populos retinet.

a *Libro 37. Naturalis historiæ Cap. 7. littera b. e.*

b *De Calcedonij etymologia plura reperies in Conradi Gesneri lib. de Fossilibus edit. Tiguri (ut post cap. 52. huius libri monuimus) fol. 79. verso, & in V. Cl. Claudii Salmasii libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 381. Turcæ pro confringendis straminibus, & paleis, utuntur Chalcedonio lapide, teste Petro Bellonio lib. 1. observat. Cap. 64. Cuius hæc sunt verba. Collecta messe, frumentum triturant (de Turcis loquitur)*

*quitur) haud flagellis, ut apud nos, sed bobus, quemadmodum per universam Græciam: idque facientes, asseres Chalcedonio lapide munitos post se trahunt, ut stramina, & paleas confringant.*

## CAP. LXXXVIII.

*Genera, loci natales, dignitas, & usus Calcedonii.*

a PLinius, ut dixi, marem à fœmina distinguit, ac imbre divino generari, lunaque plena maxime reperiri, olim putatum fuisse, atque in Nasamoniis montibus nasci, deinde & apud Thebas in Ægypto, verum prædictis obscuriores, magisque fragiles, venosi, & morientis carbonis instar, non absimiles scribit.

Calcedonii hoc tempore in Orientales & Europæos distinguuntur. Qui colore aliquo diluti, duri, ac oculis grati sunt pro Orientalibus habentur. Tales sunt in quibus purpura, vel cæruleum quid albo permixtum, aut grata quædam laccæ rubedo (quales apud me complures, qui pro veterum Charcedoniis haberi possunt, servo) apparet. Qui terreum, aut obscure candidum habent colorem cæteris ignobiliores sunt, ac in tota Germania passim inveniuntur. Hos etiam in Belgio circa Lovanium in agro Heverensi, & prope Bruxellam reperi. Qui flavedine, aut rubedine ingrata transparent, etsi pro Orientalibus non habeantur, tamen proxime præcedentes dignitate antecellunt. Tales dicuntur miræ magnitudinis in Lotaringia reperiri, ac ferro percussos, authore Symphoriano Campegio sonoros esse; adversus raucedinem utiles, quod vocem clariorem efficiant, Cæteris omnibus præfertur in quo Cæruleus, albus, & flavus, ruberque color confusus apparet, quique Soli expositus iridis

*In Lotharingia.*

*Præstantes.*

iridis colores radiorum reflexu ostentat. Nam distinctum colorem rubrum, vel nigrum non habet. Dum ruber adest Sardonyx est, dum niger Onyx. Ex hoc olim pocula illa, & vasa Myrrhina appellata, quæ tanto in pretio apud Romanos fuerunt, elaborata fuisse, quemadmodum ex Sardonyche, & Onyche, ut superiori capite annotavi, non dubito. Olim Sardonyx, & Calcedonius pro Onyche habiti fuerunt. Hinc fit pocula illa 2000. numero Mythridatis ex omni specie Onychis (ut Sardonyche, Calcedonio, aliisque) elaborata, ex Onyche facta fuisse scribant authores. Species enim omnes generis nomine continentur. Hoc tempore etiam pocula, effigies Principum, coronæ pensiles, aliaque infinita ex Calcedonio fiunt. Præcipuus usus est ad sigilla, quia cera illi non adhæret.

*Pocula Mythridatis.*

a *Libro 37. Naturalis historiæ Cap. 7. littera f.*

## Cap. LXXXIX.

### *Facultates, vires, pretium, & adulterium Calcedonii.*

COmmendatur Calcedonius contra omnia atræ bilis symptomata, hoc est, tristitiam, timorem, dæmonumque insultus. Nec desunt authores vani, qui gestanti victoriam (quæ tantum à Deo datur) promittant. Ex India occidentali afferuntur nonnulli modice translucidi, ex albo pallescentes, nonnulli lacteis zonis distincti, quos prædicant appensos valere ad lactis ubertatem. Hodie propter copiam non magni fit. Si tamen maiora frusta egregie sculpantur, nec desit color insignis magno interdum vendi possunt: ac non multo viliori pretio quam Sardonyx. Adulterium Calcedonius vix

mere-

meretur. Sic tamen imitaberis. Igni ad colliquefaciendum, Cryſtallum immittes, argenti calcis parum remiſceto, per diem fornaci immorari ſinito, & habebis.

## CAP. XC.

### *De Onyche, & Camehuia.*

ONyx Græce eſt unguis, unde & nomen gemmæ. Humani enim unguis ſimilitudinem colore, & ſplendore ut plurimum refert. Tranſlucet raro, opaca enim eſt. Conſtat plerunque colore & albo, & nigro, qui à ſe invicem ita diſtinguuntur, ut arte diſtincti videantur. Nigram *a* Plinius Morion Indicam, vel Pramnion vocat. Corneus etiam color in illis ſæpe viſitur cingentibus candidis venis, aut zonis oculi modo intervenientibus, Germanice *Onykel*, Italice *Nicolo* vocatur, quo nomine etiam Sardonychen appellant: confundunt enim has duas gemmas, fortaſſis quia olim etiam ſub Onychis, tanquam generis nomine continebatur. *b* Plinius Onychen vocat eam, quæ plurimas, variaſque cum lacteis zonis habet venas, omnium in tranſitu colore inenarrabili, & in unum redeunte concentum ſuavitate grata. Dioſcoridis Onyx, Alabaſtrum eſt, quia id unguis colorem refert. *Alabaſtrum.*

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ Cap. x. littera pp. Iacobus Dalechampius hanc gemmam putat Morochtum eſſe, quem & Galaxiam, & Leucographida Dioſcorides lib. v. de re medica Cap. 109. vocari ſcribit, mollis, liqueſcens, dealbandis veſtibus utilis, in Ægypto naſcens.*

b *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ Cap. 6. littera d.*

## Cap. XCI.

### *Onychis genera, loci natales, & magnitudo.*

ONychum genera vel à loco ubi inveniuntur, vel à coloribus distinguuntur. Onyx Arabica nigra est, candidis zonis, multisque modis colores in ea componuntur. Dum zona alba imagine scalpitur, ac nigra zona loco strati substernitur, à nonnullis Memphites, hodie Camehuia vocatur à Gemmariis, quasi alia gemma esset. Sic albam Onychen hodie Calcedonium vocant, quam præcedenti capite descripsi. Ego hanc differentiam inter Sardonychen, Calcedonium, & Onychen pono. Quod Sardonyx sit dum Onychi Sardius, aut Corneoli rubicundus color distincte, adiunctus est. Calcedonius dum abest rubicundus, & niger color distinctus; nam confusi, & mixti, quasi aqua exigua, portiuncula rubedinis, vel nigredinis tincta esset, adesse possunt. Onyx vero proprie dum adest niger, & abest rubicundus. Varia itaque Onychum sunt genera. Aliæ enim nigræ prorsus, aliæ cum albedine, cum fusco, flavo, lacteo, subcæruleo, corneoque colore miram varietatem ostentant. Omnes zonas, vel lineas habent, quibus colores à sese mutuo distinguuntur. Quæ nigerrimo colore translucet Plinius, ut supra dixi, Morion Indicam, vel Pramnion vocat. Istius generis est forte Obsidianus lapis nigerrimi coloris aliquando, & translucidi crassiore visu, ex quo gemmas multi faciunt. Habetur in Æthiopia, traditurque in Hispania nasci prope Oceanum, Plinio teste. Nunc vix constat quis sit iste lapis. Ego pro Onyche non habeo quæ zonis, aut lineis albo colore tinctis caret. Hispania hoc tempore mittit calculos nigros splendentes zonis

*Memphites. Camea.*

*Differëtia inter Sardonichen, Calcedonium, & Onychen.*

*Morion. Pramnion.*

*Obsidianus lapis.*

*Onyx in Hispania.*

nis candicantibus interſectos, quorum pulvis in pollinem redactus, cum vino propinatur, non ſine fructu ad calculum. Ex India Occidentali lapis quidem niger adfertur, quem aliqui etiam inter Onychum genera haberi volunt; hic ſulcis cælatur, imoque ventri affigitur cucurbitularum inſtar, ad ilei dolores. Sed nec hunc, quia zonis caret, pro Onyche habeo. Reperiuntur omnia genera in India, Arabia, Armenia, Ponto, America, & Europa.

*Lapis ad Ileum.*

## CAP. XCII.

### *Magnitudo, dignitas, valor, & uſus Onychis.*

TAntæ interdum magnitudinis eſt Onyx, ut columnulæ inde fieri poſſint. Romæ enim in Baſilica S. Petri ſex columnulæ Onychinæ conſpiciuntur. Coloniæ Agrippinæ in templo trium regum, referente Agricola, Onyx extat latior palmo candidis venis ſic diſtincta, ut duorum iuvenum capita exprimat, ac rurſus aliis nigris ut ſerpentem effingat. Appianus quoque teſtatur Mythridatem Ponti regem circiter duo millia poculorum ex Onyche in ſuo theſauro habuiſſe. Verum non ſolum ex Onyche, ſed Sardonyche, & Calcedonio factitata fuiſſe certum eſt, cum Sardonyx, & Calcedonius apud veteres pro Onyche haberentur. Onychina pocula apud Romanos Myrrhina vocabantur, ut præcedentibus capitibus admonui. Quanta autem Myrrhina vaſa fuerint in dignitate ex variis authoribus colligere licet. Nunc etiam in pretio ſunt, non ſolum pocula, ſed ſtatuæ, effigies ac imagines, quæ ex Onyche elaborantur. Onychen tamen Sardonyx pretio ſuperat. Cæteros omnes valore, & dignitate vincunt, qui ſubcærulei ſunt, ac in imo nigredinem habent; à Iudæis imprimis expetitæ. Nam apud

*Myrrhina vaſa quæ ſint.*

eos in magna existimatione est Onyx, fortassis quia una fuit ex 12. illis gemmis, quæ rationali Aaronis insertæ fuerunt. Quanquam hac de re nihil certi constitui possit, cum authores multi aliam gemmam quam Onychen fuisse existiment. Judæi tamen traditione continua Onychen eam quæ subcærulea est, tanquam unam ex numero 12. gemmarum colunt, ac propterea magni faciunt, tantique quanti Sardonium; imo pluris aliquando æstimant. Pocula, statuæ, ac imagines ex Onyche, satis caro pretio venduntur, alias raro cælaturæ pretium excedunt, subcæruleis tamen exceptis qui ut cæteris digniores, ita interdum caro pretio divenduntur, quod venditor pro emptoris luxu, & appetitu statuit. Posteriores isti figuris convexis elaborari solent, tumque Camei, vel Chamehuiæ vulgo vocantur.

*Iudæorum Onyx.*

*Camei.*

## Cap. XCIII.

### *Natura, facultates, & vires Onychis.*

*Onychis vires.*

ONyx ceram non recipit, propterea nunc, ut olim, ad sigilla aptissima est. Mentis passionibus conducere, sensusque vivificare creditur; quanquam alii collo suspensam Onychen tristitiam, & timorem, aliaque melancholica symptomata excitare scribant, eamque vim, Sardæ, aut Corneoli præsentia refringi. Comitiales etiam paroxismos creditur impedire. In globulum politum redacta, oculoque imposita, ut aliæ gemmæ læves omnes, pulverulenta, & quævis alia, quæ in oculum inciderunt, si hinc inde volvatur, una secum educit. Ignem ex illa excuti, ut ex cote aiunt, ac affrictu ita calefieri, a ut vix credi possit.

*Ad comitiales.*

a De

a *De Onyche plura tradunt Georgius Agricola lib. VI. de Natura Fossilium Cap. XX. Andreas Cæsalpinus de Metallicis lib. 2. Cap. 26.*

## CAP. XCIV.

### *Imitatio Onychis, seu adulterium.*

ONyx simplicior vix unquam solet ab aliquo imitari. Illa vero quæ corpus album à nigro distinctum habet quam sæpissime: ut nempe cælata, postea pro Cameo divendi possit. Fit autem hoc modo conchæ paruæ marinæ, quibus mulieres Italicæ ad fucum utuntur, in pollinem redigantur, ac in succum limonum, aliquoties per filtrum depuratum, ponantur, ita tamen ut succus tribus, aut quatuor digitis supra natet. Sinatur ita per decem dies succus bene coopertus in calore. Postea effunde succum, residentiam aqua elue, ac tere in Porphiritide albumine ovi, prius optime conquassato, ac in formas proiicito. Postea non formatam partem externam, optime expolito, ut supra stratum nigrum optime, & dextre collocari possit, & fraus non cuivis facile innotescat. Inter terendum alii colores optime triti addi possunt, ita ut Sardonyx hac ratione etiam fingi possit, nec minus aliæ gemmæ, aliive lapilli pretiosi. *Camei imitatio.*

## CAP. XCV.

### *De Achate.*

PRoxima forma, & coloribus Onychi Achates. Onyx zonis ornata est, Achates nequaquam. Nam loco zonarum lineas, aut maculas variis coloribus, quæ variarum rerum imagines exhibere videntur, à natura mirabili modo exornatur. Inve- *Differentia ab Onyche.*

niuntur enim quæ nemora, flumina, arbores, animalia, fructus, flores, herbas, nubes, & quicquid excogitari possit non obscure referant. Celebratur ab authoribus Pyrrhi regis Achates, in qua spectabantur novem Musæ, & Apollo cytharam tenens, non arte, sed sponte ita discurrentibus maculis, & coloribus, ut Musis quoque singulis redderentur insignia, non secus ac si arte elaborata fuisset. Huic similis est Achates, quam refert *a* Camillus Leonardus Pisaurensis se vidisse. Quæ septem arbores in planitie collocatas pulcherrime referebat. Ego apud me servo Achaten, quæ non maior ungue medii digiti, circulum ita exacte fusco colore notatum habet, ut circino perfectior exarari non posset. In circuli medio Episcopi cum mythra effigies exacta apparet. Deinde si paululum invertatur alterius imago visitur. Quod si iterum vertatur duæ imagines apparent, & mulieris, & viri; alioque modo inversa adhuc alia, ita ut aliquot effigies mirabili naturæ artificio in illa conspiciantur. Sed aliquæ ita leviter coloribus tinctæ sunt, ut perspicacem oculum desiderent.

*Pyrrhi Achates.*

*Achatis mira forma.*

*Differētia à Iaspide.*

Differt Achates à Jaspide duritie, & lævore. Jaspis enim etsi omnes colores habeat, quos Achates, tamen mollior est, ac ex crassiori terrestri materia conflata, & Achate magis opaca, quæ ex tenuiori constat: ob quam causam exacte poliri à sculptoribus potest. Jaspis semper pulverulentum quid in se habere videtur, neque alia differentia est inter Jaspidem, & Achaten. Interdum Achates semitranslucet, quod in ea laudatur.

*a Libro 3. Cap. 3. Specul. lapid.*

Cap.

## CAP. XCVI.

*Genera, loci natales, & magnitudo Achatum.*

QUia infinitis coloribus variat Achates, hinc fit multa nomina apud veteres habuisse. Vocatur enim Phassachates, Sardachates, Hæmachates, Cerachates, Leucachates, Dendrachates, Antachates, & Perileucos, Leonina quæ leonis pelli similis est, ac Italis *Brocatella* vocatur. Nomina partim à colore, partim à forma quam referunt, partim ab aliis gemmis, quibus admixta est Achates, dantur. Ab adnata illi Sarda, Sardachates, à colore albo Leucachates, à forma arboris quam refert, Dendrachates vocatur, & Corallachates à Coralli forma. *Brocatella.*

Omnium pulcherrimas Achates nobis India mittit. Primum in Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis dicuntur inventæ. Nunc in Germania sub ditione Landtgravii à Lichtenberg, non procul ab oppido Schindthutten, magna illarum copia invenitur, quæ ita interdum excellunt, ut cum Orientalibus certare possint, & pro iis vendantur. Verum tales non ita passim sese offerunt. In agris reperiuntur. In Bohemia etiam non procul ab Argentina civitate Leucachates, punctulis nigris, vel purpurei coloris insperſis, quæ elegantissima est, reperitur. Achates tanta mole excrescit, ut pocula, & scyphi inde fieri possint. Pisis duæ crustæ ovatæ amplitudine ferme cubitali ad monumentum Gregorianum in campo Sancto dicuntur extare.

## Cap. XVCII.

*Natura, facultates, & proprietates Achatis.*

OMnem Achaten venenis pestiferis, viperarum, atque scorpionum ictibus adversari tradunt complures. Cor enim recreat, ac adversus omne genus contagii tuetur. Sitim Achates ore contenta, manuque detenta febrientium æstus non obscure compescit. Narratur aquilam nido suo Achaten imponere, ut pullos contra animalium venenatorum morsus tueatur. *a* Scribunt aliqui rubram Achaten visum acuere, ac ab omni iniuria defendere.

*Ad cor, & contagia.*

*Ad febres.*

a *De Achate multa Orpheus lib.* περὶ λίθων, *laudes eius quater repetens, quasi gemmæ maximæ dignitatis. Idem Psellus de Lapidum virtutibus (post caput 4. huius libri citatus) affirmat Achatem oculorum fluxionibus, & capitis doloribus mederi, & sistere mulierum menstrua, adversarique omni humidæ hydropisi, tantumque virtutis siccificæ ei inesse, ut & aquam ebibere possit, & vas vacuum relinquere. Quod ultimum falsum existimo.*

## Cap. XCVIII.

*Dignitas, valor, usus, & fictio Achatis.*

OLim in magna authoritate fuit Achates, nunc multum dignitatis propter copiam illi discessit, ut solent quæ nobis familiaria sunt in contemptum venire. Nihil enim charum nisi rarum. Pocula adhuc hodie ex Achate fiunt, quæ si ex eleganti, ac semiperspicuo Achate elaborata sint, sat magno æstimantur pretio, nec viliores sunt Sardoniche.

che. Vidi fruſtum duarum palmarum latitudine, cui Julii Cæſaris imago, ac uxoris ipſius ita artificioſe olim inſculpta fuerat, ut octo millibus thalerorum venditum fuerit. Sed antiquitas operis augebat pretium. Utuntur hodie Achate ad coronas precarias, quæ etiam virginum colla, & pectora exornant in Belgio. Ibi enim loco aurearum cathenarum in luxu ſunt, propter miram, quam habent variis coloribus, elegantiam. Onychis pretio æſtimantur, ſi vero colores obſcuri, aut aliis vitiis maculentur, illis viliores ſunt. Artifices hanc vitro imitari ſolent, cui diverſos immiſcent colores. Sed facillime deprehenditur fraus, quod Achates limam reſpuat, ac illius ſuperficiei, propter lævorem ſordes non adhæreant.

## CAP. XCIX.

### *De Beli Oculo, ſeu Oculo Cati, & Leucophthalmo.*

DIffert hæc gemma multum à Pſeudopalo, quæ *a* Cardano Oculus Cati appellatur, & à *b* Garſia ab Horto deſcribitur. Quia hæc prorſus opaca eſt, & Achatis ſpecies, peculiare tantum nomen habens, quia figura oculi, quaſi arte depicta in ea diſtinctis coloribus apparet. Corpus enim gemmæ album eſt, in cuius medio nigrum quid pupillæ inſtar, ab iride dilutioris coloris obcingitur, ut plane Oculus videatur. In Pſeudopalo non ita colores diſtincti ſunt. Sed quia ex parte pellucet, ac intus colores aliqui ut in oculo felis, vel cati ſcintillant, nomen hoc illi datum eſt. Solet hic maiori pretio, quam Achates divendi, quia non tanta copia haberi poteſt. Oculis imprimis putatur ſalutaris, quia eos ab omni iniuria tuetur, ac à pulveribus, aliiſque ſordibus liberat, ſi illis imponatur, & huc illuc volvatur.

*Pſeudopali differentia à Beli oculo.*

vatur. Una enim omne impedimentum educit. Fuit Beli Oculus olim Assyriorum Deo dicata.

*Lycophthalmus.* Huic similis videtur Leucophthalmus (ego lego Lycophthalmus) gemma de qua *c* Plinius lib. 37. cap. 2. rutila alias, oculi speciem candidam, nigramque continet, & mox sequenti capite. Lycophthalmos quatuor est colorum, ex rutilo, & sanguineo in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia similis. *Triophthalmos.* Triophthalmos *d* Plinii tres oculos habet, & proculdubio ad Achatis species referenda est. Nam interdum oculorum effigie luxuriant.

a *Libro* VIII. *de subtilitate.*
b *Libro* I. *Aromatum, & simplicium historia cap.* 54.
c *Hic Plinii locus male ab Auctore est citatus, nam habetur lib.* 37. *Naturalis historiæ cap.* X. *littera m m.*
d *Libro* 37. *cap.* XI. *littera b.*

## Cap. C.

### *De Iaspide.*

IAspis, ut dixi, ab Achate non differt, nisi quod mollior sit, & propterea non ita exacte poliri ut Achates possit. Causa est impurior, & crassior terrestris materia unde coaluit. Omne genus coloris recipit ut Achates. Notissima gemma est, neque tam perspicua, quam Achates, ut plurimum viridis. Quo Smaragdo vicinior, eo nobilior.

## Cap. CI.

### *Genera, loci natales, magnitudo, & mixtio cum aliis gemmis.*

PRopter colores varios quos habet Iaspis diversa habet nomina, aut in diversa genera discernitur.

Alo-

A loco ubi reperitur etiam illi nomina data sunt. Deinde à commixtione cum aliis gemmis, à fumi, terebinthinæ, aëris, & rosarum colore, Capnitis. Therebinthiusa, Æriusa, & Rosea vocatur. A loco natali Thermoduntiaca, Phrygia, Thracica, Calcidica, Assyria, (alias Grammatias, vel Polygrammos virens, & Smaragdo quadantenus similis pellucens crassiori tamen materia, purpureum quoddam in se continens, albaque linea interdum signata) Persica, Cappadocica, Indica, Cypria, Americana, & Germanica vocatur. A commixtione cum Achate Jaspachates, cum Onyche illa quæ nivem imitatur, ac Crystallo similis est (quam hodie Calcedonium vocant) Jasponix à Plinio appellatur. Quæ cum Sarda miscetur Sardo Jaspis dici potest. Cum variis enim gemmis coalescit. Habeo unam quæ Amethistum, Sardam, Calcedonium distinctis locis in se habet. Invenitur in multis Germaniæ locis. Coræ in Misnia effoditur sanguineo, & flavo colore, ad strygam è duobus Lygiorum montibus Turcoidi non absimilis (Borea forte Plinii) & ad Salam nigra rubens, item ad Pagum Cauffungam rubra, sed spuria, multisque aliis in locis extrahitur. In Bohemia rubras, sanguineas, purpureas, albas, variisque coloribus intermixtas, ac pulcherrimas, mirabilique naturæ artificio compositas, collegi quamplurimas. Tanta mole reperitur, ut magnæ statuæ ex ea elaborari possint. *Borea.*

## CAP. CII.

### *Natura, facultates, & proprietates Iaspidis.*

JAspidi ratione coloris ab authoribus diversæ facultates tribuuntur. Rubicunda mirifice sanguinis fluxum cohibet, non solum è naribus, & hæmor- *Ad sanguinis fluxum.*

morrhoidibus, verum è vulneribus fluentem. Sed ea eligenda, quæ sanguinis instar, per totum corpus absque alio colore rubet. Testari possum me, qui alias lapidibus, & gemmis tantas vires, quantas vulgus solet, non tribuo, cum in Phrisia Orientali apud Illustrissimum Baronem à Kniphausen ad aliquod tempus degerem, credibile vix de Jaspidis viribus observasse. Nam cum ancilla dominæ fluxu mestruorum ita laborasset per aliquot dies, ut nullo modo sisti posset. Jaspidem rubram quam Dominus multis annis, ut aiebat, apud se habuerat, impolitam, & rudem femori alligari iussi. Quo facto, subito mensium fluor substitit, nec rediit. Alius ex ipsius familia cum in pede vulneratus esset, nec sanguinis fluxus cohiberi posset, admoto lapide, extemplo impeditus fuit, licet vulnus non tegeretur. Memini me virginem Pragæ curasse, quæ sex annis hæmorthagia laborauerat, ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret quin aliquoties illi sanguis efflueret. Hæc cũ nullis remediis iuvari posset, à me consilium petiit. Qui prætermissis aliis omnibus, quæ à medicis præscribi solent, utpote quibus ad nauseam iam diu usa fuerat, Iaspidem, cuius facultas ad huiusmodi symptomata mihi experientia nota erat, illi commodato do, ut collo appensam gerat. Paret illa, sanguinisque fluxus ilico sistitur. Gestat per aliquot hebdomadas, nec redit fluxus. Cum itaque se prorsus curatam opinaretur, deponit gemmam, post paucos dies redit fluxus, iterum appendit Jaspidem, cuius beneficio mox liberatur. Cum vero singularem huiusmodi facultatem, & divinam miraretur (ut mihi retulit) experiundi gratia aliquoties à collo deposuit gemmam, ac semper animadvertit redire fluxum, nec curari, quin iterum appenderet. Observavit tamen

*Experientia Iaspidis.*

non

non statim seposita Jaspide redire, sed post multas prius elapsas hebdomadas, appensa tamen, statim sisti, ita ut nulli aliæ causæ fluxus inhibitio asscribi ab illa potuerit quam Jaspidi. Tandem cum per aliquot menses à corpore gemmam deposuisset, nec unquam hæmorrhagia rediisset; mihi gemmam reddidit, ac affirmavit per semianni spatium se liberam fuisse. Postea cum illam sæpius convenirem, affirmavit non redire amplius fluxum, ac se omnino curatam esse. Tribuunt alii etiam viridi Jaspidi, quæ maculas rubicundas habet hanc facultatem, sed ego quod multoties expertus sum refero. *a* Viridis collo ita appensa, ut circa ventriculi orificium pendeat, stomachum firmare, nauseam, vomitumque prohibere, ac calculos, urinamque pellere traditur. Jaspis omnis conceptum firmat, partumque femori alligata promovet. Gestata febres, & Hydropes quæ vel à debili concoctione, vel à sanguinis nimio fluxu oriuntur, ne fiant, corroborando ventriculum, & sanguinem sistendo, prohibet. Novus medicus etiam epilepsiam viridem Jaspidem arcere affirmat, idque & nunc à multis asseritur, qui si circa ensiformem cartilaginem per diem, & noctem ab epileptico gestetur, aiunt si sudore corripiatur liberari à paroxysmo, sin minus emori, idque multoties fuisse probatum. Vires has omnes augeri putant, si argento includatur, non alteri metallo. Cogitationum etiam tumultum, inconstantiam, quæ ex sanguinis impetu oritur prohibet. Calculi etiam generationem si portetur omnino arcere vulgo creditur. In quem scopum insculpitur illi scorpionis figura ea hora, qua Sol scorpionem ingreditur. Hoc enim tempore dum scalpitur putant à cœlo peculiares vires ad calculum prohibendum suscipere, sed figuram quæ neque

*Ad impediendum abortum.*

*Ad epilepsiam.*

*Ad cogitationes.*

*Ad calculum.*

neque qualitas, neque substantia est aliquid posse, & superstitiosum, & stultum est existimare, ut suo loco in titulo quales vires gemmæ habeant explicavi. Jaspis Grammatias, aut Polygrammos appellata, quæque virens Smaragdo persimilis est, ac purpureum in se quid continere videtur, albaque cingitur linea ad venena quævis, ut & aliæ omnes ad venena quævis pro amuleto gestatur. Grammatias si albas duas lineas decussatim, ut crucis figuram referant, habeat, prædicatur, ferentem contra aquæ iniurias, & submersionis periculum tueri. Cruciferæ Jaspides quæ in Misnia inveniuntur virides, quales multos in scrinio rerum exoticarum apud ducem Saxoniæ vidi, eandem ad aquæ pericula dicuntur habere facultatem. Casum impedire, & excipere Jaspidem gestatam, ac sudorem compescere multi credunt. Jaspis dragmæ pondere devorata menses sistere scribitur.

*Grammatias.*

*Ad venena.*

*Cruciferæ Iaspides.*

a *Aëtius lib. 2. tetrabibl. cap. 18. Iaspidis Viridis meminit. Cuius hæc sunt verba: Iaspis Viridis proprietate quadam, velut alia multa, collo suspensus stomachum & os ventriculi iuvat, annulis quoque quadam imagine insculptus alligatur, sicut Nechepson Ægyptiorum Rex prodidit: ego autem experientia compertum habeo, amuletum ex eo collo alligatum, ut os ventriculi attingat, nihil segnius agere, ac si imaginem sculptam habeat, quam tradit Nechepson. Author noster (cap. 26. lib. 1.) ut Aëtius optime animadvertit, rationibusque summis probat, Imagines, & characteres, nullas vires lapidibus infundere.*

Cap.

## CAP. CIII.

### *Dignitas, usus, valor, & imitatio Iaspidis.*

IAspides propter colorum varietatem, & elegantiàm, variasque imagines quas exprimunt, quibus tanquam picturis ludit natura, ut olim non in minori authoritate quam Achates fuere, ita & nunc nisi in tanta copia reperirentur essent. Olim Grammatias quæ apud Indos reperiebatur, ac aliquid purpurei admixtum interiecta alba linea habebat, cæteris præferebatur. Secundum locum habebat quæ roseum quiddam nacta erat. Tertium quæ Smaragdum imitabatur. Quartum quæ sereni cœli colorem referebat. Nunc Orientalis Jaspis, quæ subcæruleo, viridique colore obscura, sanguineis punctis conspersa est, cæteris omnibus præfertur. Hæc si semiperspicua est, vulgo Heliotropii nomen habet, de quo Jaspide sequenti capite agam. Jaspis ad sigilla, hominum effigies, cochlearia, pocula, cultrorum capulos, coronas precarias, variasque res alias formandas, in usu est. Jaspis Achatis pretium non superat, quia illius elegantiæ cedit. Quæ tamen à natura variis coloribus, figuris, aut imaginibus ornata est, venditoris arbitrio æstimatur. Habeo tales quam plurimas quæ mihi tam gratæ sunt, ut iusto, & ordinario pretio non sint venales. Vidi in scrinio Imperatoris Rudolphi secundi Domini mei clementiss. quasdam, nemora, palustria loca, arbores, nubes, & flumina ita naturaliter referentes, ut procul aspicienti non lapis, sed pictura putetur. Hæ ab Imperatoria Maiestate in tanta authoritate sunt, ut ex compluribus, quæ diversos colores habent, invicem rite applicatis, mensæ supremum folium extrui iusserit. Id variis gemmis exornatum,

*Heliotropius.*

*Vsus.*

*Pretium.*

*Mensa Rudolphi II Imperat.*

natum, variorum locorum, fluminum, arborum, montium, civitatum, ac nubium figuras picturæ instar ita exacte refert, ut non satis quis naturæ artificium, & artificis diligentiam, solertiamque admirari possit. Jaspides enim ita connectere potuit, ut connectionis lineæ vel non appareant, vel ad rem faciant, picturæque munere, dum extremos arborum, ædificiorum, vel montium ambitus faciunt, fungantur. Multis annis laboratum fuit ut opus dictum absolueretur. Id cum pretiosissimum sit, quia multis aureorum millibus constat, ac admirandum, quod naturæ artificium, ac artificis solertiam ostentet, inter mundi miracula recenseri, ac cum templo Dianæ Ephesiæ comparari absque iniuria potest. Jaspides itaque ut aliæ gemmæ, quæ figuras sibi à natura inditas habent, inæstimabiles sunt, ac venditoris arbitrio pretium illarum committendum est. Jaspis quia copiose invenitur imitationem non meretur. Imitari tamen vidi à milite Hastato Imperatoris ita artificiose, ut non nisi duritie cognosci potuerit. Credo ex gypso, calce, lapidum pulvere, & sero lactis, addito glutine massam fuisse. Hanc variis tingebat coloribus, deinde dum pro mensæ folio Jaspidem imitari vellet, inter quatuor ligna quadrangula, ne ad latera efflueret materia, ponebat massas variis coloribus tinctas, pultisque instar diffluentes, atque antequam indurescerent, bacillo hinc inde ducto movebat, eoque modo colores, tanquam per anfractus, ducebantur, venasque naturales Jaspidis referebant. Poterat idem artifex quas volebat figuras ita formare: imo lapidem à se factum, & politum excavare, ac frustum alterius coloris ad libitum inserere, quod ita coalescebat, quasi ab initio illi commixtum fuisset. Ex huiusmodi artificiosis lapidibus colum-

*Imitatio Iaspidis.*

næ,

næ, ac ſtatuæ fieri poſſunt, multo elegantiores Jaſpidibus, quas longa ætas duriores reddit. Fortaſſis antiqui ſimili uſi ſunt artificio.

## CAP. CIV.

### *De Heliotropio.*

HEliotropius gemma à Sole nomen habet, ἥλιος Solem, τροπὴ verſionem ſignificat. Cauſam nominis explicat *a* Plinius, quia videlicet in vas aquæ proiecta, fulgorem Solis accedentem percuſſu, ſanguineo mutat, maxime Æthiopica. Gemma eſt viridis ſanguineis punctis, vel venis diſtincta, ac hodie Jaſpis Orientalis vocatur, apud nonnullos priſtinum nomen retinet, præſertim cum ex parte tranſlucet. Hac enim ratione peritiores gemmarii à Iaſpide diſtinguere volunt.

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera m m.*

## CAP. CV.

### *Genera, loci natales, magnitudo, & quomodo naſcatur Heliotropius.*

VIlioribus Jaſpidibus, & Praſiis adnaſcitur, vel innaſcitur, aliquando mater Praſii, vel Smaragdi, aliarumque viridium gemmarum eſt. Aliquæ ſunt Indicæ, Æthiopicæ, Africanæ, & Cypriæ, *a* teſte Plinio. Germania & præcipue Bohemia illis non caret. Afferuntur etiam ex India Orientali. Tanta magnitudine reperiuntur, ut ſarcophagi, quibus mortuorum corpora teguntur, inde excindi poſſint. Vidi enim in cathedrali Eccleſia D. Donatiani nobiliſſimæ urbis Brugenſis patriæ meæ, poſt ſummum altare, huiuſmodi Heliotropium. Ea

*Heliotropii magnitudo. Bruga.*

ex Italia advecta fuerat, ac postea, cum, qui se reformatæ religionis vocant, templa spoliarent, furto ablata est. Paucis hæc gemma nota erat.

a *Loco, capite præcedenti, citato.*

## Cap. CVI.

### *Dignitas, valor, & usus Heliotropii.*

Lapis iste, aut gemma, si à Jaspide distinguitur, maiorem habet Jaspide authoritatem, nisi illa imaginibus à natura formata sit, tum enim, ut dixi, quovis pretio æstimari potest. Poculum ex hoc lapide efformatum 200. thaleris vendi potest. Minores duplo cælaturæ pretium raro excedunt, hac ratione Jaspidibus vulgaribus paulo nobiliores. Ex hac gemma, ut ex Jaspide varia efformantur.

## Cap. CVII.

### *Natura, facultates, vires, & imitatio Heliotropii.*

Plinius ait, ut antea monui, gemmam hanc in vas aquæ deiectam, fulgorem Solis accedentem, percussu sanguineo mutare. Alii positam in aqua radiis Solis opposita, efficere, ut illa ebulliat, ac in nebulam versa, postea in guttas pluviales resolvatur. Nonnulli etiam existimant impedire, quo minus gestans, à præsentibus conspiciatur, quod tamen Plinius, à magorum impudentia fictum, non approbat. Certum enim est nullam gemmam id efficere naturali sua facultate posse. Effectus etiam prædicti de Sole à nostri seculi Heliotropio non fiunt, ita ut veterum Heliotropius vel alia fuerit, vel illi falso huiusmodi facultates adscriptæ fuerint.

Hodiernam Heliotropium, omnes vires Jaspidis habere,

habere, nemini dubium esse debet. Venenis enim resistit, sanguinem undecunque fluentem sistit, calculi generationem prohibet, ventriculi coctionem auget, & epilepsiam arcet. Fingitur ut Jaspis, sed rarius, quod variis imaginibus, & coloribus non luxuriet ut illa. Dum viridi colore, ac sanguineis guttulis caret, Heliotropii nomen non habet, & ad aliud genus gemmæ referri debet.

## CAP. CVIII.

### *De lapide Nephritico.*

UT Heliotropius inter Jaspidis species numeratur, ita etiam lapis Nephriticus. Deinde ut variis coloribus Jaspides habentur, ita etiam lapides Nephritici. Ea differentia inter Jaspidem, & Nephriticum statui potest, quod hic durior sit Jaspide, & nunquam quicquam rubedinis in ipso conspiciatur: deinde quod non exacte poliri possit. Semper enim ipsius superficies pinguis quasi oleo inuncta esset, videtur. Raro hic lapis in se duos colores habet: plerunque uno tantum colore, etiamsi magnus sit, tingitur, ac fere semper is color in ipso spectatur, qui ex albo, & viridi simul mixtis coaluit. Dum in planitiem non crassiorem minimo digito redigitur obscure transparet, vocatur ab Italis *Osiada* à sciatica, quod gestatus illam curare credatur. Belgice *een kalsvvee*, & Germanice *ein kalssuvvyn*, Gallice *vne Siadre*, corrupto vocabulo Italico.

## Cap. CIX.

### *Genera, loci natales, magnitudo, & quomodo naſcantur.*

SI colorum diverſitas varia genera conſtituit, varia erunt Nephritici lapidis genera. Inveniuntur enim ex albedine vireſcentes. Viriditas autem interdum ſubflava, interdum ſubcærulea videtur, plerunque ex viridi; albo, flavo, cæruleo, & nigro colore mixtio eſt; non quod omnes iſti ſimul miſceantur, ſed aliqui tantum. Hinc fit tam diverſi coloris inveniri. Habeo apud me multa genera, inter cæteros unum Cryſtalli inſtar, ſed alba nubecula perſpicuum quem à viridiori, cui adnatus erat, ſeparari iuſſi. Solet Jaſpidi, aut Praſio interdum adnaſci. Sæpius tamen ſolitarius (ut Cotes in agris) coaleſcit. Tanta mole invenitur, ut pocula inde fieri poſſint. Adfertur ex nova Hiſpania. In nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, & in Bohemia reperitur, ſed paucis adhuc notus eſt. Quia à lapidariis imperitis, vel pro Smaragdo Praſio, vel pro Jaſpide habetur.

## Cap. CX.

### *Natura, proprietates, facultates, dignitas, valor, & uſus Nephritici lapidis.*

ETſi Nephriticus lapis inter gemmas locum habere non deberet, quia viſui non adeo grata eſt, tamen propter mirandam, & ſtupendam multorum experientia approbatam facultatem, ſummam habet apud Principes, & Regulos authoritatem. Vidi fruſtum apud gemmarium Imperatoris Rudolphi Domini mei clementiſſimi, mille ſexcentis

tis thaleris coëmptum, ex quo poculum satis amplum formatum fuerat. De hoc lapide hæc, scribit Nicolaus Monardes medicus Hispalensis. Nephriticum lapidem gestant Indi variis formis effigiatum, alios piscium forma, alios avium capitibus, alios psittaci rostris similes, nonnullos rotundos sphærularum modo, atque omnes perforatos, quoniam Indi eos appensos gestare etiam olim, adversus Nephritidis, aut stomachi dolores, in quibus morbis valde commendatur, solebant. Sed eius præcipua laus est ad Nephriticos dolores, & calculum expellendum, & arenulas. Nobilis mihi notus unum habet, cui nullum alium comparandum vidi, nam eum brachio gestans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut metuens ne ei noceat tanta eiectio, interdum eum deponat, nullumque amplius calculum eiicit. Sed cum dolor eum premit, denuo eum gestat, & statim levatur, aut minuitur dolor, multarum arenularum, atque etiam calculorum expulsione. Ea etiam facultate præditus est, ut ab eiusmodi dolore præservet gestatus, renum calorem mitigando. Ducissa Beiar ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide sibi confecit, quam perpetuo gestat, ex eo tempore, quod decennium superat, eo dolore nunquam vexata est. Alii multi senserunt idem levamen, eamque ob causam magno in pretio sunt huiusmodi lapides, nec uti initio, tam facile acquiri possunt; quod soli earum provinciarum Reguli, & Domini eos possideant, nec immerito, cum tam admirandæ sint illorum facultates. Hactenus Monardes. Ego Nobilissimum virum N. Dammannum ordinis aurei velleris Heroaldum (cuius atavi, nostræ familiæ ante multos annos iuncti fuerunt, & propterea agnatum meum) sæpe

*Ad Nephritin.*

referentem audivi, se Nephritico lapide, quem à fratre in aula Philippi Hispaniarum regis degente acceperat, plurimos qui nullis medicamentis curari poterant, subito lapide brachio admoto circa carpum, ubi interna manus pars initium habet, non sine medicorum admiratione curasse. Erat lapis obscure viridis, opacus non secus ac si quis viridi colori nigrum immiscuisset. Punctula etiam nigra in ipso ut in Ophite conspiciebantur. Argento illum includi iusserat, ita enim maiorem facultatem habere asserebat. Istum omnibus aliis quos habebat præferebat, Pragam missus ab Hispaniarum rege ut aurei velleris ornamenta offerret principi Transilvaniæ, venalem casu invenit Nephriticum lapidem, vitriolo vulgari colore, & transparentia ita similem, ut vitriolum videretur. Efformatus is erat instar columnulæ ad longitudinem medii digiti, teres, in altera extremitate duabus ansulis munitus, ut adhærere facilius posset, carni insertus. Nam hunc esse illum lapidem, quem nobiliores Brasilienses cum in publicum prodeunt, labiis ab adolescentia perforatis imponunt, asserebat. Quod profecto solerti coniectura coniecit. Omnibus enim notis respondet illi, qui à Gesnero describitur, & quem Oripendulum appellat. Ab hoc Jaspide frustulum abscindi iussit, quod mihi dono dedit, ac pro Nephritico habebat, Pseudosmaragdi, aut Prasii genus potius videtur. *a* An vero Nephriticus lapis urinæ movendæ facultatem habeat, ut ille asserebat, nondum mihi constat.

*Oripendulum.*

Lapides Nephritici in magno pretio sunt, quia non facile haberi possunt. Vidi non maiores semithalero qui 100. coronatis æstimati fuerunt. Pro illorum viribus augetur pretium. Brachialibus inseri solent, ad mulierum ornamenta, morbosque arcen-

arcendos, ut aliæ gemmæ, quas ſanitatis appellant. Imitatio inutilis eſt, cum non elegantiæ, ſed virium cauſa appetatur.

a *Clariſſimus D. Augerius Clutius Medicinæ Doctor, & Botanicus inſignis apud Amſterodamenſes, totum libellum de Lapide Nephritico, ſive* Calſwee, *eiuſque facultatibus edidit.*

## CAP. CXI.

### *De Malachite, vel Molochite.*

MOlochites ad Jaſpidis, vel Praſii ſpecies referri poteſt, opaca eſt maluæ inſtar viridis, unde nomen habet. Malua enim Græce μαλάχη vocatur. Venis albis plerunque ornatur, cæruleuſque color intermixtus illi gratiam dat, ater, quo ſæpe maculatur, illam deturpat. Invenitur in Cypro, in Miſnia, & comitatu Tyrolenſi, adnaſcitur fere chryſocollæ, quam Germani *Berggrüen* vocant. Habeo fruſtum, quod ex Malachite, ac chryſocolla coaluit ita, ut chryſocolla mater ipſius videatur. *Locus ubi invenitur.*

## CAP. CXII.

### *Genera.*

GEnera videntur poſſe conſtitui quatuor, ut primo contineantur, quæ plane abſque aliis coloribus exacte foliorum maluæ recentium colorem referunt. Secundo quæ albas venas habent, ac maculis nigris inficiuntur. Tertio quibus cæruleus color diſtincte intermixtus eſt, ac ſi ex Lapide lazuli, & Molochite lapis conſtaret. Quarto quæ ad colorem Turcoidis accedunt: quas cæteris præſtantiores exiſtimo. Tanta magnitudine excreſcit, ut exigua *Magnitudo.*

exigua pocula, aut cultrorum manubria inde fieri possint. Palma manus maiorem nunquam vidi.

## Cap. CXIII.

### *Dignitas, valor, & usus Molochitis.*

Quia non admodum grata aspectui est Molochites, exiguam habet authoritatem, raroque annulis, aut auro fastus gratia includitur. Sanitatis causa cum aliis lapidibus ignobilioribus ad brachialia admittitur. Prædicatur enim maximas habere vires, & facultates. Gestantem nempe defendere ne tonitru, vel fulmine lædatur, ne in animi perturbationem incidat, ne contagium ab alio accipiat, neve fascinetur, ob quam causam pueris appenditur, qui hac ratione à terriculamentis diurnis, vel nocturnis, ac omni fascinatione tuti existimantur. Superstitiosi, & magi qui se solos sapientes opinantur Solis figuram lapidi insculpunt, ut ab incãtationibus, malis spiritibus, ac venenatis animalibus securi sint. Ad syncopen, sevos dolores compescendos, hernias, & casus impediendos, pro amuleto habetur. Pulvis cum lacte propinatus fertur cardialgiam, & colicam sanare, forte purgando. Nam à quodam amico accepi sex granorum pondere antimonii instar purgare, quod tamen nunquam experiri ausus fui. Idem pulvis adiecto melle epotus, fertur menstrua promovere, vulneribus insperſus sanguinem sistere, linteolo humido impositus, ac parti spasmo affectæ, applicatus, eundem curare. Nec non vino ardenti commixtus ulcera virulenta curare perhibetur. Puerorum convulsiones arcet gestata, eosque à nocivis casibus tuetur. Ventriculo etiam applicata. Cratone teste, eum corroborat, nec immerito, cum *a* Galenus Jaspidi viridi

*Ad tonitru.*

*Magorum superstitio.*

*Ad syncopen.*

*Ad cardialgiam, & colicam.*

*Purgandi vis.*

*Ad spasmum.*

*Epilepsiã.*

*Ad ventriculi robur.*

viridi hanc facultatem tribuat, ac ista gemma olim pro Jaspide habita fuerit, & forte hæc illa sit, quæ ad ventriculi robur conciliandum ab antiquis ita decantata fuit. Achati pretio, & valore par est.

a *Libro* IX. *de simplicium Medicamentorum facultatibus.*

## CAP. CXIV.

### *De Turcoide.*

INter opacas gemmas omnium nobilissima est Turcosa, Turchina, vel Turchesia Germanice *ein turkes*, omnibus nationibus eo nomine notissima, quod à Turcis ad nos feratur. Multi inter Jaspides numeratam olim existimant, eamque esse, quam *a* Plinius Boream, ac Græci, ἰάσπις ἀρειζῶσα, alii Calaidem appellant, quamque *b* Mesues Feruzegi corrupto nomine (propter literarum vicinitatem in lingua Arabica) à peruzaa quod Turcoiden Arabica lingua significat, vocat. Colorem hæc gemma, ex viridi albo, & cæruleo compositum, habet, ac omnino exacte si præstans sit Æruginis colorem, quam vulgo viride æris vocant, refert. *Boreas.* *Feruzegi.*

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* 8. *littera f.*
b *In descriptione Electuarii de Gemmis.*

## CAP. CXV.

### *Genera, loci natales, & magnitudo.*

TUrcoidis duo genera statuuntur. Orientalis, & Occidentalis. Orientalem vocant cuius color ad cæruleum potius, quam viridem tendit. Occidentalem, quæ magis vireſcit, aut plus æquo albicat.

Reperiuntur primi generis in Persia, ac India Orientali, secundi in Hispania, Germania, Bohemia, & Silesia ad Strigomum urbem in prato Isere. In Persia lapidibus nigris adnascitur, quasi excrementum, aut illorum transudatio esset, ibique in maxima copia reperitur. Raro nucis iuglandis quantitatem excedere visa est. Tantæ magnitudinis fertur esse in repositorio magni ducis Hetruriæ, ac in ea exsculpta Caii Julii Cæsaris effigies esse dicitur. Ego maiorem nuce avellana nunquam vidi. Porro Orientales duplices sunt, aliæ colorem servant perpetuo, illæque vocantur de rupe veteri, aliæ paulatim colorem amittunt, ac virideſcunt, ac de rupe nova vocantur.

*Magnitudo.*

## Cap. CXVI.

### *Natura, proprietates, & facultates Turcoidis.*

*Ad casum.* Oculos, & spiritus corrobare gestata Turcois creditur. Maxime autem ad casum commendatur, quem ipsa excipere ne gestans lædatur ab omnibus creditur. Quæ sane facultas, & proprietas omnem rationem superat. Ego sancte affirmare possum me unam aureo annulo inclusam perpetuo gestare, cuius facultatem (si gemmæ est) nunquam satis admirari potui. Gestaverat eam ante triginta annos Hispanus quidam non procul à paternis ædibus habitans. Is cum vita functus esset, & ipsius suppellex (ut moris apud nos est) venum exposita esset. Inter cætera etiam Turcois exponebatur. Verum nemo (licet complures eo concurrissent, ut eam propter coloris elegantiam quam vivo domino habuerat, emerent) sibi emptam voluit. *a* Pristinum enim nitorem, & colorem prorsus amiserat, ut potius Malachites, quam Turcois videretur. Aderat

tum

tum temporis gemmæ habendæ desiderio etiam parens, & frater meus qui antea sæpius elegantiam, & gratiam ipsius viderant, mirabundi eam nunc tam esse deformen. Emit eam nihilominus pater, satisque vili pretio, quia omnibus contemptui erat, ac præsentes non eam esse, quam Hispanus gestarat, arbitrarentur. Domum reversus pater, qui tam turpem gemmam gestare sibi indecorum putabat, eam mihi dono dat, inquiens. Quandoquidem, fili mi, vulgi fama est Turcoidem, ut facultates suas exercere possit, dono dari debere, tibi eam devoveo. Ego acceptam gemmam sculptori trado, ut gentilitia mea insignia illi, quemadmodum fieri solet in Jaspide, Calcedonio, aliisque ignobilioribus gemmis, insculperet. Turpe enim existimabam, huiusmodi gemma ornatus gratia, dum gratiam nullam haberet, uti. Paret sculptor, redditque gemmam, quam gesto pro annulo signatorio. Vix per mensem gestaram, redit illi pristinus color, sed non ita nitens propter sculpturam, ac inæqualem superficiem. Miramur omnes gemmam, atque id præcipue, quod color indies pulchrior fieret. Id quia observabam, nunquam fere eam à manu deposui, ita ut & nunc adhuc eandem gestem. In casu admirandas illius vires (si ab illa procedant) observavi. Nam cum Patavio ubi Doctoratus gradum acceperam, eques redirem in Bohemiam, post Solis occasum conductitius comes, ut viam ostenderet, mihi semitam pedestrem ad latus viæ regiæ monstravit; in quam dum me equo committo, ac per aliquod spatium progredior, in tenebris sistitur equus, nec progredi ulterius vult. Comes vocatus puteum in media semita esse asserit, propterea mihi redeundum esse (angusta enim erat semita). Dum equum vertere conor, vacillat, ac sinistrum pedem extra

semi-

semitam ducit, qua erat via regia. Ilico deprehendo casum, & in ipso casu me ex sella in viam proiicio, quæ semita inferior erat ulnis ad minus decem. Cado in latus, ac equus iuxta me in tergum. Comes quod neque clamarem, neque loquerer me oppressum ab equo existimabat. Sed incolumis eram, nihilque prorsus damni acceperam, rursusque ascenso equo iter persequor. Mane dum manus lavarem, Turcoiden in duo frustra fractam deprehendi, ac fere quartam totius corporis partem à reliqua separatam. Maiorem itaque gemmæ partem alteri annulo committo, ac iterum per aliquot annos gesto. Cum vero quodam die ex flumine longiori hasta onus aliquod elevare supra vires tentarem, subito ossa pectoris strepitum, & sonitum quasi costa diffringeretur, ediderunt, mihique obtusus quidam doloris sensus circa costas obortus est. Dubitabam, num aliquid ruptum esset, tandem deprehendi inferiorem, & ultimam costam parum suo loco esse motam, ac sub penultima finem ipsius pulsum, & detrusum. Quia vero exiguus dolor aderat, nihil applicavi loco affecto, ac eodem die non citra admirationem, Turcoidem meam, iterum in duas partes ruptam animadverti. Verum minor particula vix canabini seminis magnitudinem excedebat. Quia vero metuebam ne excidens, etiam maior pars liberior facta excideret. Maiorem partem quæ fere integra gentilitia signa adhuc reservat, alteri aureo annulo imponi curo, ac nunc eundem adhuc ita gesto, ut nunquam à digitis deponam. An autem casu infortunium, & gemmæ fractio simul concurrant, incertum, aliis aliter opinantibus. Hoc certum est naturaliter casus noxam gemmam hanc neque impedire, neque in se transferre posse. Occulto itaque agenti, id est, spiritibus bonis, vel malis Deo volen-

volente, vel permittente (ut in capite de gemmarum viribus explicavi) huiusmodi vires tribuendæ sunt. Si accesserit superstitio, malis, si nulla, bonis. Ego sancte affirmare possum me nunquam (qui non facile tantas vires, ut vulgus facit, gemmis tribuo) credidisse, ut nec nunc credo, tale quid naturaliter Turcoidi posse contingere. Mutatio coloris naturaliter fieri potest. Nam cum non adeo dura sit gemma facile à vapore, & halitu qui per poros cutis perpetuo transpirant, vel pulchrum, vel absurdum, & deformem colorem accipere potest. Quod vero vita defuncto domino colorem, & decorem amittat, ac ipsius sortem lugere videatur, omnem humanum captum superat, ac metaphysicum quid est, ut de casu dixi. Verum id non omnibus Turchesiis contingit. Sed quid si illa Turcois, quæ facile colorem mutat, & cuius paulo ante mentionem feci, à salsis vaporibus, & halitibus qui perpetuo è viventis corpore transpirant afficiatur, ac ab iis pristinus color revocetur. Quemadmodum, experientia teste, emendari colorem Turcoidis aceto, & sale armoniaco, quo abundat sudor, & halitus per cutis poros transpirans, multis notum est. Certe ego hanc causam naturalem esse, cur color emortuo domino pereat, & novo recuperato, restituatur, autumo. Non quod domini mors causa sit, sed quod domino mortuo à nullo gestetur, neque amplius ab effluviis, & halitibus corporis, color ipsius vividus cõservari possit. Animadverti, cum icteritia, vel obstructionibus laborassem, & iam corpus sudoribus transpirabile, ac bene constitutum esset, meam Turcoidem pulchriorem esse, ita ut mihi valetudinis index sit. Opinantur nonnulli Turcoidem horologii vicem præstare, ac diei horas, si ex filo, indice, & pollice comprehenso, intra vitri

*An Turcois horas signet.*

vitri concavum palmaris vel minoris latitudinis pendeat, ostendere. Tot enim pulsus ad latera vitri verberare, quot horæ diei ab horologio percussæ fuerant. Mirum profecto à vanis, & in rerum natura parum versatis hominibus id credi. Suspensus enim hac ratione lapis, à manu regitur, ac manus ab hominis imaginatione, qui dum tot pulsus, quot verisimiliter exspectat, animo concipit, consentit manus, ac vix perceptibili motu agitat lapidem, donec numerus pulsuum expletus sit. Horæ non à natura, sed ab homine institutæ sunt, ac diverso modo in diversis provinciis computantur. Lapis vero ab homine tale quid ordinatum fuisse, quomodo absque anima scire potest? Deinde quo pacto se accommodare ad diversas provincias, quæ diversis modis horas computant, absque cognitione poterit? In aliquibus enim à diei initio, in aliquibus à noctis initio, & in nonnullis à media nocte fit horarum computatio. Profecto animam, hominis anima sagaciorem habere deberet, cum ne ille à se institutas horas, semper scire possit, & propterea horologia ipse invenerit, & constituerit, quibus tẽporis quantitatẽ elapsam metitur. Nonnulli concedunt naturalem, & ut horas diei pulset non habere facultatẽ, sed certorum verborum obmurmurationem adhibendam esse, qua adhibita lapis suum officiũ faciat. Id præsente me aliquoties factitatum fuit. Sed neq; verbis, aut spiritibus colludentibus, neq; lapidi, sed manui, ut ante dixi causam motus tribuebã. Expertus enim postea, quoties volebam, lapidẽ tam recte, ut nullus prorsus motus in manu mea observari potuerit, verberare coëgi. Valeant itaque vanæ vanorum hominum, & magorum impostura. Celebratur præterea Turcoidis gestatio ad oculorum, capitisque dolores leniendos, & impediendos, ac à nonnullis

*Ad capitis dolores.*

nullis inimicitias extinguere, ac inter virum, & uxorem amorem reconciliare creditur.

a *Narrat Franciscus Rueus lib.2.de Gemmis cap. 18. se vidisse similem Turchinam ob colorem amissum, à quodam vili pretio emptam, quæ Domino mortuo omnem splendorem amiserat, & velut rimam contraxerat: quæ postea ad pristinum splendorem rediit, quasi sensu quodam percipiens novum Dominum inveniisse.*

## CAP. CXVII.

### *Dignitas, valor, & usus Turcoidis.*

TAntam authoritatem apud viros habet Turcois, ut nemo, nisi elegantem aliquam nactus fuerit, manus bene ornatas, suoque luxui satisfactum putet. A fœminis enim nunquam gestari solet. Admodum magno pretio non venditur; quia magna illarum ex Oriente adfertur copia. Color præcipuus pretii index, considerant tamen gemmarii, num color constanter sit permansurus, eo enim casu, carior est, quam ea, quæ colorem mutat, vel potius paulatim amittit. Quæ avellanæ magnitudinem æquat, ac coloris gratiam habet, cœlique sereni instar, nulliisque venis nigrioribus obscuratur. 200.thaleris vendi, aut etiam pluris potest. Minores viliores sunt, ac corporis latitudo pretii quantitatem constituit. Pisi maioris quantitate decem thaleris vendi possunt. Cæteris præfertur, quæ æruginis depuratæ colorem exacte refert, ac cærulei lacteſcentis virorem oculis gratum ostendit. Alii qui venas nigras habent, aut plus æquo virides, aut lacteſcentes sunt, prorsus contemnuntur tanquam viribus carentes. Mauritani Turcoidem, quam peru-

*Pretium.*

*Quæ præferenda.*

*Viliores.*

peruzegi, vel perozaa vocitant, in medicum usum recipiunt. *a* Mesues in electuario de gemmis, gemmam peruzegi præscribit, quam interpretes Smaragdum putant: sed magno errore, ut Garcias ab Horto notavit, quia Turchesam intelligi vult eam, quæ Arabice, ut codex Mesues habet, Peruzegi scribitur, mutata nempe F, littera in P, quæ affinitatem magnam habent.

a *Quam Smaragdi interpretationem sequuntur Valerius Cordus, Ioannes VVeckerus, Ioannes Renodæus, & Cæteri Nooterici, sed male ut Auctor ex Garciæ ab Horto lib. 1. Aromatum, & simplicium historia cap. 48. clare demonstrat, quod idem suboluisse videtur Bellunensis in eadem compositione, & V. Cl. Claudius Salmasius libro (cap. 62. huius libri) citato, fol. 1130.*

## Cap. CXVIII.

### *Imitatio Turcoidis & correctio si color evanuerit.*

TUrcoidem apprime vitriarii Veneti Venetiis imitantur. Vidi Gallum qui ita dextre imitari potuit ex alia materia, ut à vera gemma propter venulas nigras, quas illi inserebat, cognosci non posset. Pro factitiis illas vendebat, ac satis magno, propter elegantiam, pretio. Puto chrysocollo nativa, ac aqua lapidescente adiectis paucis aliis illum usum fuisse. *a* Ut amissum colorem recuperet, nonnulli solvunt colorem transmarinum aqua chrysulca, eaque distillatione abstracta, reliquias superstites exsiccant, iisque Turcoidem fricant. Alii aquæ chrysulcæ imponunt, ac absterSum aceto parum committunt, deinde in aquam frigidissimam mergunt, tum

*Emendatio. Turcoidis.*

tum enim coloratior fit. Verum istis artibus paulatim intrinsecus color in cutim trahitur, evanescit, ac gemma ingratior, & vilior redditur. Rectius oleo vitrioli cutis superior exeditur, ut subiectus color elegantiorem gemmam faciat.

a *Turcoidem Nostrates hoc pacto ab immunditie purgant. Accipiunt Smyridem lapidem (plerumque vero apud nos in officinis eorum invenitur, qui Aurifabrorum instrumenta Vendunt, Belgiceque vocant* afftreck-steen *) eoque superficiem exteriorem fricant. Scabrities autem illa, quæ remanere solet, lævior redditur, si terra Tripela, uti vocant, inspersa, bacillo adhibito diu fricueris. Iudicant vero nativum colorem revocari posse, si cæsium colorem interne effundat, alioquin operam lusurus.*

## CAP. CXIX.

### *De lapide Lazuli.*

OPacus est hic lapis Saphiri colore, aut florum Cyani, aureis punctulis, aut flammulis exornatus. Hunc *a* Plinius videtur Saphirum vocare: quia Saphirum nusquam pellucidam facit, & aureis punctis collucere scribit, quæ profecto nostro Saphiro pellucido non conveniunt, sed optime lapidi Lazuli. Nonnulli à Plinio Cyanũ vocari existimant, quia Græce eo nomine vocatur, sed Plinii Cyanus nostra Saphirus videtur. Quia eam adulterari maxime tinctura tradit, idque in gloria regis Ægypti asscriptum fuisse, qui primus eam tinxit. Opacæ vero gemmæ cum tingi non possint, nisi earum superficies conspicua tegatur; (ac ita potius tectæ, quam tinctæ dicantur) perspicuæ vero, ut hodie fit elegantissime supposito illis colore, ita tingan-

*Cyanus.*
*Saphirus.*

tur, ut color internus corpus subeat. Verisimile est Plinium Cyani nomine non lapidem Lazuli, sed Saphirum nostrum intellexisse.

*Differentia à lapide Armenio.*

Differt ab hoc lapide lapis Armenius. Hic enim non ita durus est, & facile in pulverem cum friabilis sit reducitur: deinde auri venas, aut puncta non habet.

*Nomina.*

A Plinio cæruleum vocatur, à Græcis λίθος ἀρμένιος, à Germanis *Bergblau*, utile pictoribus propter colorem. Lapis Lazuli à Græcis κυανὸς λίθος, à Latinis *cæruleus lapis*, ab Arabibus *Hager* aut *azul*, unde nomen Asuri, aut Lazuli deductum est, appellatur. Ex hoc lapide fit color ille Cyaneus, quem Ultramarinum vocant, auro pretiosior, ut postea docebimus, asurum vero ex lapide Armenio. Qui colore elegans quidem est, sed facile mutabilis, & tandem virescens, neque in ævum durans, ut alter de quo postea fusius.

a *Libro 37. Naturalis historiæ Cap. 9. littera e. f.*

## CAP. CXX.

*Genera, loci natales, magnitudo, & quomodo nascatur.*

GEnera tantum duo sunt, fixus, & non fixus in igne, nisi quis ratione loci ubi inveniuntur plura constituere velit. Inveniuntur enim in variis regionibus, ut in Africa, Asia, & etiam Germania. Illius mater lapis Armenius, qui in fodinis aureis reperitur, interdum est, quia ab ea tantum coctura differre videtur, quemadmodum omnes lapides ex molliori materia indurantur. Excrescit in tantam magnitudinem, ut cultrorum capuli, & cochlearia inde fieri possint: maiores raro vidi. Plinius Cyanum, & lapidem Armenium, seu cæruleum in

Ægy-

Ægypto, Cypro, & Schytia nasci scribit, sed num ille Saphirum nostrum, aut lapidem Lazuli Cyanum vocet, non plane constat. Fixus lapis Lazuli, hoc est, qui igni impositus colorem non mutat, hæc enim legitimi proba est ex Oriente fere adfertur. Non fixus in Germania reperitur, ac vulgo *Lasurstein* vocatur, ac is medius est inter lapidem Armenium, qui friabilis est, & lapidem Lazuli cui duritie par est. Ex fixo ultramarinus color, ex non fixo, ille quem vocant *Asurblau* separatur. Verum multi pictores hos postremos colores non distinguunt, sed confundunt, quia ex utraque materia similes eliciuntur. Revera tamen lapides duritie diversi sunt, & color ex non fixo lapide præparatus, plerunque pulchrior est illo, qui ex lapide Armenio præparatur. Ego domi à me præparatos colores habeo, qui tam elegantes sunt, ut cum ultramarino certare possint. Sed, ut antea notavi, solus ultramarinus, qui ex Orientali lapide fit ab igne non corrumpitur, & ætate non mutatur. Lapidem Armenium in quodam monte Praga miliari distante ante aliquot annos inveni.

## CAP. CXXI.

### *Natura, proprietates, qualitates, & facultates lapidis Lazuli, vel Cyanei.*

*a* DIoscorides hunc lapidem repercutiendi vim habere, exulcerare, parumque corrodere affirmat; Galenus acri facultate tum detrahendi, quam *b* Cathericam vocant, tum digerendi potentiore, quam cinnabaris habet, cum nonnulla astrictione præditum scribit. Post hos alii medici purgandi facultatem in eo experientia deprehenderunt, præcipue contra melancholicos omnes affectus, *Ad morbos melancholicos.*

ctus, quartanam, apoplexiam, morbum comitialem, lienis vitia, alioſque complures, qui à melancholico ſucco originem trahunt. Quia tamen Galenus, & Dioſcorides, corrodere aſſerunt, nec purgatoriam in illo facultatem agnoſcunt, multi medici uſum ipſius habent ſuſpectum, ſed immerito cum experientiæ à fide dignis authoribus approbatæ compluribus, credere deberent. Multa profecto inveniuntur quotidie, quæ à priſcis ignota fuerunt. Deinde thithimallorum omnia genera, chamelæa, thymelæa, euforbium, aliaque multa, quæ exulcerant, quia purgandi habent facultatem legitime præparata, ſine noxa ſumi poſſunt. Habet itaque purgandi melancholiam, ut lapis Armenius facultatem. De hoc lapide ita ſcribit Antonius Muſa Braſſavolus in libro ſuo de medicinis purgantibus, ſequentibus verbis. Lapidem Lazuli expertus ſum, & dragmam nunquam exceſſi, & ſemper profuit, neque tamen tormina induxit, qualia putabam, antequam eſſem expertus, inducere debere, neque ori venticuli multum obeſſe percepi. Præbui itaque in pillulas confirmatum in hunc modum. Rec. lapidis Lazuli præparati drag. unam camphoræ, aniſi, cinnamomi, zinziberis, maſtichis an. grana 6. Miſce & cum ſucco ſalviæ, vel diacatholiconis fiant pillulæ quinque. Hæ enim exquiſite eduxerunt, cum aliquibus dragmam unam præbuerim, aliis ſcrupulos duos, ut convenire videbatur. Exhibui etiam aliis modis in pulverem redactum, cum iiſdem aromatibus, in iure, quandoque in aqua boraginis. Sed opus eſt ut in tenuiſſimum pulverem redactus ſit, ne ob ſui gravitatem, in pateræ fundum deſcendat. Poſui quandoque prædictos pulveres in unciam unam conſervæ boraginis, & deglutiendos præbui ut eclegmata deglutiuntur.

*Purgat ſine noxa.*

*Pillulæ de lapide Lazuli.*

Non-

Nonnunquam cuidam puellæ in ientaculi forma, scrupulum unum præbui, nonnunquam in placentula ex pasta, sed qui masticabant, semper dentibus pulverem habere arbitrabantur. Tamen si probe supra Porphirium lapidem, Porphyrino pistillo contractetur, non persentitur. In vino etiam odorato bibendum iussi, ut in cretico, aut alio simili. Eisdem modis usus sum lapide Armenio, & mirum in modum atram bilem educere percepi. Hactenus Brassavola. Quia tamen Galeni, Dioscoridis, & Arabum omnium testimonio, vi exurendi præditus est, lotura ipsius nocumenta auferenda sunt. Hæc in antidotariis docetur. Verum quia lapis Armenius vehementius educit atram bilem, quam Cyaneus, & omnia efficacius operatur, legat Lector sequens caput. Quæ enim virtutes lapidi Armenio tribuuntur, etiam tum Cyaneo Orientali, tum Germanico, quæ ex eo videtur in duritiem excreviſſe, tribuendæ sunt. Pro amuleto etiam ex collo gestatur à Germanis, ut puerorum terriculamenta arceat, oculorum aciem roboret, syncopen, & prægnantium abortum impediat. Verum partu appropinquante ne fœtum retineat, auferendus est.

*Dosis.*

*Ad puerorum terrores.*

De lapidis Lazuli viribus, nobilis Empiricus Venetus Leonardus Fioravantus fere sequentia scribit. Vidi, inquit, lapidem Lazuli vomitum excitare, & sanare quartanam. Calcinavi in fornace laterum, deinde aqua vitæ solvi calcinatum, ac solutione dicta multos morbos, & febres malignas curavi. Ulcera etiam pessima in optimum statum, ad miraculum usque, prædicta solutione, redegi. Ex eodem lapide oleum extraxi, quod somnum, & requiem conciliat, atque si eo caput & ventriculus inungatur, visus mirum in modum corroboratur. Po-

*Facultates mirabiles ad quartanam.*

*Ad somnum.*

*Ad podagram.*

dagræ etiam dolores & inflammationes subito lævat.

a *Lib.* v. *de re Medica cap.* 66.

b *Typographi, non Auctoris vitio, id positum existimo, cum Galenus lib.* ix. *de simplicium Medicamentorum Facultatibus Capit. de Cyaneo, sive Cæruleo Lapide non Cathericam sed* καθαιρετικὴν *vocet.*

## Cap. CXXII.

*Dignitas, valor, & usus lapidis Lazuli, seu Cyanei.*

Lapis Lazuli eandem authoritatẽ habet, quam Sardonyx, ac eodem pretio, aut paulo maiori divenditur. Usus præcipue ad sigilla, & ad brachialia: nam inter sanitatis gemmas habetur, ac multos morbos avertere creditur. Fragmenta huius lapidis si libram pendeant, 10. thaleris vendi, ut cæruleus, seu ultramarinus color inde fiat, solent.

## Cap. CXXIII.

*Quo pacto ex lapide Lazuli Vltramarinus, seu Cyaneus color eliciatur, & in illum usum electio lapidis.*

Primum ne quis oleum, & operam perdat, lapidem aureis venis multis ornatum, ac splendentem eligat. Is enim optimus, & operi conveniens- *Examinatio Lazuli.* tissimus est. Hic hac ratione dignoscitur. Eius aliqua portio supra carbones ardentes ponatur, ac follibus, & flammis ignitis committatur per horam; si refrigeratus manibus teri possit, & colo-

rem

rem amiserit, ineptus est. Sin durus remaneat, & pristinum colorem servet, optimus est. Alii ut illius valorem examinent, supra laminam ferream, particulam ponunt, Vulcanoque credunt, ut simul excandescant. Deinde in aceto forti lapidis particulas extinguunt: quas si colorem servare animadvertunt, bonum lapidem: si vero illustriorem deprehendunt, optimum iudicant. Sed raro non solum, qui augeantur, sed & qui omnino servent pristinum colorem, inveniuntur. Quorum color intenditur, illorum uncia viginti thaleris vendi potest. Qui colorem non exacte servant, medii gradus colores præbent, statuuntur enim tres coloris gradus. In pulverem redactus lapis Lazuli, hac ratione ipsius integritas, & quo valore sit deprehenditur. Tigillo aurifabrorum aliquid imponitur, ac igni ardenti committitur, ut bene excandescat. Si refrigeratus pulvis pristinum colorem, ac consistentiam retinuerit, nec mutaverit, optimus lapis fuit: sin vero pulvis, non amplius pulvis, sed pasta videatur, vitrum potius fuit, & smaltum quam lapis, si partim pulveris, partim massæ formam referat, lapidis cum vitro mixtionem factam fuisse indicium est.

*Aliud examen.*

*Pretium.*

*Valor.*

## CAP. CXXIV.

### *Præparatio lapidis.*

REducatur lapis in frustra, magnitudine avellanæ, quæ ablue aqua tepida, ac tigillo impone, igni committe ut excandescant, ac singulas particulas scorsim exemptas extingue in aceto albo optimo, aut distillato per filtrum: idque opus repete aliquoties, quo sæpius eo melius; aliqui septies repetunt. Frequenti enim extinctione optime calci-

nantur, & facilius in pulverem rediguntur, alias difficile contunderentur, ac mortario adhærerent. Ille tamen lapis qui in igne colorem non ſervat, aut parum ſervat, hac ratione tractandus non eſt, niſi quis fruſtraneum, & inutilem laborem cupiat. Calcinata ut dixi lapidis fruſta contunde in mortario æreo optime occluſo, deinde per incerniculum etiam occluſum traiice, ne melior, & ſubtilior lapidum pulvis in auras evolet. Pulverem ſerva diligenter. Interim ſequentem aquam præpara ad abluendum pulverem. ℔. aquæ fontanæ per filtrum diſtillatæ lib. unam & ſemis, huic adde tantum mellis, quantum ovum gallinæ capere poſſit, coque hæc in olla nova tamdiu, donec omnem ſpumam abſtuleris; tum ab igne depone, & ſerva. Poſtmodum ℥ gummi ſanguinis draconis integri, & optimi ſcrupul. quatuor, tere ſupra marmor, cum exigua quantitate aquæ prædictæ, poſtea vitro impone, ac tantum aquæ prædictæ adiice, donec colorem acquirat violaceum, hanc bene tectam ſerva ad uſum: nam ea debet pulveris color dilui. Si enim violacei multum habuerit parum addetur, ſi parum, plus liquoris. Pulveri itaque reſervato affunde paulatim hydromel præparatum, ac tere optime in vaſculo aliquo anguſto, ſi enim amplum eſſet, iacturam faceres, nec tam cito terere poſſes. Semilibram poteris terere pro unica vice, non plus, ac per horam eam terere debes. Deinde ſemper, & continuo humectanda eſt hydromelite, ne lapidi dum teritur adhæreat. Pro ſemilibra pulveris tres, aut quatuor uncias hydromelitis abſumere poteris. Cumque ſemilibra triveris, aufer eam, ac aliam eodem modo tere in eodem loco, nec alia aqua utere, quam prædicta. Si vero cxplorare velis num rite triveris, dentibus maſtica, ſi crepitet pulvis arenæ inſtar,

instar, recte triviſti; nam non ita terere debes, ut plane colorem amittat. Tritus pulvis exiccari debet extra Solem ſupra lapidem. Si exiccatus facile in pulverem digito redigatur, ita relinqui poteſt. Sin vero non facile pulveriſetur, ſed ſibi ipſi adhæreat, à lapide auferendus eſt: nam indicium eſt pinguedinem & viſcoſitatem mellis illi adhærere, ac propterea purgandus eſt, ut ſuo tempore ab emplaſtro trahi poſſit.

## CAP. CXXV.

*Lotio præparati lapidis Lazuli.*

HAbeas ad manus patinam barbitonſorum, aut ſimile vas terreum vitreatum, huic impone pulverem Laſuli, ac ſuprafunde lixivii dulcis ſequentis deſcriptionis tantum, ut quatuor digitis emineat, manuque optime pulverem lavato, ut ima facilius petere poſſit. Dum reſederit, aquam poſtea in ſuum vas effunde. Poſtmodum ſine ut pulvis in umbra parum exiccetur, deinde ſupra Porphyrium lapidem extendatur, donec plane exiccatus fuerit. Tum enim emplaſtro adiicitur.

## CAP. CXXVI.

*Lixivii dulcis, & fortis præparatio.*

REcipe cinerum ſarmentorum vitis per cribrum traiectorum, decem manipulos; impone vaſculo quod ad minus contineat triginta aquæ libras. Vas in imo foramen habeat, quod occludatur, huic impone cineres, ac fortiter comprime, ac aquæ calidæ libras viginti paulatim affunde, cum fundum aqua petierit, inferius orificium ita aperi, ut tantum guttatim effluere poſſit. Dum non amplius fluit,

obtura orificium, ac lixivium quod effluxit per filtrum distillabis, atque in vitro, vel terreo vase conserva, id forte vocatur. Supra cineres iterum aquæ calidæ 20. libras affunde, & omnino priorem modum serva ut habeas mediocre lixivium. Deinde repete alia aqua tertio, ut habeas lixivium, quod dulce vocatur. Hæc lixivia utilia sunt, ut facilius ab emplastro pulvis Lasuli, si repugnet, extrahi possit. Miscentur pro arbitrio opere id flagitante. Fit etiam aliud lixivium ad auferendam emplastri pinguedinem, aut unctuositatem, hac ratione. Recipe tartari calcinati quantum velis, bulli in aqua pura per quadrantis horæ spatium, aut paulo diutius, ac serva ad usum. Hoc lixivium scabiem, & impetiginem curat, ac pro fuco etiam utile est mulieribus. Pulverem etiam Lasuli eo abluere potes, auget enim ipsius colorem.

## Cap. CXXVII.

*Quale vas debeat esse, in quo colliguntur omnes aquæ, quibus lavati fuerunt pulveres lapidis.*

VAs cupreum, vel terreum vitreatum in fundo politum, seu lævigatum esse debet, ac in lateribus tria foramina habeat oportet. Primum circa medium vasis, alterum paulo inferius, at tertium duobus digitis à fundo. Omnia debent ab exteriori parte esse occlusa, ne aqua effluere possit. Lavationes aquæ in hoc vase colliguntur, quæ etiamsi nihil coloris habere videntur, tamen si per decendium steterint, in fundo aliquid apparebit. Id ut colligas foramina aperi, ita effluet absque motione, nec colori miscebitur, collectum lava, ac sibi simili adiunge.

Cap.

## CAP. CXXVIII.

*De emplastro fortiori, cui miscetur pulvis lapidis Lasuli, ut illustrior portio, à minus illustri, separari possit.*

PRimum ad manus sint sequentia, terebinthinæ claræ, & puræ unciæ quatuor: resinæ pini unciæ sex, picis græcæ unciæ sex: mastichis optimæ, & puræ unciæ tres, ceræ novæ unciæ tres, olei seminis lini purificati, ut paulo post docebitur, uncia una semis. Postea adsit olla nova vitreata bene lota, cui impones ad lentum ignem carbonum terebinthinam, ut dissoluatur, movendo eam spatula lignea, qua Apothecarii uti solent. Cum bene dissoluta fuerit, paulatim iniice pini resinam, in parva frustula secatam, ac move. Eodem modo picem impone, & postmodum mastichen pulverisatam, ac ut uniantur optime move spatula diligenter materiam, sed exiguo foco opus est. Postmodum adde oleum lini, ac sine ad ignem donec murmuraverit ebullitio per horæ quadrantem, aut paulo diutius; Ut autem scias emplastrum satis coctum esse, spatulam in emplastro agitatam exime, ac ut ab illa, in aquam frigidam aliquot guttæ decidant, permitte. Nam si illæ super aquam se expandant, non satis est coctum. Aliter sic cognosces. Guttam emplastri digitis, aqua frigida humectatis, comprime, ac trahe in diversas partes, si extendatur, & sponte rumpatur, signum est perfecte coctum esse. Coctum emplastrum, & calidissimum funde in manicã hippocratis, primo aqua calida humectatam, ac coletur ita ut in vas aqua frigida plenum decidat. Manicam autem lignis comprimes, ut absque mora transcolari totum possit. Cum iam parum refrixe-

rit, manibus malaxetur, humectatis oleo lini præparato, donec nihil amplius aquæ habeat. Postea serva in aqua frigida, quæ quotidie, aut alternis diebus effundenda est, recenti rursus affusa: ita enim servabitur ad decennium.

## Cap. CXXIX.

*De emplastro mitiori, ad separandos colores.*

Recip. terebinthinæ claræ uncias quatuor, resinæ pini puræ uncias sex, picis græcæ 6. uncias, ceræ unciam unam, olei seminis lini tres quadrantes, eoque eodem modo, ut primum coctum est. Verum notato istud citius excoqui, quia mitius est, ac citius dimittit à se colorem, quam prius. Id etiam notato, si velis utroque emplastro uti, ut mitiori primo colorem, seu lapidis pulverem excipias. Qui tamen si non fuerit à perfecto lapide, & qui aureis venis ornatur, extructus, utroque emplastro excipi non debet. Nam tota ars habendi ex lapide elegantiorem colorem consistit in recto usu emplastrorum.

## Cap. CXXX.

*Olei lini præparatio, ad præcedentia emplastra.*

Recip. olei lini clari, & pulchri, croceoque colore pellucidi quantum vis, ac imponas vitro, quod habet formam cornu bovini, ac in imo foramen: huic infunde aquam fontanam, ac bacillo agita oleum, & aquam. Deinde sine quiescant simul, donec supranatet oleum, tum per foramen inferius emitte aquam, idque opus decies repetes, aut donec aqua tam clara, quam ante mixtionem fuerat, effluat. Tum enim purgatum erit oleum,

& huic

& huic operi idoneum. Si haberi lini oleum non posset, eius loco amigdalarum amararum accipi potest, idque purgatione nulla opus habet.

## CAP. CXXXI.

*Quo pacto pulvis Lasuli præparatus adiiciatur emplastro fortiori, aut mitiori.*

RECip. lapidis triturati, & præparati prædicto modo libram unam, ac emplastri fortioris, cuius externam partem manibus abluisti, etiam libram. Deinde scinde in minutas partes, ac impone ollæ novæ vitreatæ, ac humectatæ, eamque supra calidos cineres, ut dissolvatur emplastrum, colloca. Verum cave ne bulliat, si tamen id contingat, error, adiecta modica quantitate olei lini corrigi potest. Cum dissolutum fuerit emplastrum accipe spatulam qua emplastrum agitabas, ac inunge oleo lini. Deinde insperge paulatim pulverem Lazuli optime agitando emplastrum, donec ita uniatur, ut nihil extra emplastrum remaneat. Id cum observaveris, materiam bullientem in pelvim, aqua frigida plenam, iniice, eodemq; momento diligenter omne quod ollæ adhæret eximes. Cum deinde emplastrum parum refrixerit, ut manibus tractari possit, & bene coloratum fuerit bonum indicium erit. Inunge itaque manus, oleo, ac malaxando tracta illud sesquihoræ spatio, ut vesicæ omnes auferantur. Quo enim diutius malaxaveris eo facilius color extrahitur. Cum satis tractaveris fac inde panem, aut rotundam formam, patinæque impone, ac aquam frigidam affunde, ac sine ita per quatuordecim dies, aut diutius, quo enim diutius maceratur, eo facilius extrahitur color, & pulchrior erit.

CAP.

## Cap. CXXXII.

*Quo pacto ex emplastro trahendus sit color.*

Emplastrum colore præparatum, lava manibus extrinsece, & modeste ea aqua, in qua reservatum fuit. Postea pondera cum oleo, quo uteris, dum id tractas. Deinde patinæ vitreatæ, cuius fundus inunctus est oleo, lini impone, ac superfunde aquam tepidam puram, cuius calor vix percipiatur, ac supernatet duobus digitis. Relinquatur in ea per quartam horæ partem, si æstas fuerit. Sin vero ver fuerit, non tam diu, aquam deinde effunde in vas ante à me descriptum, ac iterum aliam aquam tepidam affunde. Emplastrum enim mollius fit, ac paulatim quod melius est extrahitur. Si enim unica vice extrahere velles, male negotium cederet. Movebis itaque sursum deorsum emplastrum, spatulis postea describendis modeste. Si fortassis emplastrum fundo vasis adhæreret, unge manus, ac leviter inverte tamdiu, donec aqua tingatur, quam priori affunde; ac emplastrum sustenta spatulis, ne fundo vasis adhæreat. Scias tamen, quod parum coloris, multum aquæ, prima lotione tinget. Cum vero jam aptum erit emplastrum, ut dimittat colorem certæ lineæ cæruleæ ab illo in aquam mittentur, quasi radii Solares essent. Hanc aquam alteri affundes per cribrum, ut partes crassiores emplastri in eo maneant. Postea iterum aquam tepidam paulatim affunde emplastro, ac modestè bacillis iterum move emplastrum ne nimium dilatetur, ac uno impetu eiiciat colorem. Cum vero inuerteris quinquies, aut sexies emplastrum: id redige in massam unitam, tum enim videbis quantum à se dimiserit, & si lapis fuerit præstans, & absolutus, invenies in

prima

prima hac tractatione circa quatuor, aut quinque uncias. Atque hunc colorem seorsim servabis, est enim præcipuus, & cæteris pulchrior. Eodem modo age ut secundum colorem habeas, qui etiam erit unciarum quatuor. Tertium elicies colorem eodem prorsus modo aqua semi tepida. Quartum qui cinerei coloris est eodem modo elicere poteris: sed aqua calidiore opus est, premes autem bacillis emplastrum, ut omnem colorem reddat. Si nolit, poteris lixivium ante descriptum adiicere, hos omnes colores seorsim servare debes. Notandum in extractione colorum consumi horas octo, antequam vero resederint decem, aut duodecim horæ elabuntur. Verum si aqua tepida tantum parum coloris extrahi posset, adde aquæ tertiam partem dulcis, quod si nondum id sufficeret, adde lixivium frigidum. Si neque id iuvaret, fac lixivium ex cineribus sarmentorum, idque colatum parum ebulli, ut linguam acore feriat, postea inclarescat, atque eo tanquam ultimo remedio utere, quo postremum colorem extrahere potes, eodem lixivio calido poteris emplastrum lavare, ac postea abiicere, quia inutile est. In extractione colorum lucrum vel damnum omne versatur.

## CAP. CXXXIII.

### *De forma bacillorum, quibus verti debet emplastrum.*

DEbent confici ex ligno aliquo quod facile lævigari potest, ut est Aceris, Platani, Buxi, aut simili. Præterea debent esse semi ulnæ longitudine, aut paulo maiores crassitudine pollicis, circa finem latiores, ac nuclei amigdalarum instar non exacte rotundi, superior pars rotunda esse potest.

CAP.

## Cap. CXXXIV.

*Cuius coloris sit color, cum egreditur emplastrum, & qualia signa edat.*

PRimus color cum egreditur, cæteris paulo crassior apparet, idque propter aureas venas, quæ in illo sunt, contingit. Secundus subtilior quidem est, sed non tam pulcher. Tertius adhuc subtilior est, sed pallescit, & clarior est cæteris.

## Cap. CXXXV.

*Quomodo lavandi sint colores, cum ab emplastro separati fuerint.*

CUm extracti fuerint ab emplastro, & aqua effusa fuerit, suprafunde lixivium dulce, manibusque lava singulas species colorum seorsim, singulasque etiam aquas seorsim serva, eæque omnes resideant, priusquam eas in vasa propria effundas. Colores vero toties lava, donec emplastri pinguedo auferatur. Postmodum aqua limpida ter, quaterve iterum lava. Aliter perfecte mundatur color sequenti modo: ℔. vitellos ovorum gallinarum, quæ granis, non herbis pastæ sunt, ac pugione perfora vitellum, & asperge eo æqualiter colores, deinde manibus optime impasta, tum demum iterum lava lixivio molliori, vel dulci, toties donec lixivium tam purum, quam fuit affusum effundatur. Postea iterum ter, aut quater aqua limpida ablue, ac sine aquam bene residere antequam in patinas effundas. Hic est præstans modus depurandi: sed nonnullis in secretis est alius modus. Cum enim, ut dixi, perfecte loti sunt colores, illis inspergunt paulatim fel tauri, postmodum manibus bene fricant,

ac po-

ac postea iterum aqua limpida abluunt aliquoties, ita excellens redditur.

## CAP. CXXXVI.

*Quo pacto coletur color iam lotus, & mundatus.*

COlatura opus est, ut quicquid impuri ab emplastro adhuc illis adhæret, auferatur. Postremam itaque aquam, quam post mundationem coloribus adhibes, cola per cribrum, deinde per aliud rarius, ac postremo per sindonem sandalinam. Cum vero colaturas adhibes resideant bene aquæ, donec eas videris limpidas, & claras, aut extrahe aquam spongia immissa, ita tamen, ne una colorem imbibat. Extractis omnibus aquis, quiescant in patinis suis colores, ac exsicca in umbra: siccatos committe sacculis pelliceis, quibus ligatis, frica, & comprime manibus sacculos; ita enim subtilior fiet color, ac apertis sacculis pulchior apparebit.

## CAP. CXXXVII.

*Correctio iam præparati coloris.*

SI præparatos colores præstantiores habere velis, iterum emplastro fortiori immisce, in quo sine per triduum, ac prosequere suprascriptum modum. Quoties hunc laborem repetieris, toties elegantiorem colorem nanciscéris, verum ponderi singulis vicibus aliquid decedet. Hoc tamen beneficii habebis, quod una uncia plus efficies, quam tribus alterius.

## Cap. CXXXVIII.

*De pretio lapidis, & colorum extractorum, & quantum extrahitur.*

Lapidis libra plerunque venditur octo, aut decem thaleris. Qui si optimus fuerit, promet ad minus decem uncias coloris, alias minus, aut vix tantum, ut lucrum præbeat, si non valeat. Ex optimo lapide primi coloris extrahes quinque uncias cum media: cuius uncia valebit viginti thaleros. Secundi generis valebit quinque, vel sex thaleros. Tertii vero unum, aut sesquithalerum: verum si lapidem habueris præ manibus, cuius in examine minuitur color, tantum elicere non potes, & emplastris præterea tractandus est.

## Cap. CXXXIX.

*Quo pacto aurum ex lapide Lazuli, postquam tritus fuerit, separandus sit.*

Lapidis iam ad Porphyrium triti libram commisce unciæ mercurii purgati, ac misce optime in mortario, deinde exprime per linteum, & mercurius una educet per linteum aurum. Postea expressam materiam tigillo impone, Vulcanoque committe, ita mercurius evolabit in auras, & quod remanebit in tigillo aurum purum erit. Id si relinquatur cum colore eum magis splendentem molliorem & in penicillo ductui, & extensioni faciliorem reddit.

## CAP. CXL.

*Vsus coloris ad picturas.*

PROpter immensum coloris ultramarini pretium, non solent eo uti pictores, ut aliis coloribus, sed pingunt imagines, quas cæruleas volunt, communi cæruleo ex Armenio præparato, aut ex vitro illius coloris, quod Smaltum vocant. Deinde partes eas, in quibus lux hæret, ceruſa: postmodum coloribus istis, ut res postulat, rite adhibitis, iisque optime exsiccatis, ultramarino colore humectato oleo nucum, & spiritu terebinthinæ, totam illam picturam cæruleam, tanquam vernice, aut linimento quodam tenuissimo, oblinunt. Hoc modo per obductum colorem, tanquam per glaciem, aut vitrum subiecti resplendent, pulchritudinem non solum excellentiorem à velamine nacti, sed & perpetuitatem, ut ne ducentis quidem annis, vel minima lucis, vel pulchritudinis portio decedat; nec mirum, quia quem ignis colorem consumere non potuit, multo minus aër aut Sol exedere poterit.

## CAP. CXLI.

*Quo pacto ultramarinus color alio modo, & brevius à lapide separetur.*

REcipe lib. 1. lapidis in tenuissimum pulverem redacti, ac cum aq. clara ad Porphyrium triti, & impone scutellæ vitreatæ, donec pulvis in umbra exiccetur, quem iterum, si in massam coierit, in pulverem redige. Deinde habeas in promptu picis gr. ʒ iij. resinæ pini ʒ iiij. mastichis ʒ iij. thuris ʒ iij. olivarum ʒ ij. Patellam vitreatam supra lentum ignem pone, ac primo imponas oleum, & cum be-

ne calidum erit, adde resinam, postea picem, deinde thus, ac postremo mastichen, ac move optime: postea, alteri scutellæ infunde, & bulli parum. His peractis habeas ad manum aliud vasculum, in quod pones siccum lapidis pulverem, cui affundes unguentum dictum, paulatim movendo spatula, ut bona fiat mixtio. Tum relinque per diem mixturam, & cum auferre vis colorem, funde pastam supra aquam bullientem, ac move & agita optime materiam, & cum aqua incipit refrigerari eiice, ac aliam calidam affunde, idque fac donec aqua colorem trahat, atque repete toties, donec omnem colorem extraxeris. Singulas extractiones separare potes, ut distinctos colores habeas.

Si color spurcitiem contraxisse videatur, ita restitues : tantum aquæ tartari adiice colori, ut ab aqua tegatur. Sine per diem, postea aqua limpida colorem ablue, & habebis mundatum.

Præparabis lapidem ad dictum opus, hoc modo: Dum in frustra fregeris, vasculo impone, ac ure. Deinde lava cum aceto, sic supererit optima pars, quæ igni resistit.

## Cap. CXLII.

### *De lapide Armenio.*

Lapis Armenius lævis est, colore cœlesti, bene unitus, friabilis tamen, qua nota à lapide Lazuli distinguitur, aureis etiam venis caret, neque ipsius color igni resistit. Germanice vocatur *Bergblau*, Gallice *Verdazur*, quasi dicas cæruleus color viridi commixtus. Tendit enim cæruleus iste color ad viriditatem gratam. Quinetiam tandem in viridem colorem, ætate, dum tabulis appictus est, degenerat. Duritiem non habet, quam lapis Lazuli, atque areno-

arenosum quippiam continere videtur. Crysocollæ quam Germani *Berggruen* appellant, admodum similis est, verum plus cærulei habet, sæpe connascuntur. Habeo frustum quod utrumque lapidem habet. *a* Reperitur in variis Germaniæ locis, ut in Tyrolensi Comitatu, aliisque argenti fodinis. Etiam in Hungaria, & Transylvania, nonnulli Molochitis matrem existimant: quibus non repugno, cum Molochiten purgandi facultate, & vehementiori, quã lapis Armenius præditum, iam diu à multis qui illius periculum fecerunt, intellexerim. Ac præterea in eodem frusto, durissima pars Molochiten sæpe omnibus notis referat, ac mollior lapidem Armenium. Melius tamen sentiunt qui non Molochiten, sed Cyaneum lapidem, lapidis Armenii matrem existimant. Magna istorum trium est cognatio, ac fequenter in uno lapide (qualem habeo) & Molochites, & Cyaneus connatus perspicitur.

*Locus.*

*Molochites mater.*

*Cyaneus mater.*

a *Garciam ab Horto Lapidis Armeni solum natale non agnovisse inde patet, quod libro* 1. *Aromatum, & simplicium historia cap.* 55. *hæc tradit de Lapide Armenio. Mixtus est hic Lapis ex Cæruleo, & diluto viridi. Appellatur Arabibus* Hager Armini, *id est, Lapis Armenius. Interrogati autem Armeni an apud eos nasceretur hic Lapis, affirmare non potuerunt. Sed Turci, & Persæ Medici dixerunt exigua quantitate apud se vidisse, verum ignorare, num ex Armenia deferretur, nec ne. Aiunt multos inveniri in Vltabado urbe Celebri Balaguate. Cuius contrarium docet Auctor.*

## Cap. CXLIII.

### *Facultates lapidis Armenii.*

CElebratur hic lapis ad melancholicos humores educendos, non ſolum per vomitum, ſed per ſeceſſum. Proinde ad morbum comitialem, Ephialten, inſaniam, maniam, fatuitatem, lieniſque vitia extirpanda, & debel landa plurimum facit, idque abſque manifeſta qualitate: nam neque calefacit, refrigerat, vel exiccat. Movet autem vomitum innoxie, etiam pueris ſi non lavetur. Quem ſi quis movere nolit, quinquagies lavet oportet, lotus enim non vomitum, ſed alvum movet. Huius lapidis mentionem facit Trallianus lib. 1. cap. *a* de melancholia, his verbis. Si oblato ægro hiæra, deliriis, & melancholia adhuc vexetur: dandus illi eſt lapis Armenius. Scio antiquos dum purgantia medicamina, ſymptomata melancholicorum non auferebant, elleboro albo uſos fuiſſe. Verum pluris hunc lapidem facio: nam experientia didici, egregie purgare abſque periculo, & moleſtia, quod elleborus non faciat. Ad vomitum movendum, non loti lapidis dantur ſcrupula tria, aut quatuor plus, minuſve pro ratione morbi, & ægri. Ad alvum vero movendam loti lapidis quinque, vel ſex ſcrupul. cum aqua tepida dandi. Hoc enim modo neque turbat, neque ventriculum premit, minorique moleſtia ater humor, cum ægri magno ſublevamine expellitur. Ubi altera vice ægrum eo indigere cognoveris, audacter iterum offer. Nullam enim hoc medicamentum amaram, venenatam, aut malignam habet qualitatem. Si vero patiens potionis forma ſumere nolit, in pillulas redigi debet addita hiæra picra, vel alio electuario alvi beneficiũ promovente: hoc

*Ad omnes morbos melancholicos.*

*Facultates ad melancholiam.*

*Pillula de lapide Armeno.*

hoc modo Recipe Hiæræ picræ unciæ semissem, Epithimi tantundem, agarici scrupula quatuor, scammonii unciam unam, Gariophillorum scrupulum unum, pistentur omnia simul, ac cum melle rosato, aut Cydoniato incorporentur, Dosis est à scrupulis duobus, ad scrupul. quatuor. Hæ pillulæ omnes humores, sed præcipue atros expurgant absque molestia. Ego sequentes reiectis aliis purgantibus, ad melancholicos humores deturbandos, præferrem. *Alia pillulæ.* Recipe lapidis loti quinquagies, & donec sapore, & odore careat unciæ semissem, Hiæræ picræ dragmas duas, macis. Gariophillorum, croci ana scrupulum unum, mellis rosati parum, fiat materia pillularum, dosis sit à dragma una ad dragmas duas, pro ratione morbi, & ægri. *Pulvis ex lapide.* Guainerius se pulveris forma, ac sequenti dedisse, & nunquam eius usu deceptum fuisse asserit. Recipe lap. armen. scrup. duo, croci grana decem, macis scrip. unum, aquæ saccharatæ quantum sufficit ad sumendum pro una dosi. *b* Aëtius lib. 2. cap. 47. facultates lapidis Armenii etiam celebrat, ac iubet dari grana quinque melancholicis, item pueris pectoris morbo laborantibus, atque iis, qui morbo comitiali, aut mania correpti sunt, quibus hac ratione dari vult. *Ad epilepsiam & maniam.* Tres manipuli centaurii minoris, coquantur cum libris duabus, & semis aquæ marinæ, donec libra supersit. Decocto colato adde scrupulum unum lapidis Armenii, & propina. *Dosis.* Vomitu lapis reiicitur, & sedes faciles subsequuntur absque aliqua noxa per vices. Actuarius etiam usum istius lapidis laudat. Ioannes Crato, aliquibus datum à dragma una ad scrupula quatuor absque noxa: sed lotum narrat. Quia vero imprimis melancholicos, & atros humores eiicit, cancri augmentum dum ipsius materiam educit, prohibet. A pueris gestatus

nocturna terriculamenta arcere, & prægnantes ab abortu præcauere creditur.

a *Cap.* XVI.

b *Hic Aëty locus male est citatus, nam non habetur lib.2.cap.47. sed libro 2. tetrabibl. capite* 42.

## Cap. CXLIV.

### *Vsus, valor, & præparatio lapidis Armenii.*

EXpetitur à Pictoribus hic lapis, qui ut color ipsius quam diutissime maneat, nec ætate mutetur, illi non lini oleum, sed petroleum addunt: hoc enim ipsius colorem conservat: dum pulcher est color, ac ultramarino similis, uncia una semithalero, vel etiam uno thalero divenditur. Eximitur autem è lapide color hoc modo. Teritur lapis, sed non plane in tenuissimum pulverem, tritus imponitur aquæ simplici: quæ mota, sinitur exiguo tempore parum residere, ut color qui gravior est, ima petat. Ubi id animadversum fuerit, effunditur aqua cum lapidis excrementis in aliam ollam, & quod resederit si multum superflui habuerit, iterum lavatur, effuso inutili. Ubi iam quod ima petiit parum excrementi habere videtur, teritur iterum exacte, ac scutellæ vitreatæ impositum affunditur illi aqua limpida, in qua solutum sit gummi Arabicum. Movetur aqua diligenter digitis ut pulvis lapidis non resideat. Tum sinitur per mediam horam, donec resideat ad ima color non totus, sed melior pars (nam dilutior manet in aqua,) tum aqua effunditur in aliam scutellam, quæ ubi resederit, in fundo habebit viliorem colorem; qui seorsim servabitur. Color vero præstantior alia aqua gummata movebitur, ac iterum relinquetur per semihoram,

*Coloris extractio.*

horam, ut præstantior coloris pars in fundo resideat. Aqua effusa ubi resederit alium dabit colorem primo elegantiorem. Id opus quoties repetieris toties diversos colores suppeditabit, ac posteriores prioribus erunt pulchriores, & graviores, sed crassiores.

## CAP. CXLV.

### *De Astroitide, seu stellari lapide.*

ASTroitidis nomen alteri gemmæ quæ ad speciem Opali referri potest, ac à nonnullis Cati Oculus, aut gemma Solis vocatur, tribuitur. Illam superius proprio capite descripsi: meo iudicio hic lapis, qui Stellaris dicitur, ac inter gemmas referri potest, quod annulis inseratur, & ob miram naturæ elegantiam multis in luxu sit: rectius Asteria, aut Astroites cum *a* Georgio Agricola appellari, quam præcedens potest. Continet enim stellularum formas tam exactas, ut ne pictor accuratiores formare posset. Opaca est gemma, colore candido, subcinerato, fusco, aut grisco, ac si quis lutum nigrius albedine commisceret, stellæ nigriores sunt, quam subiectum corpus. Deteriores, & quæ confusas stellulas, nec apparentes habent ad Garatronii genera referri debere videntur. Lapis stellaris Germanice vocatur *Sternenstein*, alias *Sigstein*, quod gestanti victoriam adferre putetur. Aliquando in hoc lapide non stellæ, sed rosæ, aliquando undarum fluxus, & interdum in uno lapide omnia simul conspiciuntur: ob quam causam à nonnullis *VVasserstеinlein* vocantur. Liceret hunc lapidem pro Achatis specie habere, Plinio suffragante, *b* qui lib. 37. cap. 10. ita de Achate inquit: Ponticarum plura sunt genera, est stellata, nunc sanguineis, nunc atris

*Garatronius.*

guttis, quæ inter sacras habetur. Sed Plinii omnia obscura sunt.

a *Libro* VI. *Natura Fossilium Capite* XI.
b *Littera h.*

## Cap. CLXVI.

*Loci natales, magnitudo, & genera Astroitidis.*

QUatuor sunt genera, unum quod exacte formatas stellulas refert, alterum quod rosas, tertium quod undarum, aut vermium gyros, & fluxus, ultimum quod confuse, & obscure maculas potius, quam prædictas figuras ostendit: crescunt ad humani capitis magnitudinem hi lapides in comitatu Tyrolensi, & ad Cymmeriam arcem inveniuntur. Marsilius Ficinus ex capite draconis in India eximi existimat, eumq; propterea Dracontium vocat, sed fallitur cum à se visus, & descriptus lapis non alius, quam iste fuerit, & ab impostoribus, qui ignotos lapides ut care divendant, falsis historiis celebrant, deceptus fuerit.




Cap.

## CAP. CXLVII.

*Natura, facultates, qualitates, proprietates, usus, & valor lapidis Stellaris.*

a LApis hic aceto impositus movetur hinc inde, subit enim per stellulas, aut lineolas lapidi impressas, tanquam poros humor, ac dum inclusum aërem premit, ille exitum quærens, lapidem commovet.

Commendatur pulvis lapidis quatuor granorum pondere cum aqua appropriata, exhibitus, ad pestis contagia impedienda, item ad vermes ex corpore deturbandos. Tam valide enim circumforanei vermibus adversari iactant, ut si gestatus corpus nudum attingat, vermium generationem impediat, tremorem membrorum arceat, apoplexiam, aliosque subitaneos morbos ne hominem corripiant, impediat, ac victoriam, unde nomen Germanicum habet, gestanti præbeat. Aiunt etiam pulverem in potu exhibitum hepatis & pulmonis vitia corrigere, ac sanguinem puriorem efficere. Deinde in cubiculo suspensum lapidem impedire, ne eo animalia venenata, & araneæ se conferant. Qui primi generis sunt, ac exiguas bene formatas in albidiore corpore stellulas habent cæteris præferuntur, ac annulis inseruntur. Verum non pluris fiunt, quam emptor ipse velit. Nam elegantiæ potius, quam lapidis habetur ratio. Qui unguis humani magnitudinem æquant, ac elegantes sunt, ad unius, aut duorum thalerorum pretium accedere possunt, alias viles sunt.

*Ad pestem.*

*Ad puerorũ vermes.*


a *Hæc Auctor desumpsit ex Cardani lib.* VII. *de subtilitate, qui scribit hoc in veritate ita esse, seseque sæpius*

*pius expertum fuisse, quem lapidem olim etiam cognovit, & vires eius Rabbi Aben Esra.*

## Cap. CXLVIII.

### *De Asteria vera, seu Stellari lapide.*

LApis hic litera E & F expressus potius nomen asteriæ meretur, quam illi qui præcedenti capite describuntur, ac literis A B exprimuntur. Nam stellas plures in se habet, ita invicem suprapositas, & connexas, ut separari possint, quemadmodum figura littera E notata indicat, quam alteri figuræ annexam fuisse intelligendum est. Magnitudine ea esse solet, qua hic exhibetur. A *a* Gesnero Sphragis Asteros vocatur, quia singulis partibus utrinque stellæ figura, ceu sigillo impressa, vel insculpta videtur, ac radii eminent suis angulis, quinimo in singulis radiis cavitas media est. Margines striis transversis sulcantur. Substantia est prædura. Reperiuntur in colle edito ad Cimmeriam arcem. Octo, aut plures interdum simul cohærent. Ita concinnæ iuncti, & aptati nascuntur, ut nullus artifex melius iungere potuisset, separari tamen facile à se invicem possunt.





a *Libro de Fossilibus Impress. Tigur. (ut post caput 52. huius libri monuimus) fol. 37.*

Cap.

## CAP. CXLIX.

### *De lapide Busonis, seu Garatronio.*

BUfonis lapis, quem alii Boracem, Chelonitin, Batrachiten, aut Crapaudinam à Gallico vocabulo *vn Crapaut*, quod Bufonem significat, alii Garatronium vocant; Germanis appellatur *Crottenstein*. Vulgi enim fama est à bufone antiquo eructari, licet alii cranium ipsius bufonis esse existiment. Memini me cum puer essem, antiquum bufonem cepisse, ac supra rubrum pannum collocasse, ut lapidem nanciscì possem (narratur enim illum non reddere lapidem, nisi rubro panno insideat) verum cum per totam noctem observassem, bufo nihil reiecit, ac ab eo tempore pro nugis habui, quod de Bufonio hoc lapide, eiusque origine traditur. Mihi videtur commode ad Stellares lapides obscuriores reduci posse. Habet enim maculas obscuras, & colorem Stellaris lapidis, nisi quod cinereus, &




griseus color ad rubedinem tendat. Oculi modo convexus est, altera parte planus, aut concavus. Hunc aliqui Batrachiten vocant, alii Brontiam, seu Ombriam.

*Batrachites.*
*Brontia.*
*Ombria.*

CAP.

## Cap. CL.

### *Genera, loci natales, & magnitudo.*

Duo ſtatuuntur ab authoribus huius lapidis genera. Primo genere continentur illi, qui Brontiæ, & Ombriæ nomen retinent, qui modo ſubfuſci, ſubrubri, ſublutei, vel ſubvirides ſunt, ac interdum ad ovi magnitudinem accedunt: una tamen parte plani ſunt, à qua ad cacumen ſeu apicem plerunque quinque lineæ æqualibus inter ſe ſpatiis diviſæ, aut globulis exiguis interſtinctæ, procedunt. Hos lapides aliqui à ſerpentibus conflari, aliqui à fulmine deiici, aliqui ova teſtudinum indurata in lapidem exiſtimant. Vulgus pro Bufonis lapidibus habet maioribus. Ad hoc genus referri poteſt lapis qui à *a* Geſnero Ovum Anguinum appellatur. Sed omnes iſti lapides inter ſe differunt. Nam alterum genus, quod iam deſcribam, proprie Bufonis lapis, & Batrachites dicitur: Brontias vero, vel Ombrias (etiam inter ſe non differentes) Chelonites appellatur: quia nuper excluſam teſtitudinem, & in lapidem verſam referunt. Ovum vero Anguinum à Brontia, & Ombria differens, ſuum nomen retinere poteſt; ut hac ratione lapidum iſtorum non fiat confuſio. Singulos ſuis locis exactius paulo, quam hic deſcribam. Altero genere continentur, minores illi, & qui raro unguis humani magnitudinem excedunt, quoſque paſſim pro Bufonis lapidibus gemmarii obtrudunt. Priores in agris, ut & poſteriores reperiuntur, quos tamen alii in annoſis, ac qui diu in arundinetis inter rubos, ſenteſque, ac vepres delituerint bufonis capitibus generari pertinaciter affirmant.

*Brontias. Ombrias.*

*Chelonites. Ovum Anguinum.*

Cap.

## CAP. CLI.

### *Vires, facultates, proprietates, & natura lapidis Bufonis.*

IMprimis prædicatur hic lapis ad tumores, atque inflationes à venenatis animalibus illatas, quas crebro contactu discutit. Nam si scarabei, glires, vespæ, araneæ, aut sorices alicui parti insederint, aut damnum intulerint, admotus parti affectæ lapis, dolor mitescit, tumorque partis subsidet. Præsente poculo venenato fertur hic lapis non solum colorem suum mutare, sed etiam sudare, ac guttas à se emittere. Proinde ad deprehendenda venena utilissimus habetur. Propinatur à nonnullis ad venena magnæ utilitate. Annulo perforato insertus, ut cutim tangat, præsente veneno cutim calefacere perhibetur. Hodie à multis ad prædicta expetitur, annulisque, licet ingrati coloris sit, gestatur. Præterea ad renum dolores antiquos tollendos, & calculi generationem prohibendam, celebratur. Nam ad ea, singulare, & certum amuletum esse à gemmariis, lucri avidis, prædicatur. Vilis nihilominus est hic lapis, nec maioris venditur, quam à venditore emptoris desiderium æstimetur.

*Ad venena.*

*Ad calculum.*

## CAP. CLII.

### *De Corallis.*

HActenus de omnibus gemmis, vel lapidibus qui annulis, auro, vel argento includuntur, & ad luxum gestantur, me egisse existimo, nunc de cæteris, ac iis, qui pro *a* lapidibus gestantur, ac gemmis, vel lapidibus pretiosis comparantur, agendum est. Inter hos primum dignitate, & authoritate locum

cum fere obtinent Coralli, qui virginum, & mulierc-
larum brachia exornant. *b* Est autem Corallium
frutex sub aqua marina viridis, baccas habens simi-
les cornis, specie, & magnitudine, frutex Coralli è
mari extractus lapidescere dicitur; ob quam cau-
sam à nonnullis Lithodendron, & Dentritis à Pli-
nio vocatur, aliis Gorgonii nomen habet, Europæi
Latinum nomen retinent.

a *Corallum inter gemmas recenset Theophrastus libro* περὶ λίθων, *quem Curallium vocat, rubrum, rotundum, simile radici, ac cum ea Comparat Indicam arundinem in saxum duratam. De Corallio multa Orpheus libro* περὶ λίθων. *Hanc gemmam eleganter describit Publius Ovidius Naso lib. 4. Metamorphoseos, hisce verbis.*

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tẽpore, durescit, mollis fuit herba sub undis.

b *Auctor hæc habet ex Plinii libro 32. Naturalis historiæ cap. 2. littera p. Petrus vero Andreas Matthiolus in Discord. lib. v. cap. 97. multa contraria tradit, Corallium non baccas ferre ut Plinius asserit, sed baccas istas, quæ in coralliorum monilibus Cornis, ac cerasis similes visuntur, ex ipsorum truncis, torno, & lima prius esse paratas: mox Smyridis lapidis pulvere, & terra quadam, quæ è Tripoli Africæ adfertur expolitas, & lucidum lævorem istorum diutina fricatione habentes. Plura, qui de Corallo scire desideret, consulat Petrum Andream Matthiolum loco iam citato.*

Cap.

## CAP. CLIII.

*Genera, magnitudo, loci natales, quomodo, & ubi naſcatur.*

CORallii variæ ſunt ratione colorum differentiæ: aliud enim rubrum, album, nigrum, viride, ſubflavum, cinereum, fuſcum, aliove mixto colore ornatum eſt. Cæteris omnibus præfertur rubrum minii natiui colore, quod maſculi nomen obtinet. Palleſcens enim fæminæ nomen habet. Huic ſuccedit Corallium album, deinde nigrum. Nam quod alio colore eſt, neque in uſum adhibetur, neque pro Corallio vulgo habetur, etiamſi in iiſdem locis reperiatur, & vere eadem planta ſit. Vidi apud antiquarium Imperatoris variis coloribus Corallia, ac cuius ſurculi lignoſi adhuc ex parte in Corallium mutati erant, ita ut manifeſte planta ipſa lignoſa conſpiceretur, & initium in ipſa Corallii. Fit enim Corallium dum ſuccus lapideſcens ſubit corpus ligni, id alterat, & in ſuam naturam convertit, dum in eo coagulatur. Ex quibus colligitur veriſimile non eſſe ſub aquis, ut aliqui referunt, plantam plane ligneam eſſe, & mollem, ſtatimque è mari extractam congelaſcere, aut coagulari. Si enim hoc verum eſſet, nulla planta Corallii ex parte lignoſa, & ex parte lapidea haberi poſſet. Quævis enim extracta ſubito lapideſceret. Quod tamen falſum eſt, ut dixi. Paulatim itaque ut in aliis aquis lapideſcentibus contingit, ſuccus penetrat, ligni corpus, ac ligni formam & ſubſtantiam acrimonia, aliave qualitate mutat, atque in ipſius locum lapideum id, quod in ſe continet, ſubſtituit, quod concreſcens in Corallii formam abit. An autem Corallium ex lapideo ſucco creſcat, aut generatum aliarum

rum plantarum instar, demum succo dicto alteretur, dubitari posset. Ego plantam ipsam, ut corallinam, algam, cæterasque herbas, quæ in mari ipso nascuntur, crescere non absque succo lapidifico autumo. Non tamen lapidescere, priusquam emoriatur. Emori autem ordinario naturæ motu, vel agente in plantam nimis vehementer succo, qui eam necat, ac subiens, & penetrans intimas illius partes facile transmutat. Quod autem succus lapidescens ad plantæ formam à natura adhibeatur: experientia multorum, qui plerunque observarunt è coctilibus lapidibus nasci Corallium, id comprobatur. Nam in insula Tabacco Africæ finitima, quæ ex parte à mari absorpta est, multum Corallii submersis coctilibus lapidibus, radices habens, invenitur. Cur autem Corallium lapidescat, aliæ plantæ nequaquam, hoc tum propter singularem ipsius dispositionem contingit, tum quia succus lapidescens à natura ipsius substantiæ inest: qui facile lapideam formam, plantam recipere cogit, ac in aliis non ita copiose reperitur. Materiæ tamen semper peculiaris dispositio, & præparatio requiritur ut in eam agens agere possit, quæ sæpe abdita est. Coloris ipsius ratio non magis dari, quam rosæ potest. Huius enim investigatio humanum captum superat, nec ad primas, aut secundas qualitates referri debet, ut nasutuli nonnulli existimant, qui omnium rerum causas ex his qualitatibus venantur. Nam non magis à qualitatibus hæc proveniunt, quam oculi visio. Deus huiusmodi coloribus res ornavit, ac eorum seminaria seminibus ita inseruit, ut alii ab insito spiritu architectonico produci non possint. Excrescit Corallii frutex ad hominis fere longitudinem. Antequam rubescat, ac quodammodo maturus sit, videtur variis coloribus tingi.

*Quomodo Corallum crescat.*

tingi. Quotquot enim plantas vidi nondum exacte in lapidem conversas, omnes vel fusco, vel viridi aliove colore, quo arborum rami tinguntur, colorati erant. Solique illi, in quibus ligneum vix aliquid apparebat, iam rubescere incipiebant, non secus ac in pomis, & pyris rubeus color postremus, ac maturitatis index est. Dum Corallium eruitur multa illi extrinsecus adhærent, quibus depositis nativus, & genuinus color se prodit. Non solum ratione coloris plurimæ sunt Corallii differentiæ, sed etiam ratione materiei. Nam aliud molle, durum, solidum, fistulosum, scabrum, politum, porosum, aliud racemosum. Rubrum, & nigrum cæteris magis est compactum. Exemptum Corallium plerunque scabrum est, hinc fit poliri ab artificibus. Nigrum rarius invenitur, olim *a* Antipathes dictum, quod nonnulli ebenum putant, sed falluntur, cum ebenus lignum sit, ut ante paucos annos ab Hollandis, insula quædam deserta, inter Iavam minorem, & sancti Laurentii insulam inventa, silvis Ebeni arboribus abundans testatur. Invenitur nigrum Corallium in Gallicia Hispaniæ urbe: huic simile quoddam spurium Savalia dictum, ex Mauritania adfertur, cuius interior pars lignea, exterior cornea, & lapidea est, colore ex nigro, luteo, & viridi. *Savalia.* Corallii albi species quædam ab Hispanis Polo vocatur, ac in Catalania ab iis, qui Corallium rubrum quærunt, invenitur, abiiciturque in littus, quod à prætereuntibus collectum pharmacopolis vili pretio divenditur pro Corallio albo. *Polo.* Caret id cortice, crescitque in fundo maris, non in saxis, ut rubrum Corallium. Corallium album solidum est, & cavitatibus caret, raroque reperitur, proinde tutius rubrum, quam album ad medicum usum adhibetur.

Plinio teste rubrum Corallium in India, & Syene reperitur, nunc in mari Tyrrheno passim invenitur, ac Neapolin adfertur, ubi expolitur.

a *Lapis Antipathes, id est, resistens dictus, nascitur in Monte Teuthranta teste Philippo Iacobo Maussacco in libello de fluviis Plutarcho adscripto (ut cap. 9. huius libri monuimus) in titulo de Caico Mysiæ fluvio fol. 71. Vbi sub finem hæc Plutarchi verba sunt: Antipathes Vino attritus, sanat vitiligines, & lepras, ut docet Ctesias Cnidius secundo de montibus. V. Cl. Claudius Salmasius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 942. Antipathen Gemmam Plinii, quæ contra effascinationes auxiliari putabatur, & ἀντιπαθὲς Corallii genus ab eodem effectu dictum putat.*

## Cap. CLIV.

### *Natura, proprietates, qualitates, & facultas Corallii.*

Corallium omne exiccat, astringit, atque refrigerat, cor præcipue, deinde ventriculum, & iecur roborat, atque confirmat, sanguinemque purificat, ac proinde hilarem hominem efficit. Has vires habet intentiores id, quod quam maxime rubet, nam quod subnigrum est, à multis, hominem tristem, & melancholicum reddere perhibetur. Hoc peculiare observatur in Corallio, quod si à viro sano gestetur, elegantius rubeat, quam si à fœmina portetur. pallidus enim redditur, forte quod neque tanto colore fœmina sit prædita, quanto vir, neque tam puri vapores ab ipsius corpore in Corallium, quam à viri exhalent, à quibus vehementer affici, ac coloris mutationem pati multorum experientia certum

*Corallium à viro gestatum.*

certum est. Constat enim Corallium rubrum pallescere, livescere, variisque maculis fœdari, dum à morti proximo, aut periculose ægrotante gestatur. Imo & futuros morbos coloris mutatione demonstrat. Amissum colorem recuperare dicitur si sinapi semine obruatur, aut pane madefacto lavetur. Alii pulverem ex duobus iuglandibus veteribus adiecta salis nitri ʒ j. sem. conficiunt, eo cum panno Corallia fricant ut pristinum colorem amissum recuperent. Alii rursus urinam puerorum antiquam, & quæ residentiam deposuit, relicta residentia in vas vitreum effundunt, ac in effusione Corallos mergunt, ac vase occluso sinunt per quatriduum, tum exiccant, ac rubro panno albos redditos fricant, donec egregie rubescant. Alii Corallos ut pristinum colorem recipiant, in sterquilinium dependent per multos dies, ita tamen ne stercus attingant, hoc enim modo pulchri redduntur.

*Corallium colores mutat. Corallium morbos ostendit. Quomodo coloretur.*

Celebre Corallium est amuletum contra terriculamenta, fascinationes, incantationes, venena, epilepsiam, dæmonum insultus, fulmina, marinasque tempestates, ac quævis pericula, ob quam causam olim Iovi, Phæboque sacrum erat. Album appensum ut pectus contingat hæmorrhagiam sistit multorum experientia.

*Amuletũ est Corallium.*

*Albũ quid possit.*

*a* Corallium cor recreat, & roborat, proinde pesti, omnibusque venenatis, & contagiosis morbis, febribusque malignis adversatur, præcordia adversus pestem, omneque venenum munit, si semidragmæ pondere ipsius pulvis quotidie grassante peste sumatur. Contra vitrioli venenum quod in ventriculo, & intestinis corrosiones, vomitum, secessum, linguæque crassitiem, & nigredinem, difficilemque respirationem inducit ad duas dragmas ex vino exhibitum, omnia illius prava symptomata,

*Cor confortat in peste.*

*Contra vitriolum.*

*b* Foresto teste, compescit. Refert Arnoldus Villanovanus grana decem Corallii rubri ex materno lacte infante primum nato exhibita ante omnem alium cibum, vel potum efficere ne unquam in vita epilepsia corripiatur, quod *c* Camillus Leonardus medicus Pisaurensis, frequenter expertum fuisse testatur. Præterea menstrua nimis fluentia cohibet, gonorrhæam virorum, uterique fluorem reprimit, absque alia corporis noxa, sanguinis reiectionem, ac sputa cruenta, fluxusque dysentericos sistit, & sanat. Renum, & vesicæ calculos expellit, lienemque absumit, ad quos omnes affectus præstans est sequens compositio, quæ vomitum, lienteriam, dysenteriam, diarrhæam, alioque alvi fluxus, pestisque contagia impedit, & arcet. Recip. Corall. rubr. præpar. drag. quatuor. Margar. præpar. drag. duas, Rad. torment. ligni aloes, boli armeni ana. scrup. duo, sacchari dissoluti in aq. Rosarum, & cinnamomi q. s. fiat confectio solida. Huius compositionis dantur drag. duæ pro una vice. Commendatur præterea Corallium ad ulcera, quæ carne explet, item ad cicatrices, quas extenuat, oculorum etiam lachrymas sistit, visumque recreat, si in tenuissimum pulverem tritum, & aqua rosarum aliquoties lotum, collyriis adhibeatur. Dentitionem etiam puerorum promovet, si gingivis id mordere tentent, tenuiores enim illorum frequenti morsu redduntur, ut facilius postea, & sine dolore per eas dentes prodeant. Chymici ex Corallis tincturam, oleum, & sal extrahunt, cuius mirificas ad prædictos omnes affectus prædicant facultates. Solvuntur succo limonum, berberis, ribes, vel aceto stillatitio, solutum effunditur, fæces remanentes calcinantur in tigillo, donec albescant. Solutio Corallorum distillatur ex balneo, relictæque feces in dante calci-

*Ne pueri epilepsia laborent.*

*Ad gonorrhæam & menstrua, alboque fluores.*

*Ad sanguinis fluxus.*

*Ad calculum.*

*Ad alvi fluxus & contagia confectio.*

*Ad ulcera.*

*Ad oculorum lachrymas.*

*Ad dentitionem.*

*Tinctura Corallorum.*

calcinantur, quibus affunditur iterum extillatum ter repetita cohobatione, ita ascendit omnis tinctura. Sal habetur in fæcibus post primam distillationem. Alii sal ita eliciunt, Corallos bene tritos vasi vitreo apposito alembico imponunt, eosque ut vasis fundus excandescat ad albedinem usque calcinant. Calcem aceto distillato potenti immittunt, ac in loco tepido digerunt ad octiduum, quotidie bis agitando materiam, ita tingitur colore rubro: postea colaturam diffundunt, repetunt infusionem. Deinde tincturas omnes simul collectas vesicæ iniiciunt, phlegmaque omne alembico abstrahunt, liquoremque crassum, qui in fundo remansit, in vitrum paulatim infundunt, seroſumque omne in calido exhalare sinunt. Quo evaporato nova Corallorum rudimenta apparent, quæ abluuntur aqua calida sæpius, qua abstracta, exiccatam materiam, supra cineres calidos fovent per hebdomadas aliquot; ita enim in sal albissimum convertitur, quod in quolibet liquore promptissime solvitur.

*Sal Corallorum.*

Tincturam rubeam, quam oleum aliqui vocant, hac etiam ratione colliges. Corallos crasso modo contusos, solue in aceto distillato, cum non amplius solvuntur, effunde, aliudque affunde toties, donec omnes soluti sint. Soluti digerantur decem diebus, ita rubescet acetum, quod evaporetur, ut sicci fiant Coralli, quibus affunde aquam puram, ac dulcem redde calcem tertia ablutione, donec nullæ fæces amplius appareant, & Coralli albi appareant. Calcem supra Marmor in cellario pone, ut in rubram aquam vertatur, ut autem habeas tincturam affunde calci spiritum vini, ut quinque digitis emineat, ac digere per aliquot dies, sic flavescit spiritus, quem effunde, aliumque affunde toties, donec non tingatur amplius. Hos collectos spiritus circu-

*Tinctura Coralli.*

lato quatuordecim diebus, ita erit ad separationem idoneus. Pone itaque postmodum in arena, spiritumque abstrahe, ut Coralli albescant. Supra feces affunde iterum spiritum eundem, ac cohobando septem vicibus illum exstilla, donec nullæ maneant feces in dante, sed tantum tinctura, aut oleum absque corpore. Id si rite operatus fueris, colorem conservæ rosarum habebit. Prædictis tincturis, chymici vires admirandas tribuunt. Ego certe testari possum, me cum extreme febre pestilenti decumberem, animique deliquia singulis momentis haberem, quatuorque dies, & noctes absque omni somno habuissem, omnesque astantes de mea salute desperarent, me sex guttulis tincturæ, cum decoctione violarum, ex cochleari propinatis, extemplo, & quasi miraculose fuisse liberatum. Quamprimum enim duo cochlearia tincturæ sumpseram, cordis spiritus ita recreari, & naturæ gratissimum quippiam accessisse, ac omnia præcordia subiisse sensi, ut ilico quasi luce depulsis tenebris, morbi vim, medicaminis efficacia, manifeste abigi perciperem. Sudorem enim, & crisim, (cuius tamen nulla indicia præcesserant,) movebat, maculasque quamplurimas purpureas ad cutim pellebat. Quibus sudore continuo deletis, brevi pristinam valetudinem recuperabam. Ea facultas tincturæ tribuitur, quod corpus in temperiem redigat cœlesti quadam vi, ac propterea omnes partium interiorum affectus radicitus avellat, propter analogiam, quam habet cum spiritibus vitalibus, & calido innato, quod auget, & roborat ut facile contrarios morbos superare possit. Morbum comitialem, præsertim si spiritu vitrioli præparata fuerit, paucis septimanis prorsus tollere perhibetur, etiamsi à iuventute quis eo laborarit. Præcipue commendatur tinctura ad uteri

*Tinctura Coralli historia authoris.*

*Tinctura facultas.*

*Ad comitialem.*

uteri fluores albos, & rubros, quos ita sistit, ut nullum aliud inde mulier incommodum incurrat, omne etiam alvi, & sanguinis profluvium, ex quacunque parte profluat, compescit. Gonorrhæam etiam virorum diuturnam sanat, longe efficacius, & minori periculo, quam pulvis ex Coralliis præparatus. Sal pestiferis cum vino Rhenano, aut aqua acetosæ, si adsit febris, mirabili successu exhibetur. Diarrhæis, aut dysenteriis pestilentibus non minus eadem dosi medetur.

*Ad uteri fluores.*

*Sanguinis profluvium.*

*Ad gonorrhæam.*

*Sal ad pestem.*

*Ad dysenteriam.*

Ad melancholiam, & tympanitidem celebratur sequens Corallorum præparatio. Recip. Corallorum uncias tres, visci quercini, hypericonis ana uncias quatuor, storacis calamitæ, laudani ana unciam unam cum semisse, spiritus urinæ lib. ij. coquantur simul in cucurbita vitrea per diem, & noctem, postea exstilletur humor, ac iterum affundatur, ita Corallii fiunt duri, & rubri, eos in mortario contunde, & tere supra Porphyrium, ac exhibe sex grana cum aqua hypericonis ad prædicta.

*Ad tympanitin.*

Ad omnes prædictos effectus, liquor Corallorum admirabili virtute præditus, sequenti etiam modo præparatur. Corallos grosso modo contusos solve in aceto terebinthinæ, ac solutos digere per mensem, ita tingetur acetum, quod effunde, aliudque affunde, donec non amplius coloretur. Postea filtra effusa, & sine humidum evaporet omne, residentiam ablue, exicca, ac cum spiritu vini circula, postea distilla, ac postremo supra Marmor solue, ita habebis dulcem liquorem, cuius propina sex, aut octo guttas in convenienti liquore, ad omnia dicta mala.

*Liquor Corallorum.*

Tinctura Corallorum etiam rubra, spiritu quercino, sequenti modo extrahitur, decrescente luna, tribus primis diebus ante Solis ortum, dum luna

*Tinctura cum spiritu quercino.*

vagatur in signo terrestri, aliquot ramos quercinos amputa, quos per retortam satis minutim prius scissos, distilla lente. Phlegma quod primo prodit abiice, aut si omnia simul excipere velis, poteris balneo phlegma seiungere à spiritu, & oleo. Corallos in pulverem tenuissimum redige, quos calefac ut fere excandescant, deinde in spiritum quercinum coniice, qui solet in distillatione phlegma sequi: sinas in digestione per triduum, ita spiritus colorem extrahet rubrum, quem effunde, iterumque calefac Corallos, ac in recentem spiritum quercinum eos iniice, donec omnem colorem habeas, quo habito aufer spiritum distillatione, & in dante habebis tincturam. Essentia etiam Corallorum hoc modo præparatur. Recip. Corallorum in pollinem redactorum lib. 1. vitrioli albi, & salis gemmæ ana unc. unam, tere omnia supra marmor, impone violæ, & affund. aq. levistici lib. 1. obtura vas, & colloca in arena, vel cinere, ignemque da secundi gradus, digere per mensem, & rubefiet aqua, quam effunde, & coagula, aut si velis abstrahe alembico humiditatem, donec remaneat in dante liquor rubens, si rubedo non placuerit, repete opus: huius essentiæ propinantur decem, aut quindecim guttę cum aqua appropriata, dolorem oculorum sedat, lachrymas sistit, ac maculas in oculis nascentes prohibet, & discutit.

*Essentia Corallorum.*

*Ad oculorum vitia.*

a *Observandum autem est, ut Corallorum, & cæterarum gemmarum ramenta super lapidem porphyritem tamdiu atterantur, usque dum redigantur in pulverem, tenuissimi pollinis instar. Et sane advertant Medici, quibus curæ est, ut plus honoris, quam auri lucrentur, ne Corallia, cæteræque gemmæ in æriis mortariis conterantur. Amittunt enim gem-*

*mæ,*

*mæ, plurimaque etiam semina, contusione in ære, vires suas, & ab eo, quod perpetuo resudat ex ære, ab aëre etiam adhæret, & in sordes concrescit, malignitatemque contrahunt: id quod manifeste apparet ex iis, quæ diutius in ære remanent, atque post eximuntur. Addo hoc, quod in vasis æreis destillata, cum aliis medicamentis tuto non miscentur. Exstat Nobile exemplum apud Ioannem Cratonem Medici cuiusdam, qui præscripserat cuidam emulsionem Margaritarum, pharmacopæus eam confecit in mortario æreo, simul ac æger assumpserat, vomuit: degustavit item Medicus, idem ei evenit. Galenus in libris de simplicium Medicamentorum facultatibus Corallii non meminit; sed diversis locis Corallium citat lib. VII. de Compos. Medicam. secund. loc. cap. 4. In iis compositionibus, quæ ab Andromacho, ad sanguinis reiectionem scripta sunt.*

b *Lib. 30. observ. medic. observat 7. in scholio.*

c *Lib. 2. speculi lapidum littera c.*

## CAP. CLV.

### *Dignitas, valor, & usus Corallii.*

CORallum in tanta olim authoritate apud Indos fuit, ut Margaritas fere pretio æquaret, nunc propter copiam, multum ipsius dignitati, & valori decessit. Expetitur tamen à mulieribus, & virginibus, non solum pro ornatu, & mundo, verum ad fascinationes impediendas. Vulgi enim fama constans est, gestatum summopere prodesse, ac non solum fascinationes, sed dæmonum illusiones, incubos, ac nocturna terriculamenta, impedire, ut præcedenti capite ubi *a* facultates Corallii explicavi, ostendi. Rubrum reliquis præfertur, ac quo rubicundius, eo carius. Solet in orbiculos redigi, & perfo-

*Amuletum ad dæmonia & fascina.*

perforari, ut filo traiecto pro brachialibus, aut coronis precariis inſerviat. Uncia rubicundiſſimorum orbiculorum piſi magnitudine uno thalero vendi ſolet. Maiores paulo maiori pretio; minores minori venduntur. Fragmenta ad medicum uſum idonea ſi rubeant, ac quiſquileis careant, ſi libram pendent, thalero venduntur. Corallium racemoſum quod à Principibus ad oſtentationem ſervatur tanti fit, quanti ab eorum appetitu æſtimatur. Vidi Corallii fruticem multis ramis ornatum qui centum thaleris æſtimatus fuit. Poteſt etiam pluris vendi. Appetentis enim luxus æſtimari non poteſt. Multi ſunt qui ſingularia quædam metallica, ac inſolentes naturæ excreſcentias immenſo æſtimant pretio cum tamen inutiles ſint.

*Pretium Coralli.*

*Corallium racemoſum.*

a *Quoniam author facultatis Corallorum hic etiam meminit, non abs re erit hoc loco inſerere deſcriptionem nobilis compoſitionis, & frequenti in uſu, quam Diacorallium vocant, quæ ex Corallis, & aliis ſimplicibus conſtat, cuius uſus, creber eſt in vomitu, lienteria, dyſenteria, & aliis alui fluxibus, quæ hæc eſt.* ℞ *Corallorum Rubeorum præparatorum drachmas duas, Margaritarum præparatarum, drachmam unam, Boli Armeni drachmam ſemis, Ligni Aloes ſcrupulum unum, ſacchari albiſſimi, diſoluti in aqua roſarum, & cinnamomi, quantum ſufficit. Fiat confectio ſolida,*

## Cap. CLVI.

### *Imitatio Corallii.*


VAriis modis conantur artifices imitari Corallium rubrum, nonnulli externam formam, & colorem quærunt, ita ut ſi procul aſpicienti, aut imperito

perito Corallium videatur, contenti sint. Alii ita imitari studeant, ut à vero discerni vix possit, ac veri Corallii vires, & facultates habeat. Priores pyri syluestris fruticem, vix pedem altum, & qui ex vetustæ arboris crassa radice expullulat, colligũt. Hunc quia ramos Corallorum instar inflexos habet, mundant, ac supervacaneos surculos, & corticem auferunt. Deinde oblinunt calide emplastro durissimo, facto ex cinnabari, colophonia, ceraq; alba. Oblinitus frutex, ac igne carbonum lævigatus exacte Corallium refert, ut non nisi à peritis fraus agnoscatur. Posteriores Corallorum fragmenta in pulverem redigunt tenuissimum, ovique albumine, ac sufficienti cinnabaris quantitate adiecta, in formas comprimunt. Exemptum deinde, & duriusculum Corallium iterum ovi albumine, ut splendeat, obducunt. Sunt alii qui loco cinnabaris, quia venenum est, massam cocci, & croci colore tingunt, verum nisi quis colores apte miscere sciat; vix exacte Corallii rubedinẽ nanciscí poterit. Ioan. Bapt. à Porta Coralliũ in tenuissimum pulverem redigit, deinde in tepido salis alkali lixivio manibus aliquoties nova adiecta aqua lavat. Postea aqua simplici aliquoties abluit. Tandem cum resederint, addit colorẽ cinnabaris, sanguinis draconis, Hæmatitis, minii, boli armeni, rubricæ, cocci, santali, brasilii, erithrodani, aut alium adiecto limonum succo per filtrum purgato, quem bene movet, postea in vitrum violæ transfert, recteque permiscet, ac in fimo condit, donec pulvis solvatur in rubicundissimum liquorem, quem decapulat. Mixturam vero manibus pinguedine illinitis, tractat, ac in formas comprimit, calentique Soli exponit, ac oleo perungit, ut lævigetur, ac durescat veri Coralli instar, quæ postea expolitur.

*Alia imitatio.*

A Co-

A Corallium verum. C Corallium album. D Corallium album verrucoſum. E Pſeudo-corallium album.




F gypſum

F Gypsum Coralloides. G Lythophitum Coralli formæ. B Pseudocorallium nigrum.




CAP.

## Cap. CLVII.

### *De Pseudocorallijs nativis.*

Corallio albo similis planta invenitur verrucis multis referta, ob quam causam Corallium Verrucarium dici potest. Color intus, & in fracturis cinereus est, circa truncum ex albedine parum, interdum extrinsecus rubescit. Duritiem, & pondus Corallii rubei habet, superficies tota plerunque lineis inæqualibus scatet, ubi frequentes habet verrucas, quæ porosæ sunt, & vesiculas habent, è quibus congri in mari Hispanico sugunt.

Aliud genus Pseudocorallii albi invenitur, *a* Gesnero teste, fungosum, tuberosum, leviterque articulatum, pennæ anserinæ crassitie, & fragile, ambiente crusta albida constans, parte interiori fungosa, ac friabili, plena radiis exilibus, & crebris, qui à communi centro incipiunt, & in crustam desinunt. Substantia asperiuscula, & dentifriciis apta videtur: sapor ei nullus.

*Savalia.* Nigrum Pseudocorallium etiam habetur Savalia dictum, cuius mentionem feci præcedenti capite, cuius cutim extimam si adimas, & expolias, nigro colore pulchre nitet. Adhæret saxis in mari. Interior pars lignum est, quod per omnes ramos extenditur, hoc cornea, & tenaci crusta, ac lapidea dura non friabili obducitur. Color cutis è fusco luteo, & subviridi constat, verum crusta illa crassa nigredine, aliove colore splendens, minores tantum ramos, & extremos obducit, tenuissimum lignum in se fili instar habentes. Crassiores rami cute tantum teguntur, quam si radas, marinus quidam, ac piscosus odor sentitur, ac mox lignum quod subest, se videndum offert, ac si poliatur, nitet. Putat Gesnerus hanc plantam

plantam ab Agricola pro ebeno fossili haberi. Ad Pseudocorallii species referri potest planta, quæ in littore Baiano invenitur, ac ab incolis Parma vocatur, quam multi Corallium imperfectum, atque ab Aristotele Adarcen, vel antoloden vocari putant. Ad Pseudocorallii species etiam corallina ad vermes necandos celebris, & Gypsum coralloides referri posse videntur.

*Ebenum fossile.*
*Parma.*
*Adarce.*
*Corallina.*
*Gypsum Coralloides.*

a *Libro de Fossilibus Impress. Tiguri (ut post caput 52. huius libri monuimus) fol.* 138.

## CAP. CLVIII.

### *De Succino.*

SUccinum ab Arabibus *Ambra*, à Persis *Carabe*, ab Ægyptiis *Sacal* appellatur, Galli *de l'Ambre* vocant, Germani *achstein* vel *bornstein*, Græci electrum, antiqui Germani *glessum*, vel *glesse* nominabant. Quidam antiquorum Lyncurium putant, verum ego, ut in cap. de Hyacintho exposui, Lyncurium Hyacinthi speciem puto, eamque quæ Succinum ita exacte refert, ut ab illo visu solo discerni non possit. Succinum aliqui Bituminis speciem ponunt. Aliqui arboris lachrymam, aliqui succum ex terra manantem, à maris frigiditate, & salsugine condensatum. Alii balenarum pinguedinem, vel semen. Igni admotum Succinum flammam concipit, ac fricatum ut calescat, ad se paleas trahit. Odorem habet suavem. Dum perspicuum est araneas, muscas, aliaque insecta, aut arborum particulas in se interdum continet, ob quam causam multi olim succum fuisse colligunt, qui vel ex arboribus, vel terra emanans, ac insecta obvia in se mergens, ita ut nunc apparet, coaluerit. Quam sententiam im-

*Lycurius.*
*Quid sit Succinum.*

probare non possum. Si quis obiiciat in mari huiusmodi insecta non esse, respondeo ante aliquot secula, ubi iam mare est, terram fuisse, ac olei fortassis fontem, ex quo effluens oleum, facile huiusmodi animalcula in se recipere, & demergere potuit. In Belgio marina loca terrestria fieri, ac terrestria maritima sæpe deprehenditur. Nam in fundis nonnullis prope urbem Brugensem patriam meam celeberrimam, dum ad decem, vel viginti ulnas foditur, integræ sylvæ reperiuntur, arborumque folia, & trunci tam exacte adhuc apparent, ut species arborum dignosci, & foliorum etiam series singulis annis delapsa, distingui optime possit. Utuntur huiusmodi lignis, & foliis carbonis vice, nostro idiomate *Deerynck* vocant. Sylvæ hæ subterraneæ inveniuntur in illis locis, quæ ante 500. annos mare fuerunt, ac postea à mari evicta ac à mari aggeribus separata fuerunt. Ante quos annos nulla memoria est, illa loca unquam extra maris alveum, & in continenti fuisse. Quia tamen sylvæ reperiuntur, & arbores, quorum cacumina, & superiores partes Orientē ideo respiciunt, quod à marinis procellis, Occidentalibusq; ventis, Orientem versus, non alio deiici potuerint, necessarium est ante hominum memoriam loca illa aliquando terrestria, ac extra marinos terminos fuisse. Ut hoc illis locis, ita simile etiam iis, ubi Succinum reperitur, potuit contingere; tantaque olei bituminosi quantitas olim effluere, ut frigore, & salsugine maris concretum, ad innumeros annos sui copiam faciat, nunc adhuc effluere verisimile non est, cum in mari huiusmodi animalcula neque conspiciantur, neque vivere possint. In littoribus vero aliarum provinciarum huiusmodi fontes esse, in mare fluere, ac Succinum ibi congelari, deinde tempestate ad littora

*Vbi olim mare nunc terra.*

*Deerynck. Sylvæ subterraneæ.*

Borus-

Borussorum pelli, etsi fingi possit, tamen veritati consentaneum vix videtur hac ætate, qua Daniæ, Sueciæ, Livoniæ, Finlandiæ, vicinarumque regionum littora omnibus notissima sunt. In quibus huiusmodi fontes, & scaturigines nunquam animadversæ sunt. Nisi quis in specubus subterraneis, ex putredine huiusmodi animalia generari asserat. Album Succinum vetustius flavo, & pellucido videtur.

## CAP. CLIX.

### *Genera, loci natales, ubi inveniatur, & qua magnitudine sit.*

SUccini tria præcipua genera statuerem. Minerale, animale, & vegetabile. Minerale id quod ex aura bituminosa, vel ex oleo bituminoso, eiusve puriore portione concrevit. Animale quod ex animalium pinguedine induratum est. Et vegetabile quod ex lachrymis arborum resiniferarum coaluit. Istorum Succinorum innumeræ sunt differentiæ. Quia succi bituminosi in terra diversi sunt, & resinæ etiam plurimum inter se consistentia colore, & odore differunt. Quēadmodum etiam animalium, & piscium olea, & pinguedines sunt differentes; ex quibus, dum à maris salsugine condensantur, variæ species, vel Succini, vel Succino similes efformari possunt. Verum hodie quia *a* aliqui omne Succinum ab arboribus fluere, aliqui mineralem succum esse contendunt, tantum quatuor illius differentiæ statuuntur. Unum album, seu candidum vix unquam transparens, rarum, cæterisque prætiosius, balsamo viribus simile odorem suavem, & fragrantem spirans, alterum auri modo flavum, & transparens plerunque, in quo varia animalcula insecta, festucæ, herbarum,

*Minerale.*

*Animale.*

*Vegetabile.*

*Quatuor differentiæ Succini.*

arborumve ſurculi, aut ſemina conſpiciuntur. Id aliquando Chryſolithum, Carbunculum, Hyacinthum, vel Topaſion, reliquaſque gemmarum differentias ſuo colore exprimit. Tertium variis coloribus ornatum, interdum tranſparens, interdum opacum. Quartum opacum, variiſque coloribus ignobilioribus uno, vel pluribus fœdatum, quod è pingui exhalatione bituminoſa, concurrente terreſtri, nitroſaque materia, concretum eſt, ac interdum in agris invenitur, alias omnes hæ Succini ſpecies in Sudinorum Oceano, marique Boruſſico ab incolis piſcantur. Dum enim Favonius, Caurus, aut Traſcias ventus ſpirat, tum Succinum ad littora expellitur, ac piſcatores nudi fervente maris æſtu, illud reticulis, perticis affixis ingrediuntur, Succinumque colligunt, pro quo tantum illis ſalis rependitur. Aiunt nonnulli in Sudinorum Oceano vix triginta à littore ſtadiis, ſereno cœlo, ſcintillare quiddam inſtar pellucidi bituminis in fundo maris, ac ad eum locum convolare piſces. Hic Succini ſcaturiginem, vel congelatam, & induratam maſſam montis inſtar arbitrantur, à qua fluctibus, & tempeſtate maris disfractæ particulæ ad littora pellantur. Sed incerta hæc omnia. Succinum in Balthico mari inter Suevi amnis, & viſtulæ oſtia invenitur. In continenti Iſlebiæ alias maſſa humani capitis magnitudine in fodina inventa fuit. Colligitur quoque in lacu ſalſo, non procul ab eo loco. In Pruſſia in littore Pucici ſinus, non longe à monaſterio oliva effoditur. Item in lacu quodam à mari remotiſſimo, ubi veteris, & nobilis familiæ Truthſiorum à *VVetshauſen* pagus eſt, diſtante ab oppido *Raſtenburg* tribus miliaribus. Item prope Regiomontem Pruſſiæ interdum ex terra effoditur; ſed maior copia ad littora Sudinorũ colligitur. Theophraſtus in Æthiopia,

*Modus colligendi Succinum.*

*Mons ex Succino.*

*Vbi inveniatur.*

pia, Xenocrates in Numidia, Assubaras iuxta Atlanticum mare, & Nicias in Ægypto nasci tradunt. Verum illorum tempore locus natalis illis fuit ignotus. Primus Cornelius Tacitus ubi reperiatur satis pro sua ætate exacte describit, his verbis, Æstii populi ad dextrum Suevici maris littus mare scrutantur, ac soli omnium Succinum, (quod ipsi glessum vocant) inter vada, atque in ipso littore legunt. Nec quæ natura, quæve ratio gignat ut Barbaris quæsitum, compertumve. Diu quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quædam, atque etiam volucria animalia plerunque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materia cluduntur. Fœcundiora itaque nemora, lucosque sicut Orientis secretis, ubi thura, balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis, terrisque inesse crediderim, quæ vicini Solis radiis expressa, atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Si naturam Succini admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem, & olentem, mox ut in picem resinam lentescit. Hactenus Tacitus. De ipsius origine multæ fabulæ olim à Poëtis, & Historicis confictæ fuerunt. Sophocles concretas lachrymas Meleagridum avium Meleagrum deflentium scripsit. Alii Phaëtontem, cum equos Solis male rexisset, à Iove fulmine peremptum fuisse, ac in fontes Eridani, seu Padi fluvii decidisse, eiusque mortem Nymphas sorores ita flevisse, ut doloris magnitudine in populos fuerint conversæ, quæ singulis annis eodem tempore lachrymas producant, è quibus electrum fiat, tradunt.

*Veterum de loco ubi inveniatur opinio.*

*Fabulæ de Succino.*

Sunt qui Lyncis animalis lachrymas induratas Succinum esse scribant. Mithridates è cedrino arborum genere nasci dixit. Ægineta Succum albæ populi putavit. Cardanus nunc maris, nunc phocarum spumam esse arbitratur. Ego pinguem terræ Succum, seu oleum bituminosum olim effluxisse, & induruisse, & nunc adhuc effluere, ac à maris salsugine coalescere, tenuique portione excluſa indurescere, vel à subterraneo calore, pinguedinem hanc in spiritus resolvi, sublimari, ac intra terræ poros, à nitrosis spiritibus, iterum figi, ac coagulari existimo. Spiritus enim salis chymicorum experientia non solum alios spiritus, sed oleosa quævis facile congelant, & coagulant. Id smegmata, quæ ex sale, & oleo coaluerunt, & resinæ species, quæ in aqua vitrioli, adiectis aquis astringentibus, multorum experientia indurantur, ostendunt. Succini frusta humani capitis magnitudine interdum inveniuntur. Scribit *b* Plinius Romam Succini glebam XIII. librarum allatam fuisse. Album rarius magnis frustis reperitur, idque aureo vetustius, quia exesum, magisque friabile esse iudicatur, ob hanc causam aureum ab Italis illi præfertur; verum experientia viribus flavo, aureoque præferri debere testatur.

*Opinio authoris.*

*Magnitudo.*

a *Inter quos est etiam Petrus Bellonius lib. 2. observat. cap. 72.*

b *Libro 37, Naturalis historiæ cap. 3. littera g. Hector Boëtius tradit apud Schetlandiæ Buthquamiam, electri massam, equo maiorem, appulisse, qua rustici, & parochi Sacerdotes, ignari quidnam esset, thuris loco utebantur. De Succino plura scripserunt Petrus Andreas Matthiolus in lib. 1. Dioscorid. cap. 93. Hieronymus Cardanus lib. V. de subtilitate. Georgius Agricolæ*

*Agricola lib. IV. de Natura Fossilium cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Andreas Aurifaber quondam Illustriss. Princip. Borussi ac. Medicus, libellum conscripsit de Succini historia, qui libellus insertus est tomo 4. consiliorum, & epistolarum medicinalium Ioannis Cratonis post epistolas. Aëtius lib. 2. Tetrabibl. cap. 35. Paulus Ægineta lib. VII. littera h, & alii, quos hic particulatim recensere nostri non est instituti.*

## CAP. CLX.

*Natura, facultates, proprietates, & qualitates Succini.*

SUccinum astringens, modice igneæ, & calidæ est naturæ, flavum calidius paulo albo, quod non tantum olei in se habet, esse videtur. A medicis album maiores habere vires, quam flavum censetur. Commendatur autem ad varios affectus. Si forinsecus gestetur pueros contra fascinationes, nocturnaque terriculamenta tueri perhibetur. Cervici alligatum Succini frustum, oculorum lachrymas fluxus, & ophthalmias miraculi instar sanare à Myzaldo scribitur. Commansum album Succinum linguam grata dulcedine, ac nares odore fragrantissimo afficit. Cordi imprimis amicum est, propterea syncopen, animi deliquia, cordis palpitationem, & pestem curat, morbosque contagiosos abigit, & cor contra omnia venena tuetur, Balsami enim instar spiritus cordis recreat, viribus auget, purosque reddit. Cerebro non minus, quam cordi convenit. Illud enim si nimio humore gravetur corrigit, ac proinde vertiginem amovet epilepsiam, apoplexiam, defectum memoriæ, carum, lethargum, ephialten, paralysin, aliaque vitia, quæ à cerebro oriuntur, non solum curat, sed ne quis

*Amuletum.*

*Ad lachrymas oculorum.*

*Ad cordis affectus.*

*Ad cerebri vitia.*

*Ad asthma.* in ea præcipitetur, prohibet. Asthmaticos à paroxysmo liberat, urinæ difficultate, calculoque laborantes, statim liberat. Hydropicorum ascitico-
*Ad calculum.* rum aquas miraculi instar brevi, urinæ promotione
*Ad hydropem,* educit. Gonorrhæam, hæmorrhagiam, ac difficul-
*Asciten,* tatem intestinorum compescit, dentium dolores
*Gonorrhœam.* sedat, menses retentos ciet, uteri fluorem sistit.
*Fluxum sanguinis,* Uteri strangulatum peculiari vi prohibet, & curat.
*Dentes.* Partum, & uterum retinet, illumque si difficilis
*Menses.* fuerit facilem reddit, catarrhis, morboque articu-
*Fluorem uteri.* lari medetur. Renes, & matricem purgat, ventri-
*Partum.* culi vitia omnia corrigit, eiusque tunicas ab infar-
*Arthritidem.* ctu vitiosorum humorum liberat, ac ne quid in eo
*Ad cordis affectus,* putridi, aut dolor oriatur, prohibet. Ad cordis omnes affectus, pestem, venena, morbosque contagiosos domandos, pulvis sequens mirifice præstat. Recip. Succini albi drag. 1. Perl. præp. Coral. præp. ana scrup. sem. ossis de corde cervi, rasuræ eboris, cornu cervini, ana scrup. unum, terræ sigillatæ, Boli armen. fol. auri ana scrupu. sem. fiat pulvis subtilissimus. Dosis est à scrup. uno ad drag. unam cum aqua appropriata, ut melissæ, tormentillæ, aut acetosæ. Ad apoplexiam, epilepsiam, & catarrhos ad pectus decumbentes prohibendos multi præservantur sequenti pulvere, Recip. Succini albi drag. duas, spec. diarrh. dragm. unam, diamarg. frigid. de gemmis ana drag. semis cum aqua bethonicæ detur drag. una, altera à
*Ad cerebri morbos.* novilunio die. Ad cerebri vitia omnia sequens pul-
*Ad epilepsiam.* vis admirandæ facultatis est, epilepsiam enim desperatam curat, non solum in pueris, sed & in adultis. Vermesque omnes interficit, unde sæpe epileptici paroxysmi oriuntur. Recip. Succini albi drag. duas, cranii humani, ungulæ alcis, rad. pæoniæ maris sem. pæoniæ, sem. rutæ, cumini, cinnamomi, ana scrupulos duos, cinabrii montani scrup. unum, fol.

auri

auri scrup. sem. Margaritar. præparat. Corall. præparat. an scrup. semis, datur pulvis iste à scrup. uno, ad scrup. duo cum aqua rutæ, pæoniæ, ceraſorum, aut bethonicæ, die proximo à novilunio. Si pulveris forma non placuerit, adiiciatur ſacchari albi q. s. & fiant rotulæ dragmas duas, aut tres pendentes, quarum una veſperi ante lecti introitum ſumatur. Ante tamen uſum iſtorum ſemper purgatio præmittenda. Ad capitis defluxionem, & tuſſim, ac aſthma decoctus pulvis exhibetur cum aqua decoctionis guaiaci, ad dentium dolores decoquitur cum vino, ac unciæ duæ decocti ſingulis diebus propinantur. Si calor adfuerit, loco vini, aqua meliſſæ, menthæ, aut cuſcutæ adhibetur. In pulverem redactum ex vino propinatur ad album uteri fluorem, ad gonorrhæam ex ovo ſorbili dragm. una præbetur utiliſſime. Ex vino potatum gravidis geſtationem fœtus leviorem reddit, calculum pellit miraculi inſtar, ſi paliuri ſemen addatur; menſes provocat, ac uteri ſtrangulationem ſiſtit, partuſque difficiles faciles reddit datum cum vino dragmæ unius pondere, id enim frequenti experientia comprobatum eſt: ſi parum croci addatur, ac cum decocto arthemiſiæ exhibeatur prædictus pulvis efficacior erit. Ad morbos articulares coquitur cum guaiaco, ad ventriculi robur conſervandum, ac tunicis ventriculi humores adhærentes exturbandos, oculorum ac matricis, reniſque vitia emendanda celebrantur mirifice ſequentes pillulæ. Recip. Suc. albi, maſt. ana dragm. tres, extracti aloes ſimpl. drag. ſex, agarici trochiſcati dragm. iij. ariſtolochiæ rotundæ veræ unc. ij. myrrhæ unc. j. croci unc. ſemis, cum ſyrup. de bethonica fiant pillul. 9. ex dragm. una, ac dentur quatuor, vel quinque circa lecti introitum. Succini fumus exceptus utero, cum decidentem, in priſtinum

*Ad catarrhos.*
*Ad dentiũ dolores.*
*Pro gravidis.*
*Ad calculum.*
*Ad articulares morbos.*
*Ad ventriculi vitia.*

locum restituit. Naribus admotus strangulatum ipsius prohibet, ac cubiculis exceptus, aëris putredinem corrigit, pestisque miasmata consumit, eorumque nocumenta emendat.

*Ad pestem.*

*Oleum Succini.*

Paratur ex Succino oleum balsami instar, ad omnia prædicta vitia admirabile, multoque efficacius pulvere, hac ratione. Per descensum, vehementi igne è Succino nigrum oleum fœtidum, asphaltique odorem referens, exustum, fluidum, liquido bitummis colore, consistentia vero oleo lini simile depellitur. Id in retortam conjectum, ac elicitum aurei coloris oleum, odore suavius, ac diaphanum, longeque priori tenuius, petrolei instar, promit. Hoc postea per balneum distillatum, aquei coloris oleum tenuissimum, & ad omnis generis obstructiones reserandas aptissimum, adque epilepsiam, apoplexiam, paralysin, & vertiginem prohibendam, & sanandam, hydropemque, & calculum sanandum peridoneum præbet. Huius vires admirandæ sunt, ut propterea Europæum Balsamum vocetur, ac veri Balsami loco haberi possit. Quicquid virium petroleo tribuitur, huic multo magis tribui debet. Succini oleum alii aliter distillant. Sequens modus cæteris videtur facilior. Succini pulvis humectatur lixivio fortissimo, ne intempestive ascendat, postea cucurbitæ æneæ imponitur, eaque aperto igni committitur, supraponitur illi alembicus, ac rostro, seu naso additur alter canalis vitreus, ut longiorem viam habeat oleum, ita enim melius extillatur. Extillatum inditur alteri concurbitæ, addita aqua, quæ committitur balneo mariæ, aut arenæ, ita modeste extillatur iterum, & rectificatur. Quinetiam tertia vice à nonnullis distillatur, ut purius sit, addito sale, vel oleo salis. Alii prima vice in spiritu vini solvunt, Succinum macerant, & deinde

*Vires olei.*

*Oleum aliter.*

*Aliter oleum.*

inde oleum extillant. Alii in aceto forti, vel distillato. Alii per se lento igne distillant, ac postea repetitis distillationibus per balneum rectificant. A multis hic modus celebratur. Recipe fragmenta Succini non subtiliter pulverisati lib. 3. adde pulveris silicum calcinatorum, aut arenæ mundæ lib. 4. imponas retortæ lutatæ, eamque furno probe committe luto, addito vitreo recipiente cum aqua. Urge igne lento, & prodibit album oleum, in aquam decidens. Dum flavescere incipit, muta recipientem, idque seorsim collige, donec rubescere incipiat. Id iterum seorsim collige alio recipiente. Atque hoc modo tria habebis olea. Albi olei ex libra habebis uncias duas, flavi unciam cum semisse, rubri uncias duas. Ignis fortior esse non debet eo, qui requiritur, ut cera fundatur. Si maior fuerit ebullit. Ubi olea nactus fueris, poteris illa rectificare, & aquæ instar limpida efficere. *Aliter oleum.*

E Succino etiam magisterium hac ratione paratur. Tunditur minutissime, huic affunditur spiritus vini, ut solvatur. Solutum transfunditur, aliudque affunditur, quousque quod solvi potest solvatur, ac per mensem digeritur. Postea aquæ omnes tinctæ igni solvuntur in auras, ita in fundo reses oleum magisterium est Succini, quo cicatrices in facie delentur, ac vertigines fugantur. Valet ad omnia, ad quæ oleum, ac eodem modo in usum adhibendum est. Verum olei gutta unica, plus virium habet, quam sex magisterii. Olei usus hic est, ad aëris contagia, pestem ac catarrhos prohibendos, nares oleo inunguntur, aut aliquot guttæ gossipio excipiuntur, quod sæpe naribus, olfaciendi gratia, adhibetur, ac præstantius est, si gutta una olei garyophyllorum addatur. Eiusdem efficaciæ tabellæ sunt, ex solo saccharo præparatæ, adiectis guttis paucis olei *Magisterium Succini.* *Olei usus.* *Tabellæ è Succino.*

*Vires olei.* olei Succini. Præservant etiam tres guttæ cum sale absinthii, & aqua scabiosæ, acetosæ, aut tormentillæ quotidie sumptæ à peste. Ac curant septem cum aqua card. bened. & sale arthemisia bibitæ, quia sudorem potenter, vel urinam movent, ac virus omne expellunt. *Ad apoplexiam.* Ad apoplexiam, & paralysin, vertiginem, incubum præservationis causa cum aqua Bethonicæ, lavendulæ, cerasorum, cinnamomi, tiliæ, vel salviæ, aliquot guttæ quotidie sumi possunt. *Ad loquelam.* Nam correptis loquelam restituit oleum, si statim 8. illius guttæ, cum prædicta aliqua aqua, offerantur. Imo integre curat si nucha, & membra eo inungantur, ac per aliquot dies eius usus frequentetur, ac pulsus temporum eo inungantur. Potest oleum unguento appropriato misceri, eoque membra paralytica, aut nervi contracti, ut curentur, inungi. *Ad calculum.* Ad vesicæ, vel renum calculum, ac urinæ suppressionem una, aut duæ guttæ cum aqua pimpinellæ, saxifragiæ, Raphani, nasturtii, aut petroselini propinatæ, calculum pellunt, ac obstructiones solvunt. *Ad partū.* Idque etiã fit si umbilicus, & perinæum oleo inungantur. Dum difficile partus procedit sex guttæ cum aqua arthemisiæ, & cinamomi facile fætum promovet. *Ad uteri strangulationem.* Ad quem etiam effectum pinguedine anguium miscetur, eaque umbilicus inungitur. Ad uteri strangulationem etiam guttæ, tres, cum aqua menthæ, propinantur, ac nares, & umbilicus inunguntur, hoc enim modo facile restituitur mulier. *Ad menses.* Tres guttæ cum aqua anisi sumptæ, alba menstrua sistunt. Septem vero octidui spatio bis sumptæ cum aqua pulegii retenta menstrua fluere faciunt. Ad eundem scopum tabellæ ex saccharo cum aliquot *Ad catarrhos.* guttis olei faciunt. Si quotidie sumantur guttæ quatuor, etiam caput, frigidis catarrhis, & vertigini obnoxium, curant, & roborant, ac anhelitum

libe-

liberiorem faciunt, cordisque robur augent ne syncope afficiatur. Dantur autem singulis septimanis bis cum aqua appropriata, ut dixi. In deliquio animi cervix, nares, & pulsus temporum inunguntur, ad vomitum orificium stomachi. Dum sanguinis sputo quis corripitur tres guttæ bis in septimana cum aqua Tussilaginis offerendæ sunt. Ad ictericiam tres guttæ dantur cum aqua Chelidoniæ, ad visus obscuritatem cum aqua Eufrasiæ. Ad colicam cum aqua menthæ, aut cinnamomi. Ad febres cum aqua gentianæ. Ad vermes cum aqua Tanaceti. Ad melancholiam, cum aqua roris marini, mirabile est.

*Ad deliquia.*
*Ad sanguinis sputa.*
*Ad ictericiam.*
*Ad colicã.*
*Ad febres.*
*Ad melancholiam.*

## CAP. CLXI.

### *Dignitas valor, & usus Succini.*

PLinii *a* testimonio taxatio Succini propter dignitatem, & authoritatem, qua colebatur à Romanis, tanta fuit, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum, vigentiumque pretia superaret. Domitius Nero in cæteris vitæ suæ portentis, capillos quoque coniugis suæ Popeæ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine Succina appellando. Hodie coronas, & vascula, seu pocula ex Succino parantur; illæ brachiis ornandis, & ad *b* preces numerandas, hæc ad medicamenta singularia custodienda, mensasque ornandas, in usu sunt. Vascula, quæ humani pugni magnitudine sunt, ac rite elaborata 10. vel 16. Thaleris æstimantur, nisi cælaturæ artificium singulare, materiæ æstimationem multoties superet. Si figuras in se aliquarum rerum contineat Succinum, à possidentis affectu æstimatur: fragmenta Succini aliter æstimantur. Albi enim fragmenta 6. thaleris venduntur. Mixta ex albo,

albo, & flavo Succino, duobus thaleris. Nigra vero & impura medio thalero, imo etiam quadrante, si multum impuri contineant. Mixta fragmenta ad olei extractionem imprimis valent. Album enim Succinnm tantum olei non præbet, quia aridius, partibus videlicet oleosis vetustate exhalatis, marisque frigiditate expressis. Valet etiam Succinum ad vernicem faciendum, quo pictores, ac typographi utuntur.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. 3. littera h.*

b *Precatoriæ Sphærulæ è succino, teste Petro Bellonio lib. 2. observat. cap. 72. non minore sunt apud Arabes, Syros, Ægyptios, & Indos pretio, quam apud Christianos: nam Turcæ perinde his sphærulis utuntur, ut nostri homines, & suas preces pro eorum consuetudine ad eas demurmurant. Sed & ad alios varios usus applicant, veluti ad ornatum ephippiorum, frænorum, clitellarum, equorum, mulorum, camelorum.*

## Cap. CLXII.

### *Imitatio, & adulterium Succini.*

PLinii tempore tingebatur ad libitum Succinum, hædorum, & anchusæ radice, ac etiam conchylio, id est, violæ serotino colore. Hac ætate ars tingendi Succinum periit. Si tamen verum sit, quod vulgo scribitur, in ceram ferventem immissum, molle fieri, facile quosvis colores recipere poterit. Imitatio Succini à multis proponitur. Cardanus ovi candido, & tragacanthi lachryma immissis formicis, culicis, muscis, paleis, Succinique pulvere, ut bene oleat, & festucas trahat, Succinum imitari conatur, ac melius, aptiusque candido ovi,

ovi, vitellum iudicat, quod coctum humiditatem, putredinis authorem amittat, ac in lapidem durescat. Myzaldus, Crystalli pollinem, albuminis ovi conquassati, aqua croco addito, miscet, vitro imponit, ac aquæ ferventi committit, dum duram consistentiam adipiscatur, quam efformat. Verum si corpus diaphanum cupiat, ante coctionem materiam percolat; sed modus iste mihi non placet. Baptista à Porta mastichen liquidam per colum traiicit, ut expurgetur, parumque radicis curcumæ adiicit, ac Succini speciem imitatur. Sed utilius, & verius imitatur is nativum Succinum, qui id dissolvere, ac dissolutum iterum coagulare, vel in massam cogere novit. Quomodo autem id fieri debeat, verus physicus, ac qui prædicta intelligit, facillime assequi poterit. Ignaris, ac Musarum osoribus hæc aperire nefas existimo. Sufficiat itaque naturæ scrutatori, viam ita facile hoc capite demonstrari, ut falli non possit. Qui exactam Succini historiam vult, Andreæ Libavii viri Doctiss. tractatum legat.

## CAP. CLXIII.

### *De Gagate.*

GAgates nigrum Succinum exustum, & induratum videtur, splendet politum, sed Succino gravius olet odore sulphureo. Paleas etiam, Succini instar attritu calefactus trahit, ut resinæ, & bituminosa dura fere omnia. Nomen habet à loco natali, *a* Plinio teste, loci, & amnis Gagis Lyciæ Galen. 9. simpl. ita describit. Est & alius lapis colore nigro, qui ubi igni admotus fuerit, persimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioscorides, nonnullique alii in Lycia inveniri prodiderunt, ad fluvium

vium nomine Gagaten, unde & ipsi lapidi nomenclaturam dicunt inditam. Pissasphalto non est dissimilis, sed multo durior, nigriorque. A carbone fossili differt, quia Gagates solidior, densiorque est, ob exhalationem, quæ sensim assavit, & excoxit humidum oleosum. Materia Gagatis similis videtur fecibus, quæ extillato Succini oleo remanent in retorta. Hæ enim si diutius omni oleo exstillato assentur, splendent picis instar, ac tandem refrigeratæ iusto modo, in Gagaten permutari posse videntur. Nicander Gagaten in Theriacis suis Engangin, & Gangitin vocat, à Gangæ Lyciæ civitate, aut Gagate fluvio. Agricola Obsidianum lapidem Gagaten putat, quod nigerrimi sit coloris. Sed Plinius inter vitra retulisse videtur. Samothracia gemma à loco eiusdem nominis appellata, videtur politus esse Gagates. Gallis vocatur Gagates *aget*, Germanis *Schvvartzer agstein*.

*Obsidianus lapis.*

*Samothracia.*

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 19. littera f.*

## Cap. CLXIV.

### *Genera, & loci natales.*

Duplex invenitur rufus, & niger. Reperiturque non solum ad Gagaten fluvium, sed in Britannia, Sicilia, Agro Leodiensi, Sedunensi, in Gallia, & iuxta Aquisgranum. Aliquando etiam scissilis invenitur, aliquando bene unitus, alter etiam altero durior est. Niger, lævis, & compactus est, igni appositus facile flammam concipiens, thurisque odorem referens. Nonnulli hunc à Thracio lapide distinguunt, alii non, iterum alii à Succino nigro distinguunt, alii Succinum nigrum putant. Natura ut in Succini differentiis, colore, & consistentia, ludit.

*Thracius lapis.*

ludit. Ita in Gagatis, aut Bituminis induratis speciebus, ut propter mixtionum diversitatem, nihil certi statuere possis, Inter neotericos Andreas Libavius differentias omnes istorum lapidum satis accurate persequitur, quem Lector consulere poterit.

## CAP. CLXV.

### *Natura, facultates, & vires Gagatis.*

ATtritu calefactus Succini instar paleas trahit, fictilia ex eo inscripta, Plinio teste, non delentur. Oleo facilius extinguitur, quam aqua. Oleum enim commiscetur ei, ac ignitum corpus suffocat, aqua cum pinguedini misceri non possit, ignito cedit corpori, nisi omnino id totum tegat, & obruat. Verum id non facile fieri potest. Quia lapis levis est, & suprema aquæ, ut oleum omne petit. Calidæ est facultatis. Suffitu serpentes fugat, dæmoniacos prodit, ac dæmonibus adversari creditur. Epileptici, aut morbo comitiali laborantes, si suffitum ipsius olfecerint, extemplo morbo corripiuntur. Ob id num liberati sint, necne hac nota facile percipitur. Contra nocturna terriculamenta, ephialten, dæmonumque vexationes, ac præstigia gestatus plurimum conducit: suffitus menstrua provocat. Partum pulvis potatus plurimum iuvat, & accelerat. Suffitus naribus exceptus, utero suffocantes restituit. Diureticæ est facultatis, ob id confert hydropicis pellendo humorem per urinam, suaque qualitate, ac corroborandi vi, quia hepatis, & ventriculi vitia corrigit, humores superfluos consumendo, ac in halitum digerendo. Virginitatem prodit, non solum suffitu, sed potatu. Nam si puloverem bibat virgo, non urinabit, si corrupta sit,

*Num epilepticus sit curatus.*

*Ad partũ.*

*Diureticus Gagates.*

*Virginitatis exploratio.*

urinam retinere non poterit, multorum testimonio. Ex vino decoctus pulvis dentibus medetur. Ex Gagate lapide oleum distillatur, petroleo viribus pene simile, calidius tamen. Prodest ad epilepticos, dæmoniacos, paralysin, convulsionem, tetanum. Eius usus præcipue ad frigidam podagram, omnesque frigidas fluxiones commendatur, inuncta parte. Item ad conceptum, & imprimis ad uteri præfocationem, quam brevi compescit. Accensus, ac vino extinctus, syncope correptos restituit. Pulvis drag. unius pondere ex vino haustus septem diebus, colicam integre sanat.

*Olei Gagatis vires.*

*Ad suffocationem uteri.*

*Ad colicam.*

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 19. littera f. Sed Plinius male Dioscoridis mentem est assecutus, existimans Gagatem aqua accendi, oleo vero restingui, cum tamen Dioscorides lib. v. de re Medica cap. 104. contrarium dicat, id non Gagatæ Lapidi, sed Lapidi Thraciæ proprium esse, cuius hæc sunt verba. Lapis Thracias dictus nascitur in flumine quodam Scythiæ, cui Ponto nomen est. Vis ei Gagatæ: traditur aqua accendi, oleo restingui, quod in bitumine accidit. Plinii hallucinatio est, quod Gagatæ lapidi tribuat, quod cap. v. lib. 33. littera e. Thracio lapidi proprium esse docuit, cuius hæc sunt verba. Calx aqua accenditur, & Thracius lapis, idemque oleo restinguitur. Quod una nobiscum sentit V. Cl. Claudius Salmasius lib. (cap. 62. huius libri) citato fol. 253. De vi admiranda Gagatis consule Aëtii lib. 2. tetrabibl. cap. 24. qui plura ibi tradit, ut & Galenus lib. IX. de simplicium Medicamentorum facultatibus. Andreas Cæsalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 43.*

## CAP. CLXVI.

*Vsus, dignitas, pretium, & adulterium Gagatis.*

PRæter medicum usum, quem ostendi, etiam Succini instar est in luxu, non solum ut colla fæminarum albidiora efficere videatur, contrario colore nigerrimo, sed ut earum pectora exornet. In varias enim figuras formatur, filoque traiectus catenæ aureæ vices supplet. Ad preces etiam numerandas in globulos formatur, filoque traiicitur. Pretium illi non materia, sed forma dat. Vilis enim hic lapis est, etsi magnis viribus, ut supra dixi, præditus sit. Adulterium hic lapis non meretur. Si quis tamen velit imitari, è petroleo oleum distillet, ac feces aqua salsa, aut simili coquat, facile voti compos fiet, ubi iustum frigiditatis gradum attigerit.

## CAP. CLXVII.

*De Lythantrace, seu Carbone lapideo.*

ETiamsi Lythantrax, seu Carbo fossilis, Germanice *steincol* ignobilis sit, lapis tamen, quia Gagatis rudioris species videtur, nolui ipsius descriptionem prætermittere. Nullius fere ipsius in medicina usus est, fabris ærariis, & ferrariis carbonis loco inservit. Qui nobiliora opera præ manibus habent, isto non utuntur, quod pinguedine sua ferrum fragile faciat, & inficiat. Hoc Carbonis genere utuntur Leodienses ad cibos coquendos, & frigoris iniurias hyeme depellendas. Aërem ita inficit, ut si quis non assuetus huic assideat igni, capitis dolores sentiat gravissimos, & nisi recentem ingrediatur aërem, suffocari, aut in apoplexiam inci- *Nocumenta.*

*Ad vinearum vermes.*

dere facile possit. Mixto oleo tritus hic Carbo emolliri potest, eoque unguento agricolæ vites oblinunt, ne earum oculi ab insectis erodantur. Varia fossilium Carbonum genera reperiuntur. Nam prope Dresdam Misniæ effoditur Carbo Bituminosus mollis, & fissilis. Bohemia etiam aliud genus fert nigrum, ac in terra absumptum; quod poliri non potest. Aliud genus durum, fissile non procul à Dresda reperitur, item aliud cum Pyrite alumino-so. Invenitur Carbonum fossilium maxima copia in agro, & civitate Leodiensi, cuius basis tot antris excavata est, ut metus sit, ne aliquando absorbeatur. Altera enim pars civitatis, huiusmodi cavernas, pro fundamento habet. Et sub ipso flumine amplissimo, fossorum avaritia flumini occasionem dedit, ut interdum multa fossorum millia extinguat, & submergat. Demittuntur catenis ferreis inhærentes in abyssum, à superiori orificio duobus passuum millibus distans, miseri fossores ob rem vi-

*Thracias lapis.*


lissimam. Huius species putatur esse lapis Thracius, quem tamen alii Gagatis speciem faciunt. Lege de his Doctissimi Viri Andreæ Libavii sententiam, in tractatu suo de Succino, & Gagate.

## Cap. CLXVIII.

### *De Glossopetra, eiusque loco natali, natura, & facultatibus.*

Glossopetra, quia linguæ figuram habet, à multis non solum Lingua serpentis appellatur, sed esse putatur. Lingua tamen serpentis nunquam fuit, sed lapis sui generis.

In are-



*Glossopetræ figuræ.*

In arenis prope Daventriam, vicinaque loca, ac prope Luneburgum in aluminosis fodinis sæpe invenitur, linguamque serpentis satis eleganter refert, ut non mirum sit, vulgo pro ea haberi. Rectius tamen pici linguam refert. Crassior pars lapidis lapidea est, quia lapidibus sæpe innascitur, vel adnascitur. Mucronata vero pars cornea videtur, atroque colore splendet ut sturni unguis. Aliqui cum Ceraunijs hunc lapidem confundunt, & fulminis iaculum existimant, propterea Germanice à nonnullis *donderkeil* vocatur. Cardanus Glossopetram Glottidem appellat, aliqui laminarum dentem putant, & nominant, quia interdum dentatis marginibus invenitur, à nonnullis Germanice *Naterzunglein* dicitur. Colore variat, nam subalbida ex roseo colore conspicitur. Multi hunc lapidem magni faciunt ad venena, & fascinationes prohibendas.

*Ceraunia.*

*Ad venena, & fascina.*

das. Aiunt præsenti veneno, veneficium sudore, & madore prodere: sed ea facultas à me nunquam deprehensa est. Vilis satis est hic lapis, ac parvo emitur.

## Cap. CLXIX.

### *De Alectorio lapide.*

ALectoria, vel Alectorius lapis, Latine lapis Gallinaceus, aut Caponis appellatur. *a* Plinio teste, in ventriculo galli, aut caponis decrepiti reperitur. Num autem ibi generetur, (ut alii lapides complures in diversis corporis partibus, ex variis humoribus, terrestrique substantia generantur,) aut pabuli vice ab ipso inventus deglutiatur, incertum est. Nonnulli putant ex iecore galli antiqui etiam extrahi, id si verum sit, ex animalis corpore originem trahit, non aliunde, colore variat, interdum enim Calcedonio, & Crystallo obscuro similis est, interdum fuscum, vel cinereum colorem habet. Interdum sanguineis venis distinguitur, Germani *Capaunenstein* vocant. Raro, Plinio teste, fabæ magnitudinem excedit. Idemque author refert Milonem Crotoniaten, qui Prisci Tarquinii tempore vixit, in certaminibus invictum lapidis beneficio fuisse. Gestatus enim, aut ore detentus victoriam efficere, Venerem excitare, mulieribus virorum gratiam conciliare, gratiam, constantiam, ac eloquentiam gestatori tribuere, creditur. Certo etiam neotericorum experimento ore inclusus, sitim, ac cordis æstum sedat. Quod mirum videri non debet, si verum est quod scribitur, caponem dum lapidem in corpore gestat, nunquam bibere. Aiunt præterea eum, qui hunc lapidem gestat, contra quævis pericula tutum esse. Alectorius quia raro reperi-

*Varietas.*

*Vires.*

*Ad pericula.*

reperitur, tanti quanti velit emptor æstimari potest. Ille lapis cæteris præfertur, qui in corpore suo, velut stagnantem iniecti cibi micam modicam, nec usque adeo obscuram, ostentat.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera c.*

## CAP. CLXX.

### *De Chelidonio.*

CHelidonius, vel Chelidonia German. *Schvvalmenstein*, lapillus est opacus aspectu ingratus, figura hemisphærica, semper intrinsecus cavus est, quamobrem tenuis est. In convexa superficie, plerumque colorem pullum dilutiorem, quam Galli *tané* vocant, in cava purpureum, nigris iniectis maculis, habent. In ventre iuvenum hyrundinum reperitur. Authore *a* Plinio, matres excluſis pullis hunc lapidem devorandum dant. Cum autem pulli lapillos hos habent, ita insident nido, ut rostra coniungant. Dum eximuntur, viribus carent, secundum nonnullorum opinionem, nisi matre absente, & antequam primogenius pullus terram contingat, eximantur. Bifariam discriminantur, aut enim ruffi, aut nigri sunt. Qui nigricant, sæpe purpurei aliquid admixtum habent. Probatissimi substantia purissima sunt, aureisque guttis ornantur. Splendent omnes, ac raro semine lini, cui similes sunt, maiores inveniuntur. Dum in uno pullo duo inveniuntur, alter rufescit, alter rubescit. Dum unus tantum reperitur, is duorum vires habet. Ante aliquot dies à Gallo Chelidonii lapidis nomine, tres lapillos rotundos, & tenues pisi magnitudine emi, qui cum supradescriptis parum conveniebant, ac potius Bufonii lapides minores videbantur. In con-

vexa ſuperficie pallidum, & ſubflavum habebant colorem, aiebat ſe eos ex hyrundinibus excepiſſe. Hyrundinum pullos aliquot aperui, ſed nunquam lapides hos invenire potui.

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera z.*

## Cap. CLXXI.

### *Vires, & facultates Chelidonii.*

TRallianus, Marſilius, Ficinus, Dioſcorides, Georgius Agricola, aliique complures, maximum remedium ad comitialem morbum hunc lapidem aſſerunt, albiorem nempe capiti, aut auribus impoſitum extemplo collapſum excitare, nigriorem idem efficere ſi cuti alligetur. Manu detentos, aut capiti lino alligatos, veterrimos, & antiquos capitis dolores demulcere (modo tamen terræ attactu facultatem non amiſerint) perhibetur, linteo etiam, vel croceo panno incluſos, colloque appenſos, quartanas delere, dextro brachio alligatos hepaticos perfecte ſanare, traditur. Rufi coloris lapis linteolo exceptus, ac ſub ſiniſtra axilla geſtatus maniam, epilepſiam, & inſanos curare, geſtantemque omnibus gratum, acceptumque facere, ac facundiam augere ſcribitur. Nigri coloris lapis ſimiliter à multis putatur gratiam principum conciliare, & efficere, ut incepta negotia quævis quis pro animi ſententia abſoluere poſſit. Aureo globulo incluſus lapis Chelidonius, colloque appenſus, omnem oculorum dolorem, perpetuo avertere, perhibetur: in quem uſum etiam tritus collyriis adhibetur, aut ex aqua decoquitur, oculiſque inſtillatur, quos recreare mirum in modum creditur. Id comprobatum experientia, quod oculis impoſitus lapillus, quæ-

*Ad comitialem.*

*Ad capitis doloris.*

*Ad quartanas.*

*Ad maniam.*

*Ad oculorum dolores.*

quæcunque in oculum inciderint, facile absque dolore secum educat. Verum id omnes lapides læves, & qui angulis carent, si oculis imponantur, & hinc inde volvantur præstant.

## CAP. CLXXII.

### *De Dracontia, seu Draconitide.*

DE Draconitide ita scribit *a* Plinius lib. 37. cap. 10. Draconites, sive Dracontia è cerebro fit draconum, sed viventibus abscisso nunquam gemmescit, invidia animalis mori se sentientis. Igitur morientibus amputant. Sotacus qui visam eam gemmam sibi apud Regẽ scripserit, bigis vehi quærentes tradit, & viso dracone spargere somniorfica medicamenta, atque ita præcidere, esse autem candore perlucido, nec postea poliri, aut artem admittere. Hactenus Plinius, qui aniles fabulas potius, quam veram historiam referre videtur. Albertus Magnus, vanitate plenissimus, maximum draconem hunc lapidem habere putat. Marsilius Ficinus *Error Ficini.* se hunc lapidem Florentiæ ex India allatum vidisse asserit, lupini magnitudine, stellis quam plurimis naturaliter insignitum, qui aceto impositus in rectum, & obliquum ferebatur, donec aceti vapor exhalaret. Sed deceptus fuit Ficinus Stellarem la- *Stellaris lapis.* pidem Dracontiam esse putans, qui fortasse suo tempore adhuc ignotus fuit. Etsi autem dracones lapides habere possint, mihi tamen nondum visus est. Draconites fertur omnia venena, præsertim serpentum fugare.

a *Littera ff. Philostratus scribit in India dracones esse, alios palustres, alios montanos, grandiores, acriores, crystatos, in horum capite reperiri gemmam specie,*

*aspectu floridam, & iucundam, potentia mirabilem. Solinus vero scribit quod Dracontias Lapis non sit, nisi detrahatur viventibus: nam si obeat prius serpens, cum anima simul durities solita evanescit. Quem locum Solini V. Cl. Claudius Salmasius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 388. egregie explicat. Alium modum, quam Sotacus, quo acquiri hic lapis possit, edocet Philostratus lib. 3. Cuius hæc sunt verba. Pallium Coccineum, litteris aureis superintextum, ante cubiculum extendunt: scripta autem incantatoria verba somnum dicuntur inducere. His draconum oculi, quam durissimi, superantur. Ipsi quoque plura verba ex arcana sapientia superincantantes, eo draconem perducunt, ut litteris pallio intextis superdormitet. Dormientis instantes Indi Cervicem securi feriunt, scissoque capite, lapillos intus exstantes, auferunt. Andreas vero Cæsalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 41. testatur hunc lapidem apud se esse, eiusque descriptionem tradit, ut ibi videre est, sed fides sit penes Auctorem.*

## Cap. CLXXIII.

### *De Anguium lapide, apud Bohemos celebrato, quem vocant* Duchanek.

ANguium lapis apud Bohemos celebratur, forma est rotunda, crassitudine minimi digiti pueri sexennalis, in medio foramen habens tam amplũ, ut prædictus digitus immitti possit, quod altera parte latius est. Lapis colore est croceo obscuro, oculos exacte formatos in externa superficie, variis coloribus ornatos, vivi oculi instar habens, is tamen color qui iridem referre debet, cæruleus plerunque est. Bohemi conflari à multis anguibus concurrentibus putant, ac singulos oculũ formare. Propterea


ab iis

ab iis *Duchanek* vocatur, quasi dicas spiritalem, aut ex spiritu, vel flatu confectum lapidem. Existimant gestantem ab omni veneno, aëre pestilenti, fascinationibus, ac incantationibus immunem reddere. Verum falluntur vehementer, cum lapis iste ab illis in tanta authoritate habitus, non lapis, sed vitrum sit hac forma conflatum, ac mulierum verticillus, qui fusis dum fila trahunt adhibetur, ut pondere facilius vertantur, ac motus diutius perseveret. Memini me ante triginta sex annos, cum puer in Belgio viverem, innumeros huiusmodi verticillos apud mulieres vidisse. Caveant itaque ab impostoribus, qui falsa pro veris obtrudunt in posterum Bohemi, nec sibi tam facile imponi sinant.

## CAP. CLXXIV.

### *De lapide Ovum Anguinum appellato.*

OVum Anguinum, superius, inter Bufonii lapidis genera, recensui, quod à multis ita vocetur. Nonnulli à serpentibus conflari existimant, forte quia à basi, quæ plana, & lævis est quinæ veluti caudæ serpentum, aut lacertorum versus superiorem partem elatæ, ac paulatim attenuatæ apparent.



Colorem hi lapides habent è fusco albicantem, intus sunt candidi, foris mire duri, ambiuntur enim crusta

cruſta ſilicea, ſub qua molliores ſunt, formã habent hemiſphæricam, vel lenticularẽ. Videntur iſti lapides cum Brontiis, vel Ombriis cognationem habere, Plinius Ovum Anguinum, quod ab hoc lapide differre non videtur, adiectis nugis quamplurimis *a* lib. 29. cap. 3. his verbis deſcribit. Eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, emiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium, corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interventu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atque ut eſt Magorum ſolertia, occultantis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tanquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id Ovum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium, & Regum aditus mire laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in ſinu equitem Romanum è Vocontiis, à Divo Claudio Principe, interemptum, non ob aliud ſciam. Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, quare exteræ gentes, caduceum in pacis argumentum, circumdata effigie anguium, fecerint: neque enim cryſtatos eſſe in caduceo mos eſt. Hactenus Plinius. Hunc lapidem aliqui Ovum teſtudinis terreſtris in lapidem induratum exiſtimant. Neque adeo abſurde, cum rudimenta teſtudinis, in convexa ſuperficie, ſatis apte referat. Verum neſcio cur lapis ſui generis eſſe non poſſit, cum varie ludat in mixtis natura. Vulgo hic lapis geſtatus, putatur

*Brontiæ.*
*Ombriæ.*

tatur gestantem securum reddere, ne ab aëre pestilenti, aut à veneno inficiatur, aiuntque præsente veneno id sudore prodere. Sed duriores omnes lapides, & gemmæ politæ, dum aëri committuntur, facile madent, si aër calidior sit, quam ipsarum superficies. Corpus enim frigidius aërem proximum in humorem soluit: non secus ac gladii, qui in hypocausta translati, facile humidi aëris particulas ad se trahunt, & in aquam solvunt. Vulgus rerum causas ignorans, effectuum causas sæpe alias opinatur quam sint. *Ad venena.*

a *Naturalis historiæ littera c.*

## CAP. CLXXV.

### *De lapide Carpionum.*

CIrca initium spinæ dorsalis triangularis lapillus, aut osseum quid potius, in ciprinis reperitur, quod vulgo lapidis nomen habet. Huius auxilio caput spinæ annectitur, colore est subflavo. Apud Belgas mos est ut narium hæmorrhagias, lapide naso apposito, sistant. Calculosis pulvis potui datus, prodesse dicitur. Ebullitionem etiam flavæ bilis ore detentus, prohibere perhibetur. Solet id malum post crapulam, imbecilli ventriculo, contingere. Belgæ huiusmodi malo affectum *verzeuet* vocant: Germani se *den sohdt* habere aiunt. *Ad orexin.*

## CAP. CLXXVI.

### *De Oculis Cancri.*

CAncrorum Oculi in cancris, qui exuvias deponere volunt, forma hemisphærica, circa oculos reperiuntur. Albi sunt, satisque duri. Imprimis

ad

ad sanguinis coagulati dissolutionem, & expulsionem celebrantur. Tenuium enim partium, ac diureticæ sunt facultatis, ob quam causam vulneratis potionibus magna utilitate adhibentur. Calculos etiam rumpunt, ac per urinam expellunt, triti in pulverem redacti, & cum vino diuretico propinati.

*Ad vulnera.*

*Ad calculum.*

A Chymicis in essentiam, aut liquorem solvuntur: ita enim efficacius multorum experientia id præstant. Ratio in essentiam redigendi hæc est. Triti Oculi solvantur in aceto aliquoties distillato, & acetum indies effundatur, aliudque reponatur, quoad tenuissima substantia sit exhausta, quæ aceto communicatur. Dum usque ad feces veneris, cessa. Collecto aceto iniice parum caphuræ, ut defecetur. Postea distilla per alembicum, & quinta essentia una exit. Si non tota exierit, repete distillationem refuso aceto, capiti mortuo trito, cum quo sine in digestione parumper. Si exiit tota acetum lentissimo balneo segrega: reliquiis affunde vini spiritum, digere, & abstrahe aliquoties, tandem edulcora eam aqua stillatitia, & habebis essentiam, quam in quovis liquore solves. Potes eam etiam retorta exigere forma olei. Aliter hoc modo:

*Essentia Oculorum Cancri.*

*Aliter.*

Oculos Cancri minutissime triti, lævigatique impone vitreo vasi, & distilla. Reliquias calcina ad albedinem, ut fundus vitri excandescat. Exime, & immite in acetum distillatum potens. Digere per octiduum indies bis movendo, postea effunde, repone aliud, iterum digere, idque fac donec subtilissimam partem extraxeris. Acetum per vices abstractum per partes in alembico distilla lento igne, usque ad liquorem crassum (alii exigunt per alembicum etiam essentiam, seu cum aceto, seu per se forma olei.) Hunc effunde in terreum vas vitreatum, aut concham, & modice divapora ad siccitatem,

tem, quemadmodum coagulantur sales. Siccum pulverem ablue sæpe cum aqua calida, ut aceti acrimonia decedat. Exiccatum denuo per aliquot septimanas in cineribus calidis detine, vel reverbera, & vertitur in pulverem albissimum, qui defluit ut alkali, hunc si solvas cum quinta essentia, circula, ut propior sit quintæ naturæ. Potest etiam sublimari in florem, & flos circulari. Dantur huius essentiæ grana tria, aut si in liquorem redacta sit, tot guttæ, aut paulo plures ad calculum. Alius modus, non vulgaris, mihi summopere commendatus, hic est. Oculis Cancri in tenuissimum pulverem redactis, ac violæ inditis, suprafunde acetum terebinthinæ, obtura vitrum, ac per noctem supra calidos cineres digere. Sequenti die solutum effunde, aliudque affunde, idque toties, donec solutos videas. Acetum collectum filtra, in balneo evapora remanebit in fundo sal Oculorum Cancri. Id contere, Marmori insperge, ac in cellario relinque, donec in liquorem solvatur, cuius guttæ 8. vel 10. dari possunt cum aqua Raphani ad calculum, ad venena, & ad symptomata, quæ vulneratis superveniunt impedienda, & sananda. Fit & aliud arcanum ex Oculis Cancrorum pro ulcerosis, & vulneratis mirabile, renovans, purgans, & mundificans omne id, quod contra naturam est, quod per vulnus miro modo expellit, ac foras trudit. Fit hac ratione. Resolvuntur Oculi Cancri cum vini essentia, & spiritu spatio mensis in Balneo Mariæ. Postea in libero igne sedecim vicibus distillantur, semper fecibus exstillatum reaffundendo. Postremo in Bal. Mariæ vini essentia sexies ab oleo extrahitur, cohobando, tum habetur arcanum, cuius scrupulus cum Theriacæ drag. una, & aquæ fumariæ unciis aliquot mane, & vesperi oblatus, prædicta omnia, & maiora præstat.

*Aliter.*

*Ad vulnera arcanum.*

CAP.

## Cap. CLXXVII.

### *De Vmbilico Marino.*

UMbilicus Marinus, umbilici humani similitudinem, & magnitudinem habet, unde nomen obtinuit à nonnullis Umbilicus Veneris, & Garmanice *ein Meerbonen*, ac si dicas faba marina, vocatur. Videtur diligenter intuenti conchæ esse rudimentum, aut concha compressa, spiras enim habet in gyrum actas colore rubello, & albo hinc inde distinguitur, inferior pars plana est, ac nigrior paulo superiori, ac si rubedini umbræ color admixtus esset, aliquando purpurascit, vel albicat.



Reperitur in limacis orificio, dum se hyeme occludit, ac ostioli, vel operculi loco est, ut in vulgaribus limacibus crusta quædam alba. Exterior pars ea est, quæ extuberat. Limax vulgaris huic minor est, ac Umbilicum Marinum ferentibus similis, nisi quod concha Umbilici Marini crassa, & durissima sit, ac exteriorem partem habeat quasi creta obductam, interioremque Margaritarum instar splendentem, ut quis Margaritiferam coniiciat. Cretenses hunc lapidem non Umbilicum, sed Oculum Marinum vocant, ac oculis gestatum prodesse autumant.

*Oculus Marinus.*

mant. A Venere nomen habet, quod puellis gratiam conciliare, illas amabiles pulchras, virisque optatas reddere, illarumque morbos abigere credatur. Insuper gestatus amuleti loco præcavere ab erysipelate traditur. Narrat *a* Baccius sanguinem undequaque fluentem mirifice fistere, & præsentaneum afferre auxilium, si ex parte eius plana, & aversa, cum saliva hominis fronti applicetur. Id quod semel atque iterum Patavii se observasse tradit in vetula, quæ per scalas in caput decidit, & plurimum sanguinis per os, & nares, præsertim vero ex vulnere capiti inflicto, profudit, qui cum variis adhibitis remediis sisti non posset, adhibito lapide, mox fuisse cohibitum, non sine admiratione. Ob id ait idem author, à Gallis secreti loco mulieribus, nimio mensium fluore laborantibus, in pulverem tenuissimum redactum, cum aqua appropriata, vel conserva aliqua utilissime exhiberi. Illos quoque qui sanguinem per intervalla reiiciunt, & expuunt, manifestum ab eo percipere auxilium, si pulverem eius cum pari portione cornu cervi usti, vel Corallorum rubeorum præparatorum in ovo sorbili sumpserint.

*Veneris oculus.*
*Ad amorem.*
*Ad erysipelen.*
*Ad sanguinis fluxum.*
*Ad nimiũ menstruorum fluxum.*
*Ad sanguinis sputa.*

a *Libro de gemmarum, & lapidum pretiosorum natura cap.* 40.

## CAP. CLXXVIII.

### *De lapide Caymanum.*

HUnc lapidem Nicolaus Monardes describit, ac ex civitate nominis Dei, & Carthagine aliis continentis oris adferri, calculis fluviatilibus similes asserit, ac inveniri in ventriculo lacertorum, aut crocodilorum prægrandi specie, quos Caymanes

vocant. Hoſque lapides colligi ab Indis, & Hiſpanis ad quartanam tollendam, binos ſiquidem, temporibus alligari, ac ſic paroxyſmum tolli, caloremque febrilem mitigari.

*Ad quartanam.*

## Cap. CLXXIX.

### *De lapide Palumbellarum.*

Romæ aviculæ nonnullæ reperiuntur, quas Romani vulgari lingua Palumbellæ vocant, & lombardi Saſſaroli, alii Soloni. Hæ lapillos quoſdam ferunt in ventriculo exiguos, aliiſque ſimiles, qui calculos renum mirabili, & occulta proprietate comminuunt, foraſque pellunt, paucis diebus tam feliciter, ut nullum aliud medicamentum illis comparari queat. Habentur hæ aviculæ Romæ in magna copia, neque unquam his lapillis deſtituuntur, niſi captivæ detineantur. Nam libertate privatæ, paucis diebus lapis in eorum ventriculo generatur, à quo brevi ſuffocantur. Dum libertate fruuntur lapillos iſtos quærunt, & devorant, eorumque beneficio vitam prorogant, & ſanitatem tuentur. Porro lapilli iſti piſtandi, & terendi ſunt, quia duriſſimi. Deinde ſemidragma cum flor. ſambuci, & cinnamomi ana ſcrupulo uno danda per octiduum cum brodio. Ita enim æger à malo cito liberatur.

*Ad calculum mirabile.*

## Cap. CLXXX.

### *De lapide Porcino.*

In regione Pan, prope Malaccam, reperitur lapis in felle porci, maiorumque eſt virium, quam Bezoar. Colorem habet rubeum, dilutum, ac ſaporem amarum, tactuque refert ſaponem gallicum. Ad venena valet, ad quæ profliganda maceratur in poculo

*Ad venena opt.*

poculo aquæ satis diu, postea eximitur, ac aqua quæ redditur amara propinatur, expellit siquidem omne venenum, ut sæpius probatum est. Indi vocant mastica de soho, id est lapis Porcinus.

## CAP. CLXXXI.

### *De lapide Cenar.*

HIc lapis iuventutem conservare traditur, ac impedire ne rugæ in corpore oriantur, ex eo fiunt pocula in China.

## CAP. CLXXXII.

### *De lapide Malacensi.*

LApidem Malacensem describit *a* Garsias ab Horto hoc modo, lapis Bezoar alium lapidem mihi in memoriam revocavit, quem unice venenis resistentem in Malacca inveniri tradunt: saltem in Pan regni Malacensis provincia. *b* Invenitur autem istic in felle Hystricis: sed tanta est in æstimatione apud Indos indigenas ob raritatem, ut è duobus, qui simul reperti meo tempore fuerunt, alter pro ingenti munere missus sit ei, qui pro rege Lusitaniæ Indiam gubernat. Et licet istic frequens lapis Bezoar invenitur, hunc tamen longe præferunt incolæ. Unum duntaxat vidisse memini, cuius color dilucidioris videbatur purpuræ, gustu amarus, tangenti lævis & lubricus, quemadmodum Gallicus sapo. Hactenus eius facultates experiri mihi non licuit. Sed clarissimus vir & insignis Medicus Dimas Bosque Valentinus eius facultates experimento comprobasse in duobus viris, qui venenum hauserant mihi affirmavit. Vulgari autem aqua (cum cordialis esset in mora,) hunc lapidem aliquamdiu maceravit:

ravit: eam deinde aquam ægris propinavit, qui illam gustu amarum invenerunt. Attamen eorum stomachus corroboratus est, & venenum nihil obfuit. Multum certe huic viro debent omnes medici Indici, quod huius lapidis facultates nobis aperuerit. Nam necessaria admodum sunt hac in regione medicamenta quæ venenis resistunt, Alexipharmaca Græci vocant. Hactenus Garsias ab Horto. Aliqui putant hunc lapidem Porcinum esse.

a *Libro* 1. *Aromatum, & simplicium historia cap.* 46.

b *Interserere hoc loco placet ea, quæ Amplissimus, Clarissimus, Doctissimusque vir Gulielmus Bontius Reip. Leydensis Prætor dignissimus mihi communicavit, ex autographis fratris, is Iacobus Bontius erat, Novæ Bataviæ Medicus Ordinarius, multiiuga scientia, & eruditione præditus, postea autem Fisci Generalis præfectus, & ibidem defunctus: exemplar autem litterarum tale est. Lapis iste Malacensis, cuius author (nempe Garcias ab Horto) hic transitorie meminit, in memoriam mihi revocat lapidem quendam genitum in felle porcorum, aut etiam ventriculis Hystricum, oblongis pinnis præditarum, quem Lusitani propterea* Piedra de puerco *vocant, mollis, ac pinguis est, ac si saponem Hispanicum tractes, ego duos domi habeo, unum parvulum ex Hystrice, alterum ex apro excisum, infunditur hic lapis in vino adversus choleram, quam* Mordexi *hic Insulani vocant, ac hic tantopere timetur, quam pestis in Hollandia, ut pote, quæ hominem aliquando soleat occidere paucissimis horis. Prægnantibus tamen hic lapis non bene datur, nam abortum provocare adeo certum est, ut fœminæ Malaicæ mihi retulerint, ut si quando menstrua earum purgatio non bene procedat, se tantum hunc lapidē manu gestare, ac iuvamentum inde sentire.*

Cap.

## CAP. CLXXXIII.

### *De lapide Bulgolda.*

NOn minore facultate præditus est lapis Bulgolda, quam Malacensis, & Bezoar. Nam mirifice omnibus venenis resistit. Est vero is magnitudine avellanæ, rarus admodum, ut qui è capite animalis, quod Indi Bulgoldalf appellant, eximitur, Ferdinand. Lopez lib. 1. Historiæ Indicæ.

## CAP. CLXXXIV.

### *De lapide Sanguinali.*

LApis Sanguinalis ex nova Hispania delatus, Jaspidis genus est, sed obscurioris, maculis, seu punctis distinctus sanguineis. Ex hoc lapide Indi quasdam cordium formas magnas, ac parvas conficiunt. Valet ad fluxum sanguinis, narium, mensium, hæmorrhoidum, vulnerum, ac oris, lapidem aqua frigida intinctum æger dextra comprimit, & subinde id facit, sic eo Indi, & nostri utuntur. Persuasum habent Indi, imo firmissime credunt, si hoc lapide pars sanguine manans contingatur, sanguinem sisti, idque verum esse experientia probatum est. Vtilis etiam est suspensus, aut alligatus eidem parti, unde sanguis effluit, modo carnem contingat. Vidimus nonnullos hæmorrhoidum fluxu afflictos remedium sensisse, annulos ex hoc lapide confectos in digito continuo gestando, nec non & menstruum fluxum sisti. Nicolaus Monardes.

## Cap. CLXXXV.

### *De lapide Manuali.*

Lapis Manualis dicitur in India esse qui rimas manuum, & pedum à salsa pituita provenientes curet. Nicol. Monard.

## Cap. CLXXXVI.

### *De lapide Hysterico.*

Adfertur lapis è nova Hispania, quem uteri morbis adprime utilem esse ferunt. Niger est, admodum politus, ponderosus, maiore ex parte teres, & rotundus. Mirum porro est, quod de hoc lapide prædicant. Nam mihi affirmavit nobilis quædam, & magnæ authoritatis Matrona, quæ eo usa est, & in umbilico gestavit adeo firmiter inhærentem, quasi istic agglutinatus fuisset, ex quo præsens, & certissimum sensit commodum: idem aliæ asserunt, quæ simili modo isto lapide sunt usæ. Cum uteri suffocationem imminentem præsentiunt, adhibito lapide subito levantur, & si eum perpetuo gestent, nunquam simili morbo corripiuntur. Exempla huiusmodi faciunt ut his rebus fidem adhibeam. Nicol. Monard.

## Cap. CLXXXVII.

### *De lapide Manati.*

Consalvus Ferdinandus Oviedus cap. 7. & 10. libr. 13. primæ partis Historiæ Gent. & Natur. Indiæ Occidentalis, In capite piscis Manati binos lapides inveniri refert, paruæ pilæ lusoriæ magnitudine, interdum etiam grandiores, pro piscium corporis

poris magnitudine, non tamen orbiculares illos, sed eius ossis pene forma, quod in balista tensum nervum retinet. Horum ossium crematorum, tenuiterque tritorum, & per interniculum transmissorum pollinem, ab iis qui nephritide laborant, mane continuis aliquot diebus, ex generoso vino albo utiliter bibi, ex eorum, qui periculum fecerant, & commodum senserant, sermone accepisse refert: Dolores enim tolli, calculum comminui, & cum lotio arenulas eiici. Hic lapis cum tuberonum lapide confunditur, ita ut idem videatur, Carolo Clusio authore.

## CAP. CLXXXVIII.

### *De lapide Percæ piscis.*

IN perca pisce paruo, quem coruum vocant, duo lapides inveniuntur, albi, oblongi, plani, altera parte quasi dentati. Hi cum vino tenui exhibiti calculos minuunt, & pellunt. Dum ureteribus inhæret calculus loco dolenti suppositi illum trahere, donec in vesicam incidat, credunt Germani, & Bohemi, qui in hunc finem sæpe iisdem utuntur.

## CAP. CLXXXIX.

### *De lapide Limacis.*

LImaces qui cochlea carent, ac in sylvis, ac locis subterraneis fusci coloris, inveniri solent, in capite lapillum habent qui gestatus quartanam solvere dicitur.

## Cap. CXC.

### *De lapide Tuberonum.*

LApis Tuberonum in capite piſcis Tuberon reperitur, albus eſt, magnus & ponderoſus, ut interdum duas libras pendeat, nullius ſaporis, neque tam durus ut radi non poſſit. In capite Tuberonis plerunque tres, vel quatuor inveniuntur. Huius lapidis pulvis utiliſſimus fertur ad nephritidem, & urinæ difficultatem, renumque, & veſicæ calculos deturbandos. Piſces Tuberonis in mari Indico ferreis hamis capiuntur maximi, validiſſimi, pugnaciſſimi, & truci aſpectu, cum lupis marinis aſſidue prælian'tes. A Theveto lib. ſing. cap. 71. *a* Manati vocantur utri ſimiles, duos tantum pedes rotundos, quibus natant, ad humeros habentes, & in ſingulis quatuor ungues elephantinis ſimiles: ab umbilico ad caudam uſque gracileſcunt, teterrimo aſpectu, capite bubalino, ſed macilentiore ore, mento vero craſſiore, oculis admodum exiguis pro corporis mole, quæ interdum viginti pedum longitudine, decem craſſitie eſt; corio denſo, pilis quibuſdam cinerei coloris obſito. Fœminæ pariunt vaccarum modo, duoque ubera habent, quibus catulos ſuos lactant. Eorum caro quadrupedis potius, quam piſcis videtur, etenim recens vitulinam ſapit, ſale macerata Thynni carnem, ſed ſapidior eſt, diutiuſque ſervari poteſt. Eorum pinguedo optima, nec facile ranceſcit. Dubitare videtur Cluſius an hic piſcis à Theveto deſcriptus, ac in capite lapides ad calculum habens ſit Tuberon. Penes Lectorem ſit iudicium.

*Ad nephritin.*

a *Idem Thevetus loco citato, quid admirabile de Manato*


*nato pisce refert, quod quoniam notatu dignum, hic addere placuit. Testatur enim Regulum Caramatexi parvum cepisse Manatum piscem, quem 26. annis in lacu quodam dicto Guaynato educavit, adeoque domitum evasisse, & ferociam deposuisse, ut de manu cibum caperet, & inclamato nomine Mato, quod magnificum sonat, lacum suum egressum fuisse, & in ædes perreptasse cibi sumendi gratia, deinde ad lacum remeasse, interdumque homines, & pueros ex una parte lacus in aliam transvexisse, nec illos mersisse, ita ut Indis summam voluptatem adferret.*

## CAP. CXCI.

### *De lapide Bezoar.*

BEzoar lapis à *a* vocabulo Pazar Persico, vel Pazan, quod hircum notat, nomen habet, vel à Beluzaar Hebraico, & Chaldaico vocabulo, quod dominum veneni significat, Bel enim dominum Chaldæis significat, & zaar venenum quod iste lapis ita domat, & superat, ut propterea ab hoc lapide præstantissima quævis ad venena medicamenta Bezoardica per antonomasian vocentur. Lapides isti forma sunt varia, oblonga, orbiculari, modo compressa aliquantulum, vel inæquali, modo renis, aut castanei forma, eaque semper obtusa non in cuspidem desinente. Color eis nunc niger, nunc subcineritius, interdum flavescens, & subviridis, sed plerunque pullus, spadiceus, ravus, aut ex viridi nigricans. Constat lapis ex tunicis, sive crustulis modo crassioribus, modo levioribus, aliis alias complectentibus, ut in cæpis videre contingit, politis interdum, & splendentibus, semper magis iis quæ subeunt, nonnunquam aliquantulum scabris, ex-

tima præsertim parte, & reliquas complectente, ut in vesicæ, & renum calculis videre licet, sæpe laminæ, seu crustæ fractæ apparent, ut in meditullio herba, aut festucæ fragmentum, quæ lapidis generationi basin præbet, appareat, & conspectui se præbeat.



Habuit Imp. invictiss. Rudolphus II. Dominus meus clementissimus, ovi anserini magnitudine, aut paulo maiorem lapidem Bezoar, è quo poculum dum confici iussisset, in ipsius meditullio herbæ eximie redolentes (circa quas crustæ, & laminæ superinductæ à natura fuerant) repertæ fuerunt. Aiunt interdum meditullium concavum esse, vel in eo pulverem reperiri, eumque legitimi lapidis notam esse asserunt. Lævis est hic lapis, & blandus, ut Alabastri modo abradi possit, & in aqua hærens, aut etiam ad linguam facile liquescat.

a *Idem Iacobus Bontius (cap. 182. huius libri) citatus, aliud etymon huius vocis Bezoar adfert, cuius hæc sunt verba. Sed quoniam nullus, quod sciam, ante me verum etymon huius lapidis edidit, nec quomodo, aut ex quo generetur, paucis auscultate rem. Persæ igitur hunc lapidem vocant Pa-zahar, composito vocabulo ex Pa, & zahar, quorum prius significat*

gnificat contra, ac secundum, venenum nominatur, ac si Græco vocabulo antidotum dixeris. Hinc perspicitur, quam fallax sit ista etymologia, quæ à Pazar, vel à Bazahar lapidem hunc dictum volunt, cum nullus unquam hunc lapidem venalem in foro viderit. Nascitur hoc porro modo lapis Bezoar in Persia, ut ab Armenis, & Persis Mercatoribus fide dignis certo accepi. Est locus in Persia Stabonon dictus, trium dierum itinere supra Laram civitatem, celebre in Persia emporium, in cuius campis nascitur herba quædam Croco, ac hermodactylis admodum similis, in cuius campis caprorum copia pascitur, in quorum ventriculis ex esu huius herbulæ, hi lapides in ventriculis caprarum concrescunt, qui apud Reges Persiæ in tanto pretio sunt supra reliquos, qui in aliis locis gignuntur, ut Magnus Xaa-Bas Imperatorum Persarũ ultimo mortuus Anno M.DC.XXVIII. inibi vigiles locaverit, ut omnes istos lapides Ba-zahar, qui certum pondus excederent, sibi vindicarent. Itaque quod causa materialis huius lapidis sit causa supradicta, non solum Armeni, ac Persæ mercatores mihi retulere; sed idem ferme affirmat P. Texeira Lusitanus in tractatu suo eleganti, quem Hispanica sua lingua conscripsit de rebus gestis Regum Persiæ, qui inquit Insulam quandam esse inter Ceylan, ac terram Continentem Chormandel, quæ à Lusitanis Isla de Vacas vocata (quod insulam vaccarum sonat) nostris naucleris etiam optime nota, in qua etiam nascitur copia prædictorum lapidum, quam ob causam etiam ibi multæ capræ pascuntur, atque idem author ait, quod Anno M. D. LXXXV. Cum hanc Insulam maxima, ac horribilis inundatio invasisset, ac etiam totam Continentem terram Chormandel, ita ut hæc Insula tota submersa fuerit, quæque servari inde capræ poterant,

alio

*alio translatæ desierunt gignere istos lapides, quod prædicta herba ibi non cresceret: sed elapsis paucis annis, cum Insula salsugine maris liberata, rursus hanc herbam produceret. Capræ eiusmodi iterum eo translatæ, lapides hos, ut antea produxere. Hæc mihi vobis communicare visum est, quoniam idem & mercatores nostri, ac Angli certo confirmant.*

## Cap. CXCII.

### *Genera lapidis Bezoar, ubi inveniantur, & quomodo generentur.*

Genera huius lapidis duo statuuntur. Alterum Orientale, quod ex Ægypto, Persia, India, China, Cathaio, aut vicinis regionibus adfertur. Alterum Occidentale quod ex America, & Peruvia adfertur. Uterque lapis omnium authorum testimonio, in animalis corpore gignitur: verum diversa authores statuunt animalia. Nam Arabes medici, in capricervo reperiri hunc lapidem ante quingentos annos Rhasis testimonio scripserunt. Neoterici nonnulli in Persarum Pazan, id est, hirco, unde nomen Bazar accepit, generari asserunt. Alii in sylvestri capra inveniri produnt. Alii, sed ridicule, cervi lachrymam induratam putarunt, Christophorus à Costa qui Indica simplicia descripsit, lapidem Bezoar in ventriculo animalis hirco similis, arietis prægrandis magnitudine, colore rufo, uti cervi propemodum, agilis, & acutissimi auditus, à Persis Pasan appellati, quodque variis Indiæ provinciis, uti in promontorio Comorin, & nonnullis Malaccæ locis, tum etiam in Persia, & Corasone, insulisque quæ à vacca cognomen adeptæ sunt, invenitur, generari scribit. Carolus Clusius animal, ex cuius ventriculo Bezoar lapis eximitur, cervi fere magnitudine,

tudine, & agilitate, sed cornibus in dorsum reflexis, & corporis forma capreis fere simili, quam ob causam capra montana vocatur, tametsi Clusii iudicio cervi capra potius dici debeat, esse notavit, ac insuper scribit hoc animal in India supra Gangem, montibus Chinarum regioni finitimis, pilo brevi, & colore ut plurimum cinereo, & rufo, reperiri. Ex quibus omnibus authoribus colligi potest animal hoc quod lapidem Bezoar Orientalem fert, capræ sylvestris cornutæ quandam esse speciem, quæ non procul à figura cervi discedat; ut propterea non incommode à nonnullis cervi capra appelletur. Coruua habere dicitur duo ex fusco colore nigra, & fere recta, læviaque non absque gyris, & nodis capreārum, quam Germani *Gemsen* vocant, cornibus satis similia. Quod vero Occidentalem lapidem profert aliud prorsus (etiamsi fortassis non dissimilē priori habeat formam) animal esse constat, propterea quod cornua nulla, ut cervi capra, habeat. De hoc nobilis quidam ad Nicolaum Monardem (ut ipse in suo libello de simp. Medicam. testatur) his verbis scribit. Formam animalis ex quo lapis Bezoar extrahitur in tuo libro describis. Ea diligentius perpensa, animalium genus quoddam in istis montibus frequens invenimus, valde simile iis hircis (nisi quod cornubus orbum est) quos in Orientali India reperiri tradis. Rufi sunt coloris magna ex parte, & herbas salutiferas depascuntur, (quarum magna est copia in montibus, ubi ista animalia degunt) ita fugacia, ut solo tormentorum æneorum ictu, assequi possimus. Ex collatione istorum authorum videtur forma animalis eadem, nisi quod Orientale cornua, Occidentale non habeat. Ante aliquot annos incertum fuit, in qua parte corporis unde, & quomodo generentur hi lapides.

Verum

*In qua parte animalis nascatur Bezoar.*

Verum nunc attestantibus iis, qui multoties hæc animalia secuerunt, ac ex iis lapides exemerunt, gignuntur in receptaculo quodam, seu marsupio fasciæ modo confecto, & villosa carne constante, duorum palmorum longitudine, & trium fere unciarum latitudine ipsi ventriculo parte interiore adhærente. In hoc marsupio depastæ herbæ recipiuntur, donec ruminatæ in ventriculum traiiciantur, ac in eodem generati lapides, eo ordine, & modo dispositi deprehenduntur, quo nodi, qui anteriorem tunicæ partem occludere debent, ita tamen ut semper alius alio maior sit. Materia unde lapis generatur, herbarum est succus viscosus, & terrestris, aut si mavis dicere terrestris herbarum succus in humorem resolutus: quæ si aromaticæ, & salubres fuerint lapidis augent vires, si insipidæ ut gramen, lapidem nullius facultatis proferunt. Quod Indis optime notum est. Nam animalium in planis locis degentium lapides floccifaciunt, tanquam ad rem medicam inutiles. In montanis vero degentium ad venena, aliosque morbos difficillimos sanandos in maximo habent pretio. In montibus enim herbis odoriferis, ac quæ ad varios morbos utiles sunt, victitant. Generatur autem lapis in marsupio prædicti animalis succo herbaceo, ac terrestri à tenuioribus partibus secreto. Cui dum portio succi terrestris ipsius animalis accedit, paulatim humido expresso concrescit in lapidem terrestrior pars. Quæ, si similis succus non statim sit præ manibus, lævore obducitur, lapilli formam induit, & quandam in extima sui parte spolituram recipit. Huic accedens postea circumquaque (absolutis naturæ coctionibus) nova materia, nova crusta inducitur, crassa, vel tenuis pro affluentis materiæ quantitate; quæ iterum exiccata, & indurata, alia crusta obtegitur;

*Electio Bezoar.*

idque

idque toties à natura fit, donec ad iustam quantitatem venerit lapis, aut materia augendo lapidi idonea, non amplius à natura suppeditatur. Nam aliquando excrescit hic lapis ad ovi anserini quantitatem; qui primo exiguam habuit quantitatem dum crescit, ut dixi, crustis accedentibus uti cæparum radices, Uniones & testes concharum Margaritiferarum, paulatim augetur in dicto marsupio, *a* donec intereat animal.

a *Eiusdem Iacobi Bontii (cap. 182. huius libri) citati verba, hic allegare lubet, quæ hæc sunt. Lapides hi miseris hircis, ac capris tam molesti sunt, quam hominibus lapides vesicæ, ac renum. Capræ istæ non absimiles valde sunt capris Europæis, nisi quod habeant erecta, ac longiora cornua, ac quædam ex iis versicolore sunt pelle ut tygrides, pulchro aspectu, quales duas hic in arce Batavia nostra quotidie videmus: itaque hæ capræ, prout magnum lapidem, aut parvum gerunt, unumque, aut plures, eo molestius, vel citius incedunt, quod astutissimis Armenis, ac Persis per bene notum est. Porro vidi & lapides Pa-zahar natos in ventriculis simiorum, qui teretes sunt, ac longitudinem digiti aliquando excedunt, qui hic præstantissimi omnium censentur.*

## CAP. CXCIII.

### *De natura, facultatibus, & virtutibus lapidis Bezoar.*

MAnifesta facultas in hoc lapide nulla, præter exiccandi, ac sudorem movendi deprehenditur. Occultæ profecto quamplurimæ. Nam nullum hoc tempore ad venena, aliosque difficiles morbos, prædicatur præstantius medicamentum, lapide

lapide Bezoar, sive extrinsecus, sive intrinsecus adhibeatur. Ad omnium animalium venenatorum ictus, & morsus valet, si vulneri imponatur. Nec minus vulneribus toxico, aut veneno à sagitta, aliove instrumento infectis, pulvis insperſus medetur. Foris si alligetur siniſtri lateris brachio, ut nudam cutem attingat, perhibetur venenis resistere, & cor tueri, ne à veneno, aëreve pestilente, aut contagioso lædatur. Apertis etiam carbunculis pestilentibus, si inspergatur, venenum omne exugere creditur. Intrinsecus si pulvis à granis quatuor ad decem cum liquore aliquo convenienti propinetur, cordis omnibus affectibus mire auxiliatur. Ad syncopen in ipso paroxysmo, aut paulo ante ex aqua rosacea si adsit febris, si absit ex aqua cardui benedicti, melissæ, scorzoneræ, aut florũ garyophillorum datur pondere granorum quatuor. Ad cordis palpitationem, cum aqua melissæ quotidie mane ieiuno stomacho duo grana oblata, multum prodesse possunt. Ad melancholicos humores domandos sive universum corpus, sive eius duntaxat partem, nempe caput occupent, miros effectus præbet. Nam Arabum lepram, seu Græcorum elephantiasin, malam scabiem, prurigines, impetigines, erysipelata, & reliqua cutis vitia, tanquam præsens remedium, sanat. Quartanam etiam febrim, etsi non sanet, tamen eius aufert symptomata. Nam animi mœrores, anxietates, cordisque affectus quæ in istis febribus vulgaria sunt, lenit, & aufert. Ad epilepsiam, morbumque sacrum, sive adultos, sive infantes oppugnet, non parum iuvat. Infantibus lactantibus datur cum lacte, adultioribus, & viris cum aqua lilii convallii, Pæoniæ, aut Tiliæ. Pueris pondere granorum duorum, viris triplum, aut quadruplum, aut etiam plus, pro morbi, & corporis consti-

*Ad venena quævis.*

*Ad cordis palpitationem.*

*Ad melancholiam.*

*Ad quartanam.*

*Ad epilepsiam.*

constitutione, offertur. Ad vermes etiam, & tineas felici successu hic lapis solus propinatur cum aqua graminis, aut cardui benedicti. Laudat Monardes hunc pulverem, quo se mira præstitisse, ac tam pueros, quam adultos innumeros à lumbricis liberasse narrat. Recipe herb. lumbricorum (quam tanacetum puto) dragm. duas, sem. santonici drag. unam. Cornu cervi usti, sem. portul. & carlinæ sing. ana drag. semis. lapidis Bezoar Peruani dragm. semis. fiat pulvis, cuius dosis pro ratione corporis augeatur, & exhibeatur. Verum non solum ad prædictos morbos, sed etiam ad venenatos, & contagiosos, lapis Bezoar summopere celebratur. Nam pestem, febriumque pestilentium virus etiam earum, quæ exanthemata, petechias, herpetes, & papulas malignas producunt, cito, ac miraculi instar compescit, ac extinguit, ad quos effectus Indi quotidie cum aqua rosarum pulverem duorum granorum pondere propinant. Mihi exigua dosis videtur ubi febres iam in statu, aut prope statum sunt. Soleo tum sex, aut octo grana magna utilitate cum aquæ acetosæ uncia una quotidie, donec vel sudore, vel urinæ profluvio melius habeat æger, propinare, eumque ab omni potu alio per horam arcere, ne alterius potus accessu, actio ipsius lapidis hebetur, aut impediatur. Meo enim iudicio errant vehementer, qui vel ante, vel post eius sumptionem aliquid ægro offerunt, etiamsi id æquale viribus lapidi putetur. Nam rerum sæpe occultus dissensus est, nec homini notus, & talis qui effectum optatum impediat, & prohibeat, quem utraque res seorsim usurpata produxisset. Qui id non capit, spiritus vitrioli, & spiritus tartari antipathiam perpendat. Uterque enim istorum acidissimus, & acutissimus est. Si misceas utriusque acrimonia perit, & liquor

*Ad vermes. Pulvis.*

*Ad morbos, venenatos, contagiosos, pestilentes.*

*Rerum antipathia.*

redditur insipidus. Suadeo itaque ut nobile istud medicamentum perpetuo solum, si eius certum commodum desideretur exhibeatur.

*Ad venena.*

Ad venena quævis, quæ alicui offerri possunt, nihil lapide Bezoar præstantius haberi potest. Nam non solũ corpus præservat à veneno, sed infectum, aut oppressum liberat. Ad præservationem sufficiunt duo grana mane cum uncia vini, aut aqua cordiali, ut melissæ, vel cardui benedicti propinata. Ad curam vero, si quis venenum hauserit, octo, vel decem grana cum vino exhibenda sunt. Qui ab aquæ potu, in qua virulenta animalia versantur, ilico intumuerunt, sumpto bis, aut ter isto lapide, quemadmodum & illi, qui venenum hauserunt, sanantur. Adversus napelli, & arsenici virus quod truculenter in corpus humanum sævit, vix aliquid præstantius reperiri potest. Ut exempla, à *a* Mathiolo in commentariis ad Dioscoridem, aliisque viris doctis publicata, testantur. Breviter lapis Bezoar ad omnes diuturnos, & importunos morbos etiam qui à flatu originem ducunt, Panaceæ instar est, si prævia purgatione, per aliquot dies mane exhibeatur. Indi ad iuventutem servandam, omnia membra corroboranda, corpusque à morbis præservandum, bis in anno, præmissa purgatione, per quinque dies continuos decem grana huius lapidis cum aq. Rosarum propinant, magna utilitate. Quin etiam medicamentis purgantibus vehementioribus aliquot grana lapidis addunt, ne maligna illorum qualitas corpori obsit. Hac enim ratione absque dolore & noxa operatur medicamentum. Quæ certe cautio uti non nisi prodesse potest, ita medicis observata digna est.

*Ad omnes morbos diuturnos.*

*Adversus medicamenta maligna.*

a *Libro* v. *de re medica cap.* 73.

Cap.

## CAP. CXCIV.

### *De dignitate, electione, pretio & adulterio lapidis Bezoar.*

PROpter admirandas, quibus pollet adversus venena lapis Bezoar, facultates, magni fit à Principibus, ac in summa non solum est authoritate, sed pretio. Solet enim hoc anno 1600. (nam olim in India ipsa, longe pluris vendebatur,) ad pondus in inferiori Germania drag. unam pendens Orientalis, duabus ducatis vendi, in Germania superiori quatuor. Occidentalis vero dimidiato pretio. Dum magni sunt, quia rari, & à Principibus ad ostentationem desiderantur, intenditur ad libitum venditoris, pretium. Eligendi sunt, qui ex capricervis pascua in montanis habentibus, extracti sunt. Nam qui ab iis, qui in planis locis degunt eximuntur, viribus prorsus carent, quod herbis salutiferis non pascantur ut illi, qui victum in montanis quæritant, & aromaticarum herbarum copia saturantur. Proinde Malacenses vilipenduntur: capricervos enim in pascuis ad lanienam alunt. Persici vero in pretio sunt, quod in montanis degant. Præter hæc lapidis substantia, color, & forma diligenter examinanda est. Nam ii laudantur maxime, qui è nigro, seu ravo colore virides videntur, & quorum pulvis subviridis est. (*a* Mathiolus tamen flavescentes laudat.) Deinde qui ablata crusta superiori inferiorem splendentem habent, ac in meditullio concavi sunt, aut arenam lapidi substantia similem, sed ad venena efficaciorem continent, quique præterea ad linguam, aut in aqua liquescunt, nihilque arenosum habent. Qui has notas habent sinceri, & Orientales iudicantur. Nam Occidentales subcinereum

*Pretium.*

*Electio.*

habent colorem, neque ita ut præfati splendent, crustas etiam habent crassiores, & gypseas. Sinceros Indi flatu dicuntur probare ac lapidem manu compressum, continere, per quem si flare possint, eum adulterinum iudicant. Alii eum factitium iudicant in cuius meditullio vel palea, vel herba reperitur. *b* Verum id signum à multis, tanquam (cum potius probi lapidis indicium sit) reiicitur. Semen, aut granum in meditullio, supra quod Indi lapidem formant, adulterium arguit. Crustarum vero splendor non ab omnibus pro indubitato legitimi lapidis signo habetur. Si calce viva aqua admista ungatur lapis, ac illa paulo post flavescat, legitimum lapidem multi iudicant, alii chartam creta fricant, deinde supra cretam lapidem fricant, si fricationis linea viridis appareat, legitimum lapidem arbitrantur. Nullum tamen certius probitatis indicium, quam si venenum homini, aut cani detur, & oblato pulvere evadat. Quis enim montanum à palustri, aut adulterinum à legitimo (quem Indi imitari posse exacte dicuntur) distinguere melius quam effectu, qui à tota lapidis essentia manat, potest. Quisquis enim præcipuas notas habet, & venenis omnibus adversatur, is profecto legitimus, & sincerus censeri debet. Quibus autem modis imitari quis hunc lapidem possit, hic docere nolo ne fraudis occasio impostoribus *c* detur.

*Proba lapidis legitimi.*

a *In Dioscorid. de re medica lib.* v. *cap.* 73.

b *Quod idem scribit Iacobus Bontius (cap.* 182. *huius libri citatus) cuius hæc sunt verba. Author (nempe Garcias ab Horto) ait lapides Bezoar paleam, vel quid tale intus habere, quod nunquam fallit, nisi in adulterinis, & si superficiali tunica abrasa, non succedat alter orbis cæparum modo, donec ad paleam istam*

*istam deventum sit, fictitius est lapis proculdubio: sed sequenti modo eius adulterium melius percipitur, si lapidem frices pauca calce, & si in loco fricato puniceus color appareat, constat verum esse, ac genuinum. 2. si ponderatum accurate lapidem coniicias in pelvim aqua repletam, & post duas, aut tres horas eundem eximas, ac rursus ponderes, ac nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit, verus est lapis Bezoar: verum si calce fricatus rimam ducat, aut si aqua exemptus de pondere amiserit, vel eo auctus fuerit, falsum, ac adulterinum audacter dicito.*

c *De lapide Bezoar plura scribunt Andreas Baccius de gemmis & lapidibus, & VVolfangus Gabelchoverus in annotationibus suis in eundem cap. 34. Etiam inter Neotericos de lapide Bezoar totum libellum edidit V. Cl. Casparus Bauhinus in 8.*

## CAP. CXCV.

### *De lapide fellis.*

IN cisti fellis animalium lapis invenitur ochræ colore, seu obscure flavo, qui ex crassiore, & terrestri bilis portione, prorsus eodem modo, quo lapis Bezoar, crustis se invicem complectentibus, coalescit. Valet ad venena, præsertim ille, qui ex boum cisti exemptus est, ut mihi amicus, qui se multoties id expertum dicebat, sancte affirmavit. Existimarem ad alvum deturbandam aptiorem, quod bilis ex qua coaluit huic scopo à natura destinata sit. Ad venena eum, qui ex cervis, capris, aut aliis animalibus, quæ in montibus salutiferis herbis pascuntur, eruitur, aliis præferrem. Lapis in cisti fellis boum, Alcheron *a* à nonnullis vocatur, qui contusus, ac naribus inditus visum acuit, ac fluxus, ne in oculos fluant, pro-

*Ad venena.*

*Alcheron lapis.*


prohibet. Lentis magnitudine cum succo betæ naribus inditus, epilepticos paroxysmos prohibere in posterum traditur.

a *Arabes hunc lapidem* Haraczi *nominant, eumque valde commendant in morbo regio teste Petro Bellonio lib. 3. obs. cap. 46, cuius hæc sunt verba. Lanii Turcici aliarum nationum lanios in concinnandis carnibus agilitate longe superant. Et ubicunque sunt, iugulato bove, extisque exemptis, fel observare solent, an lapidem contineant, quoniam plerumque innascitur lapis, quem Arabes* Haraczi *nominant, cuiusque facultates ab Avicenna sigillatim sunt descriptæ. Iudæi longe pluris æstimant huiuscemodi lapides, quam Turcæ, qui Iudæis cum sint saniores, illo magnopere non indigent. Iudæi magna ex parte malo colore sunt præditi, & regio morbo laborant, naturaque tacituri sunt, & melancholici, non modo in Turcico dominio, sed & in Germania, Italia, Gallia, & Bohemia. Qui apud Turcas vivunt, nullum præsentius remedium, adversus eum morbum norunt* Haraczi *lapide, quod annotatum voluimus, ut quem hæc legere continget, lanios suæ regionis admoneat de perquirendo eo lapide in bubulo felle. Non invenitur quidem in omni felle: sed in decimo quoque forsitan invenientur bini, aut tres eiusmodi lapides.*


Cap.

## CAP. CXCVI.

### *De Ætite.*




ÆTites lapis à Græco vocabulo ἀετὸς, quod aquilam significat, nomẽ habet, Germanice *Adlerstein* vocatur. Nomini causam dedit aquilæ industria, quæ ut partum promoveat fertur Ætiten in nidum ferre, alias absque eo parere non posse.



Colore est albo, cinereo, pullo, vel fusco. In se continet alium lapidem Callimum dictum, interdum argillam, vel terram, sed alii eum, qui argillam, vel terram fert, pro Ætite haberi nolunt.

## Cap. CXCVII.

### *Genera, & ubi naſcatur Ætites.*




PLinius in quatuor genera *a* diſtinguit. In Africa naſcentem puſillum, ac mollem, intra ſe, & velut in alvo habentem argillam ſuavem, candidam, friabilem, quem fœminei ſexus putant. Marem autem, qui in Arabia naſcitur, durum, gallæ ſimilem, aut ſubrutilum, in alvo habentem durum lapidem. Tertius in Cypro invenitur, colore illis in Africa naſcentibus ſimilis, amplior tamen, atque dilatatus, cæteris enim globoſa facies. Habet in alvo arenam iucundam, & lapillos, ipſe tam mollis, ut etiam digitis fricetur. Quarti generis Taphiuſius appellatur, naſcens iuxta Leucadem, invenitur in fluminibus candidus, & rotundus. Huic eſt in alvo lapis, qui vocatur Callimus. Ego tantum tria genera deprehendi. Primum genus exterius ſcabrum non læve eſt, colore vario, plerunque tamen pullo nigricante. Hoc lapidem Callimum dictum, dumque pulſatur, ſonantem in ſe continet. Secundum cinerei

*Taphiuſius lapis.*

*Tria genera Ætitis.*

rei coloris est, ac in se argillam, vel margam continet, quæ alba, flava, rubra, cæruleave interdum est. Cortex eius exterior scabra ex arena crassiore, silicumque particulis facta, vel constructa videtur. Tertium priori simile terram in se, coloribus variantem, concludit. Has duas postremas species Germani *Klapperstein*, vel *Erdstein* vocant, ac ab aliis Geodis nomine appellantur. Secundum genus, quia agitatum, & commotum argillæ sonum prodit, ad Ætitis genera aptius cum Plinio, quam ad Geodis refertur.



Primi generis Ætites raro pruni, vel armeniaci mali magnitudinem superat. Posteriora duo genera pugni sæpe magnitudinem æquant. Primum genus Orientale est, quanquam etiam in Apulia reperiatur: reliqua duo etiam in Germania inveniuntur prope Hildeshemium in Misnia, prope Dresdam, ac non procul Chemnicio, deinde in Bohemia duobus à Pilsna miliaribus. Hi plerunque in torrentibus, decedente aqua, reperiuntur. Habet enim Silesia ad pagum *Smotsteifen* territorii Leobergensis, item ad Goldbergam in Lygiis hos lapides.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 21. littera a, & sic deinceps.*

## Cap. CXCVIII.

### *Natura, usus, & facultas Ætitis.*

*Ad partũ retinendum, vel pellendũ.*

Ætites partum promovet,& fœtum retinet. Ut fœtum retineat brachio, ut vero partum promoveat, femori alligatur. Trahere enim ad se partum experientia, & testimonio multorum medicorum clarum, notumque est. Proinde si partus exciderit, statim amovendus lapis, ne matrix etiam excidat, ut, Valeriola teste, Valentiæ coniugi Ponsoni Ionberti contigit, quæ oblivioni tradens lapidem femori alligatum, elapsa matrice, extincta est.

*Ad epilepsiam.*

Tritus lapis, ceratoque exceptus epilepticos paroxysmos lenit.

*Ad pestẽ.*

Argilla, vel marga lapidi inclusa, terræ sigillatæ facultatem obtinet. Lota enim pesti, febribusque pestilentibus correptis, cum aqua acetosæ propinata, auxilio est. Sudore enim malum omne expellit, ac cor recreat: quinetiam obs

*Ad venena.*

ervavi in nonnullis alvum movere. Ad venena danda cum vino, dysenterias malignas, aliosque alvi

*Ad Carbunculos.*

malignos fluxus compescit. Carbunculos pestilentes pota cum vino, oligophoro, ac spiritu vitrioli discutit, ac cor ab omni labe tuetur. Serpentes etiam arcere creditur, obque hanc causam etiam ab aquila expeti, ut nempe pullos tueatur. Gestatus amorem, & divitias augere, præterea invictum, omnibusque gratum gestantem efficere, ac comitiales paroxysmos prohibere, traditur. Ad furem deprehendendum, *a* Dioscoride teste, olim panis Ætitis pulvere commixtus suspecto porrectus fuit.

*Furis proditor.*

Qui si criminis conscius erat, eum deglutire non poterat, Bellonio teste, *b* libro 20. Observationum,

num, capite decimo tertio, adhuc hodie in eum usum lapide hoc Græci utuntur, sed variis adhibitis superstitionibus. Dum enim deprehendere furem volunt, omnes suspectos advocant, atque massam pinsunt sine fermento, variaque verba admurmurant, deinde ex massa panes ovi magnitudine conficiunt, singulisque qui convenerunt ternos devorandos nullo potu addito præbent. Tum fur tertium devorare non potest, ac parum abest, si conetur, quin stranguletur. Monachi Græci id pro secreto habent. Sed huiusmodi quid si contingat tantum furi, spiritu maligno cooperante fieri non dubito; proinde ab homine Christiano scrutinia similia reiicienda, tanquam superstitiosa, sunt. Creditur etiam si patinis venenum continentibus supponatur Ætites, ferculum in quo est, devorari non posse.

a *Libro* v. *de re medica cap.* 118. *Præter has facultates tam à Dioscoride, quam ab Auctore citatas, articulari morbo laborantes, ac resolutos mirificè iuvari hoc lapide, testis est Aëtius lib.* 2. *tetrabibl. cap.* 32, *qui id habuit ex Demosthenis libro de lapidibus de Ætite.*

b *Hic locus in Petri Bellonii observat. lib.* 20. *cap.* 13. *non exstat, sed lib.* 2. *cap.* 23. *Nam tantum tres libros observationum conscripsit.*

## CAP. CXCIX.

### *Dignitas, valor & pretium Ætitis.*

ORientalis quem primi generis statui, ac in aquilæ nido invenitur, à generosis, & nobilioribus fœminis magni fit, ob singularem, ad partum promovendum facultatem, ita ut aliquando decem, etiam

etiam viginti thaleris, si grandiusculus, & armeniaci mali magnitudinem habeat, vendatur. Germanici viliores sunt, plerunque tamen si pulli, & ferruginei coloris sint, ac non adeo scabri, singuli thalero uno aut duobus veneunt, etiam pluris si magni fuerint.

## Cap. CC.


*De Callimo lapillo, qui Ætite includitur.*

CAllimus in Ætite reperitur, variatque colore, & duritie, aliquando etiam ex parte transparens est Crystalli instar. Ad albim invenitur Ætites prægnans candido silice durissimo, in cuius superficie cellulæ sunt, quales habent apum favi. Callimus easdem à nonnullis putatur habere vires, quas Ætites.

## Cap. CCI.

*De Geode.*

GEodes lapis est rotundus terram, aut arenam continens, hunc ad tertiam speciem Ætitis redegi. Dum terram continet, vel arenam non sonantem, Geodes proprie, nec inepte, vocari potest.



Quicunque non terram, sed arenam etiam indura-

duratam, ſonantemque in ſe habet, Ætitis nomen non meretur, ſed Geodis. Reperitur in Miſnia, & prope Pilſnam Bohemiæ, colore eſt rubiginis, ac pugni ſæpe magnitudine, nullius, quod ſciam, uſus: niſi quis dum exacte rotundi ſunt, iis maioribus bombardis explodendis uti velit. Reperitur aliud Geodis genus prope Aretium, candidum, figura oblonga, utrinque acuminata, ſpecie ſtercoris canini: videtur ex argilla parum condenſata conſtare. Si frangatur, ex cruſtis eiuſdem ſubſtantiæ aggregatæ, ac friabilis coaluiſſe, inſtar lapidis Bezoar deprehenditur. Fortaſſis Bezoar eſt Ægypti foſſile vel Ætites fœmina *a* Plinii, & ſpecies Oſteocollæ, vel Oſſifragi lapidis.

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 21. littera a.*

## CAP. CCII.

### *De Enhydros.*

A Geode non differt Enhydros, niſi contento, ut enim ſuperior arenam, vel terram, ita hic aquam continet, abſolutæ, *a* Plinio teſte, eſt rotunditatis, in candore lævis, ſed ad motum fluctuat intus in eo veluti in ovis liquor.


a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 21. littera b.*

## CAP. CCIII.

### *De Enorchi.*

ROtundus eſt hic lapis ut Geodes, cuius ſpecies ut Enhydros ſtatui poteſt. Ovi columbini plerunque eſt magnitudine, Germanice *hodenſtein* vocatur, quia lapis in illo incluſus *a* teſtium vide-

videtur habere formam, à qua Græcum nomen illi datum est.



Interior lapis ita adhæret exteriori concavo, ut vitellum ovi cocti absque spatio intermedio albumini. Inveni hunc lapidem prope Pragam Bohemiæ, exterior eius pars terræ cinereæ habet colorem. Interior nec fulget, nec nitet, variisque, & obscuris coloribus sordescit.

a *Huius meminit Plinius libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera f f.*

## Cap. CCIV.


### *De Amiantho lapide.*

Amianthus lapis, aliis Asbestinus, alumini schisto tam similis est, ut eo adulteretur. Ignis iniuriam auri instar perfert, atque non solum uri non potest, sed purior redditur, unde Asbestini nomen illi datum est. Olim in fila aptabatur, mappæque ex eo tanquam ex lino fiebant. Linum ex Amiantho à *a* Plinio vivum appellatur. Mappæ Amianthinæ sordibus conspurcatæ, puriores igne exustæ quam si aqua laventur fiunt, ac magis splendent. Regum inde olim tunicæ funebres fiebant, ut cremata cadavera à reliquo cinere separarentur. Nascitur, Dioscoride teste, in Cypro, sed fuscus. Item in desertis Indiæ,

*Mappæ Asbestinæ.*

*Locus.*

Indiæ, ubi non cadunt imbres, ac in Asiæ provincia quadam. Reperitur etiam in Italia, sed adeo breve, ac fragile, ut neri non possit. Hinc fit ut pro alumine sciſſili, vel plumæ vendatur, & pro elychniis perpetuis tantum inserviat. Attritione solvitur facile in tenuia filamenta, instar plumæ canescentia.



Ligni modo fibrosus est, molliſque, & candidus, vel subviridis. Id quod dum teritur lapis efflorescit in plumas, flos petræ vocatur. Cuti applicatus flos urit urticæ instar ob asperitatem aculeorum tenuium qui carnis poros penetrant, & continuum solvunt. Id sciunt passim gnatones qui florem impalpabilem inspergunt internis camisiarum partibus, ut socii iis induti incredibili pruritu, ac dolore afficiantur. Olim Amianthus pretia Margaritarum æquabat, Plinio teste. A *b* Paulo Veneto vocatur hic lapis Salamandra, quod Salmandræ instar in igne vivat, aut eius iniurias absque noxa perferat. Sed meo iudicio ridiculum est credere aliquod animal in rerum natura esse, quod humore, spiritu, & aqua vix aliquo connexu iunctis constans, possit in igne

*Salamandra.*

igne degere, ut partes illæ non separentur, exurantur, & ita animal intereat. Fila huius lapidis lineis non sunt dissimilia. Sole siccata teruntur in mortario æneo, postea lavantur, ac à terra purgantur, nenturque, ac deinde texuntur. Modus texendi hac Ætate periit. c Baptista à Porta in libro magiæ naturalis videtur sciviſſe modum, eumque palam facere, sed verba tam sunt obscura, ut à nemine, quam qui modum scit, intelligi, (si ab ipso modus explicatur) possint. Ita enim inquit: pectitur, & netur ab omni muliercula modo non ignorato, ut Venetiis vidimus. Cypria mulier, & Valentina mihi videndi copiam fecit in arcis hospitio, vel medici mali, secretum optimum perpulchrum, perutile, licet à recentioribus ignoratum. Jam gratis dedimus, etsi magno pretio comparari possit. Hactenus à Porta. Iactat se gratis dediſſe, secretum hic nullum appareret; videtur enim tantum locum monstrasse, ubi modus haberi possit. Hoccine est magnum secretum dare? nullum profecto si extincta sit mulier, vel alio decesserit. Si arcis hospitio, vel medico malo, aliquid aliud intelligi velit tam obscurus est, ut ne centum Oedipi aperiendo secreto sufficiant. Dubitavi sæpe num succus mali medici hac in re necessarius sit. Sed obscuritas ænigmatis me in experiendo negligentem fecit.

*Modus texendi.*

*Miraculosum Amianthi lapidis linimentum.*

Ex Amiantho linimentum ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum miraculosum fit sequenti modo. Accipiuntur Amianthi unc. quatuor, plumbi unciæ 12, tutiæ unciæ duæ, ac calcinantur, deinde pulverisata in vitro macerantur cum aceto, ac quotidie per mensem materia agitatur semel; post mensem ebullienda est unius horæ quadrante, ac quiescere sinitur, donec inclarescat: deinde illius aceti clari quantitas, cum pari quantitate olei rosacei, misce-

miscetur, donec bona fiat unio linimenti forma, eo inungitur caput pueri totum ut cito sanetur: ad scabiem, & ulcera tibiarum vesperi partes unguntur, donec sanentur. Si lapis hic cum aqua vitæ, & saccharo solvatur, ac exigua portio mane quotidie mulieri albo menstruo laboranti detur, mox sanatur.

*Ad ulcera.*

*Ad alba menstrua.*

a *A Plinio linum vivum appellatur lib. 19. Naturalis historiæ cap. 2. littera t. Per linum vivum Amianthum lapidem debere intelligi Auctor est Petrus Andreas Matthiolus in Dioscorid. lib. V. cap. 113. verum V. Cl. Claudius Salmasius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 178. scribit male & imperite facere eos, qui Plinium eo nomine reprehendunt, quum Plinius de lino revera loquatur, quod* ἀσβεστινῶς *vivum, & Asbestinon dicebatur, & in India proveniebat. Multo imperitius agere, inter quos est Mercurialis, qui Plinium sic defendit, ut non neget quidem linum ab eo lapidem Carystium appellatum fuisse, sed Græcorum id auctorum exemplo fecisse contendat, quandoquidem & Pausanias ante ipsum Carpasium linum nominarit, & Strabo Carystium: de Strabone falsum est, ut supra ostendimus. Pausanias quidem vocat* καρπάσιον λίνον, *sed improprie, siquidem intelligit de Cyprio lapide: profecto videtur confudisse linum Asbeston cum Cyprio lapide, ea re inductus quod simili potestate contra ignes utraque esset prædita. Cæterum quod à Plinio describitur Indicum linum, toto genere, ac cœlo diversum à Carystio, sive Cyprio lapide. Præterea nisi Plinius per linum vivum quid aliud intelligeret, quam Amianthum lapidem, non diversis locis (ne in tautologiam incideret) de iis tractasset. Nam Amianthi lapidis meminit Plinius lib. 36. cap. 19. littera d. Huius etiam Amianthi lapidis mentionem faciunt Georgius Agri-*

*cola lib. v. de Natura Fossilium cap. 9. Andreas Cæsalpinus lib. 2. de metallicis cap. 49. Antonius Musa Brassavolus Ferrariensis tradit, impostores, lapidem Amianthum simplicibus mulierculis ostendere, vendereque sæpenumero pro ligno Crucis Servatoris nostri. Id quod facile credunt cum igne non comburatur, quodque ligni modo plurimis constet lineis intercursantibus. Amianthus lapis etiam fuit in aurea illa lucerna quam Athenis Callimachus fecit, oleo non nisi post annum dissipato. licet semper arderet.*


b *In Itinerario suo.*

c *Libro 4. cap. 25.*

## Cap. CCV.

### *De Hæmatite.*

Hæmatites à sanguine nomen habet, *a* vel quod aqua commixtus sanguineum colorem referat, vel quod sanguinem sistat. Germanice *Bluetstein*



vocatur. Color illi sanguine est obscurior, non secus, ac si quis ferri scobem minio nativo, id est, cinna-

cinnabari commiſceret. Quanquam interdum niger, interdum flavus, interdum ferri colorem habeat. Strias antimonii inſtar habet. Dum uritur minii colorem imitatur.

*Pulcher color ex Hæmatite.*

a *Theophraſtus lib.* περὶ λίθων *Hæmatiten dici vult, non quod tritus ſanguineum ſuccum reddat, non quod ſanguinem ſiſtat, ſed quod ſimilis ſit* αἵματι ξηρῷ πηγότι, *arido ſanguini, & concreto.*

## CAP. CXCI.

### *Genera, & loci natales.*

PLinius de Hæmatitis generibus ita ſcribit libro. 36.cap.20. Sotacus è vetuſtiſſimis authoribus quinque genera Hæmatitum tradit, præter Magnetem. Principatum dat ex iis Æthiopico, oculorum medicamentis utiliſſimo, & iis quæ panchreſta appellant, item ambuſtis. Alterum Androdamantha dicit vocari, colore nigro, pondere, ac duritie inſignem, & inde nomen traxiſſe, præcipueque in Aphrica. repertum. Trahere autem in ſe argentum, æs, ferrum. Experimentum eius eſſe in cote ex lapide Baſanite. Reddere enim ſuccum ſanguineum, & eſſe ad iecinoris vitia præcipui remedii. Tertium genus Arabici facit ſimili duritie, vix reddentis ſuccum ad cotem aquariam aliquando croco ſimilem. Quarti generis Elatiten vocari, quamdiu crudus ſit, coctum vero Miltiten, utilem ambuſtis, ad omnia viliorem rubrica. Quinti generis Schiſton, hæmorrhoidas reprimentem.

Hodie unum tantum genus ſupra deſcriptum pro Hæmatite habetur, idque videtur quartum eſſe Elatite dictum, Rubricæ enim quamproximum eſt. Ad ſecundum genus Plinii videtur ille lapis referri

posse, cui minium nativum adnascitur. Nigricat enim, ponderosus est, & argentum, æs, ferrum, ac aurum in se trahit, propter argentum vivum, quod in se continet, eam naturam habet, ut metalla appetat, iisque uniatur. Si quis coloribus Hæmatitum genera distinguere velit, varia habebit, cum aliqui flavescant, rubescant, nigricent, & ferri colorem habeant. *Locus.* Lapis qui hodie pro Hæmatite habetur, in variis Germaniæ locis reperitur. Sæpe inter rubricas, & ferri fodinas, quales prope Ioachimicam vallem Bohemiæ, item circa Bressam sunt, invenitur. Aliquando ex Ostracite nascitur, ut prope Hildeshemium contingit. Copiose etiam invenitur in Ilva ubi ferri metalla sunt. Sed meliores fert compostella Hispaniæ, qui constant figura angulosa, quemadmodum Pyrites, qui ferri nigricantis splendorem habet. Excoquitur in ferrum hic lapis, ac in cavernulis rubricam continet. Interdum, sed obscure ferrum trahere animadvertitur. Fit etiam Hæmatites ex Magnete usto.

## Cap. CCVII.

*Natura, facultates, qualitates, dignitas, & valor.*

Aliis omnibus præfert *a* Dioscorides friabilem, & saturato colore, nigroque qui per se durus, & æqualis est, nulla sorde admista, aut septo intermedio, habetque cinnabari similem colorem, sed saturatiorem. *Minii color ex Hæmatite.* Ustus, vinoque aspersus minii colorem nanciscitur. Frigidæ, siccæ, glutinantis, attenuantis, & astringentis est facultatis; quamobrem *b* oculis cruore suffusis, & lachrymantibus mire convenit cum lacte muliebri instillatus, ac mulierum profluvia, dysenterias, hæmorrhagias, hepaticos, alioque sanguinis fluxus compescit. *Ad sanguinis fluxus.* Ex vino ad serpen-

serpentum ictus propinatur. Ad pulmonis ulcera sanguinisque eiectiones à *c* Tralliano celebratur. qui pollinem tenuissimum cum vino sæpius à scrup. uno ad scrup. quatuor non sine magna utilitate exhibet. Vilis est admodum hic lapis. *Ad sputa sanguinea.*

a *Libro* V. *de re medica cap.* 101.

b *Raphaël Volateranus in Comm. Vrbanis lib.* 27. *de lapidibus tradit eundem lapidem tritum cum melle, ophthalmiis, morbisque oculorum omnibus impositum mederi: ex aqua vero epotum, ad omnia venena prophylacticum esse: præterea digito gestatum victoriam contra lites omnes, gratiamque conciliare.*

c *Libro* VII. *cap.* I. *circa finem miris laudibus Hæmatiten lapidem extollit, vide etiam ad hanc rem insignem, notatuque dignum, de hoc lapide, locum Aëtii lib.* 2. *tetrabibl. cap.*13.

## CAP. CCVIII.

### *Adulterium Hæmatitis.*

ADulterari solet gleba rotunda, & densa lapidis Schisti (qualis est quæ eius radix vocatur) torrefacta in fictili inter cineres. donec ad cotem colorem Hæmatitis reddat. Sed fraus deprehenditur, primum quidem intersectionibus, Schistus in laminas rectas frangitur. Hæmatites autem non eo modo; deinde colore, Schistus enim floridum reddit, Hæmatites autem saturatiorem cinnabari similem.

## Cap. CCIX.

### *De Hæmatite ſpurio triplici.*

NAſcitur in Sileſia non procul ab arce Lehnenci ad Boberum flumen lapis ſimilis Hæmatiti, ab incolis *Bluetſtain*, *Braunſtain*, aut *Braunfarbe* vocatus. Is durus non eſt, eoque figuli tingunt fictilia Hirsbergi. Uſtus crocum martis colore, & effectu refert, nam ad ſanguinis eruptiones compeſcendas utiliſſimus eſt. Alterum genus reperitur in ferri metallis, globoſum, colore partim rubricæ, partim ferri nigricantis, friabilis ob inæqualitatem, durus tamen. Hoc à Dioſcoride deſcribi videtur. Nam cæteri ſolidiores adulterari nequeunt, neque colore ſanguineo, ſed ferri perpoliti ſpectantur. In hoc genere quidem colore ſaturiore reperiuntur, croceum pulviſculum fundentes, quales Plinio in Æthiopia naſcuntur. Tertium genus ferrugineum, & grave eſt rubrica obductum, & ſupra rubricam creta pallida. Deinde tectum cruſta ſimili Ætiti, tenuiore tamen, & fragiliore, quæ ſepti modo peruadit ad intima. Lapis hic ad cotem croceum, & ſanguineum ſuccum profert. Reperitur Aretii ubi fons eſt acidulæ congener Oſtraciti. Vim habet aſtringentem, & aliquantulum excalfactoriam, & extenuantem, ut Dioſcorides tradit, ideo exterit oculorum cicatrices, & ſcabritias cum melle, facit etiam ad lippitudines, oculos contuſos, ac cruore ſuffuſos, cum lacte muliebri. Bibitur ad difficultatem urinæ, fluxuſque muliebres, ac iis prodeſt, qui ſanguinem reiecerunt.

*Ad ſanguinis fluxus.*

Cap.

## CAP. CCX.

### *De Smiri lapide.*

SMiris Germanice *Smergel*, Italice *Smeriglio*, Gallice *Emeri*, ad Hæmatitis tertiam Plinii speciem referri posse videtur. Nam eam durissimam statuit, ac vix ad cotem aquariam succum reddere, eumque aliquando croco similem asserit. Lapis est ferrugineo, ad nigredinem tendente, colore, adeo durus, ut gemmarii eo ad gemmas scalpendas, & arma expolienda utantur. Contunditur enim in pulverem tenuem papaverini seminis instar, aut paulo minorem, deinde addito oleo, vel aqua operi adhibetur. Tantam habet duritiem, ut eo vitra non secus, ac si Adamas verus esset, scindantur. Ad loricas annulatas emundandas, & à rubigine liberandas vasi rotundo cum loricis imponitur, quod frequenti rotatione commotum, ac hinc inde iactata lorica, Smirisque pulvere per annulos sæpius decidente, parteſque illius affricante, ita lorica abstergetur ut nova videatur, Enses etiam hoc lapide, aliaque arma expoliuntur. *a* Ad gingivas humentes, & dentifricia Smiris pulvis etiam adhibetur. Abstergentem enim habet facultatem.

*Hæmatitis.*

*Ad loricas mundandas.*

*a Smiridis facultates demonstrant Dioscorides, & Petrus Andreas Matthiolus lib. v. cap. 123. de simplicium medicamentorum facultatibus. Oribasius lib. xv. Collect. Medic. de lapidibus. Aëtius lib. 2. tetrabibl. cap. 26. V. Cl. Claudius Salmasius, Smiris per simplex 1. non Smyris, scribendum tradit, libro (cap. 62. huius libri) citato, fol. 1101. Cuius hæc sunt verba: Smiris etiam veteribus notus lapis, quo gemmas atterebant, ac poliebant. Dioscoridi ζμύρις*

*dicitur, sed legendum ζμίρις ex Hesychio ζμίρις λίθος ἐστιν, ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι· quo gemmas atterunt, gemmarum scalptores. Hesychius: ζμίρις, ἄμμον εἶδος, ᾗ σμήχονται σκληροὶ ἄλλοι λίθων. Smiris quoque hodie id nomen habet, & eundem usum exhibet &c.*

## Cap. CCXI.

### *De Schisto.*

Schistus, seu sciſsilis lapis, friabilis, & sciſsilis est, unde nomen habet, componitur, & cohæret instar salis ammoniaci. Glebas habet duras, & rotundas quæ Schisti radices vocantur, quibus ustis olim Hæmatites adulterabatur. Fraus deprehendebatur quod in rectas laminas frangebantur, quod Hæmatiti non contingebat. Crocei est hic lapis coloris si optimus fuerit; alias nigricat, laminas habens tenues invicem hærentes ut lapis Specularis, splendentes, & perspicuas, per quas si Sol inspiciatur videtur croceus. *a* Plinius ex sotaco Schistum Anthracitin vocari, nascique in Aphrica nigrum, attritumque aquariis cotibus reddere ab ea parte, quæ fuerit à radice nigrum, ab altera croci colorem, utilemque esse oculorum medicamentis asserit. Reperitur in Bohemia, Romæ in Vaticano, ac in Montacuto prope Anglarium; cuius montis cacumen ex hoc lapide constat. Videtur Talci quædam species; sed hac ratione à Talco differt, quod in rectas laminas scindatur. Talci vero laminæ flexiles sunt, ac vario modo complicatæ.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. xx. littera c.*

Cap.

## CAP. CCXII.

### *De Ostracite.*

OStracites à testa, *a* quæ Græce ὄστρακον dicitur, nomen habet; testæ enim similis est, crustosus, & sciſſilis. Testa superiori ablata, alius continetur lapis in plures sciſſilis, intercedente semper crusta non lamina, ita ut plures lapides Ætitides uno lapide contineri videantur. Ab hoc differt Ostracites Germanorum vulgo *Topfſtain*, seu olla fossilis. Nam argilla potius videtur, quam lapis. Has ollas Æthnici olim cineribus mortuorum impositis telluri committebant. Molles sunt in terra, exemptæ in aëre lapidescunt. Ostracite à nobis ante descripto utuntur mulieres pumicis loco ad pilos auferendos. Potus in vino dragm. pondere menses fluentes sistit. Ad nomas, & mammarum inflammationes imponitur utiliter. A purgatione sumptus conceptionem prohibet. Tertia species ad gemmas à Plinio refertur, quam etiam Ostraciam appellat. His verbis lib. 37. cap. 10. Ostracias, sive Ostracitis est testacea durior, altera Achatæ similis, nisi quod Achates politura pinguescit: duriori tanta ineſt vis, ut aliæ gemmæ fragmentis eius scalpantur. Ostraciti ostrea nomen, & similitudinem dedere. Hæmatitis etiam species quædam Ostraciti similis est. Reperiuntur hæ species omnes in variis Germaniæ locis, in Italia prope Levanen qua tenditur Aretium, in collibus sabulosis, & argillosis, ubi Geodes invenitur, ibi & Ostracitis.

*Ollares lapides.*

*Ad mensium fluorem.*

*Ad impediendam conceptionem.*

*Locus.*

a *Iuniores Græci (teste Georgio Agricola lib. v. de Natura Fossilium cap. 19.)* λιθόστρεον *nominarunt, ut ab Ostracorum testis distinguerent. Plura de hac re*

*vide in Conrado Gesnero de Fossilibus Impress. Tiguri (ut monuimus post caput 52. huius libri) fol.85.*

## Cap. CCXIII.

### *De lapide Samio.*

SOlet hic lapis in terra Samia, quæ linguæ adhæret, & alba est, reperiri: eo utuntur aurifabri ad nitorem auro comparandum. *a* Facultatem habet astringendi, & refrigerandi, candidior, & durior cæteris præfertur, partus accelerat, & conceptus custodit ut Ætites. Interdum hic lapis nigricat, tum à nonnullis exhebenus, aut ebur fossile vocatur.

a *Samii lapidis facultates, & multa plura, tractant Petrus Andreas Matthiolus in Dioscorid. cap. 130. lib. v. de re medica & Andreas Cæsalpinus lib. I. De Metallicis cap. XI. ad quæ loca lectorem relegamus.*

## Cap. CCXIV.

### *De Talco.*

*Stella terræ.* TAlcum Germanice *Talck*, à nonnullis Stella terræ appellatur, quod stellarum instar, argenteoque nitore splendeat. Putant nonnulli veterum fuisse Argyrodamantem, quia ignis iniuriis resistit, lapidis Speculari simile est Talcum: item Schisto, à quo distat non solum colore, sed & quia non in rectas laminas scinditur, flexiles enim sunt, & vario modo complicatæ. Ex tenuissimis laminis argenti æmulis constat, igni resistit, in eoque perenne est. Nam neque funditur, neque comburitur, neque colorem amittit: propterea elychnia ex eo complicata

*Argyrodamas.*

cata fiunt, ut ex Amiantho lapide. Talcum plerunque candidum, & argentosum habet colorem. Ex eo chymici eliciunt oleum ad æs dealbandum, ac figuli fictilibus eius opera argenteum dant nitorem. Talco utuntur etiam mulieres ad faciem eximie dealbandam, in liquorem prius solvendo. Contunditur in pollinem tenuissimum pistillo ferreo, postea forti ollæ committitur, operculo addito, ferreis deinde filis ligatur, figulari creta illinitur, in Sole triduo siccatur, ac tandem furno vitriariorum, ubi maximæ flammæ sunt, imponitur. Post triduum aut quatriduum eximitur, vas frangitur, & si in calcem redactum sit, servatur, sin minus, repetitur labor, donec perfecte calx dealbuerit. Postea super Marmor Porphyreticum accommodatur, humidissimoque loco relinquitur, donec in liquorem solvatur, ad prædicta utilem, *a* Ioanne à Porta teste. Alii ad prædictum usum Talci pollinem cum cochleis ollæ immittunt, ut Talcum devorent, ubi devorarint cum testis tusas vitro imponunt, ac ab iis aquam extillant pro mulierum magonio, ut dixi.

*Talci liquor.*

*Alius liquor ad fucum.*

Avicenna authore, Talci lapis periculosus est si devoretur, propterea ut solvatur eget magna industria. Frigidum est Talcum in primo, siccum in secundo gradu, astringit, retinet sanguinem, prohibet abscessus mamillarum & testiculorum, & quæ post aures fiunt. Iufunditur dysentericis, ad sputum sanguinis, fluxum menstruorum & hæmorrhoidarum, datur cum aqua plantaginis. Talci genera variis coloribus distingui possunt. Reperitur genus quoddam crustosum & fragile in colle petræ sanctæ, quod ignis non absumit ac aliqui Galaicon *b* Plinii putant.

*Galaicon.*

a *Libro*

a *Libro* x. *Magiæ Naturalis cap.*19.

b *Libro* 37. *Naturalis historiæ capite* x. *littera kk.*

## Cap. CCXV.

### *De Selenitide, ac lapide Speculari.*

SElenites à Luna nomen obtinet, quod decrescente, vel accrescente Luna augeatur, vel minuatur, à Romanis olim Lunaris gemma vocabatur. Nam Selenites inter gemmas ponebatur. *a* Plinius ex candido transluceré melleo fulgore, imaginem Lunæ continere, eamque reddere in dies singulos crescentis, minuentisque numero, nascique in Arabia scribit. Alii lacteo colore esse, noctuque non solum lucere, sed loca proxima illustrare affirmant. A *b* Galeno hæc gemma Aphroselinites, quasi Lunæ spumam dicas, vocatur. *c* Dioscorides Selenitem vocari scribit, quia noctu invenitur plenus Luna crescente. Albertus tradit nasci in quodam genere testaceorum in India, Persíde & Arabia. Ego neque Seleniten, neque alium lapidem noctu lucentem unquam vidi, nec neotericorum aliquem deprehendi, qui vere ostendere potuerit, quænam fuerit veteribus Selenites gemma. Nonnulli existimant Margaritas esse, quod *d* Garsiæ ab Horto medici proregis Indiæ testimonio plene reperiantur crescente Luna, ac post plenilunium si capiantur, cum tempore minuantur & decrescant, ut è contra si ante capiantur, in eodem statu permaneant. Deinde quod candidæ, & læves sint, ac in iis corniculatæ Lunæ imago (postulante id propter corporis umbram, & subiecti corporis reflectionem sphærica figura) appareat, cui accedit, quod ad comitiales propinetur, & à mulieribus ad pericula evitanda gestentur; ut olim Selenites. Verum

*Margarita an sint lapides Selenitides.*

rum quia à nullo veterum, neque à Plinio Margaritas hoc nomine appellatas deprehendo, aliam gemmam Selenitis nomine notatam fuisse non dubito. Recentiores lapidem Specularem, quem Germani *vnſer lieben Fravven eys* appellant, Selenitem ſtatuunt. Quod facile Lunæ imaginem in ſe recipiat, variisque modis viſui offerat. Lapis hic Cryſtalli inſtar pellucidus eſt, ac in bracteas tenuiſſimas ſcinditur, omni papyro vulgari tenuiores, nec propterea diaphanitatem amittit. Aliqui alumen Scaiolæ vocant, cum tamen alumen non ſit, neque eius ſaporem habeat. In igne in pulverem candidiſſimum facile vertitur, quo mulieres ad faciem dealbandam, & rugas depellendas utuntur. Ad quæ commodior eſt hic lapis, ſi in liquorem ſolvatur, ut in capite de Talco explicavi. Tener eſt hic lapis, flexilis, ac in gypſum facile excoquitur. Laternis, & feneſtris conficiendis inſervit vitri inſtar. Maxima eius quantitas in Moſcovia invenitur, item in Hiſpania, Cypro, Cappadocia, Sicilia, Africa, in agro Boninienſi, in Thuringia, Saxonia, Marchia, in Miſnia ad Salam, aliiſque locis Germaniæ. Reperiuntur Speculares lapides variis coloribus, mellei, nigri, & fuſci, ſæpeque Saxo Marmoreo implicantur, aliquando laterculis diſtinguuntur, aliquando ſexangula figura excreſcunt, ut Cryſtalli videantur. Ex omni lapide Speculari ſi uratur, Gypſum fieri poteſt. Plinius de lapide Speculari ſequentia ſcribit. Specularis vero (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quaſlibet tenues cruſtas. Hiſpania hunc olim citerior tantum dabat: nec tota, ſed intra centum millia paſſuum, circa Segobricam urbem: iam & Cypros, & Cappadocia, & Sicilia, nuper inventum Africa: poſtferendos omnes tamen Hiſpaniæ, & Cappadociæ molliſſimis

*Specularē lapidem recentiores ſtatuunt Selenitem.*

*Alumen Scaiolæ.*

*Locus.*

*Colorum diverſitas.*

simis & amplissimæ magnitudinis, sed obscuris. Sunt & in Bononiensi Italiæ parte, maculosi complexu silicis alligati, quorum tamen appareat natura similis eis, qui Hispania puteis effodiuntur profunda altitudine. Nec non & saxo inclusus, sub terra invenitur, extrahiturque aut exciditur. Sed maiori parte fossili natura, absolutus segmenti modo, nunquam adhuc quinque pedum longitudine amplior. Humorem hunc terræ quidam autumant Crystalli modo glaciari, & in lapidem concrescere manifeste apparet: quod cum feræ decidere in puteo tales, & medullæ ex ossibus earum, in eandem lapidis naturam, post unam hyemem, figurantur. Invenitur & niger aliquando. Sed candido natura mira, cum sit mollitia nota, perpetiendi solis, rigorisque, nec senescit si modo iniuria absit, cum hoc etiam in cementis multorum generum accidat. Invenere & alium usum in ramentis quoque circum maximum ludis Circensibus sternendi, ut sit in commendatione candor. Hactenus Plinius lib. 36. Natur. Hist.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera a a a.*
b *Libro 9. de simplicium Medicamentorum Facultatibus.*
c *Libro 1. Aromatum, & simplicium historia cap. 57.*

## Cap. CCXVI.

### *De Gypso lapide.*

Gypsum *a* proprie dicitur calx ex lapidibus quibusdam ustis, sed exigua, & brevi ustione. Lapides autẽ illi unde Gypsum fit Alabastro non sunt dissimiles à Gallis Gypsum *du plastre ou du gyps* vocatur, à Germanis *spat*, vel *gyps*, ab Italis *gesso*, ab Hispanis

ſpanis *yeſſo*. Reperiuntur huiuſmodi Gypſi lapides variis coloribus, qui tamen uſti albi redduntur. Vulgares illi lapides qui Alabaſtri nomen habent, & unde vaſcula fiunt, facillime in Gypſum uſtione vertuntur. Huiuſmodi in Myſnia, comitatu Burgundiæ, ac in agro Volaterano inveniuntur, ſplendent, & lævorem ſuſcipiunt, tantumque deeſt durities, ut inter nobilia Marmora ſint. Gypſum adſtringit, emplaſticum eſt, & obſtruit. Ad ſanguinis eruptiones impoſitum convenit, citiſſime enim poſtquam madefactum eſt lapideſcit, ideoque etiam potum ſtrangulat. Quod uſtionem non eſt expertum ex oxycrato impoſitum repercutit. Maximi uſus eſt ad ſtatuas ingentes, & leviſſimas faciendas. Nam ex lana, vel ſtupa linea, aut cannabina, vel fœno ſemiformatæ ſtatuæ Gypſo humido, & molli obducuntur, ut tenuem cruſtam nanciſcantur, deinde formantur. Formatæ ingenti mola, muroque exigua portiuncula annexæ, ſpectatorem in admirationem trahunt. Cum polline lapidum duriorum, plumbi pulvere, & lacte in veros lapides tranſit, ac ſi colores adiiciantur Marmor pondere, nitore, & colore imitatur quam proxime. Pictoribus etiam Gypſum inſervit, eo enim colores commiſcent, ac ex maſſa penicilla duriora conficiunt, quibus abſque alio humido quævis pingunt; hoc vocant ſiccis coloribus pingere.

*Gypſum ſtrangulat.*

*Ad ſtatuas.*

*Coloribus ſiccis pingere quid ſit.*

a *Gypſi deſcriptionem, & plura ad Gypſum pertinentia, tradidi in comm. à me editis, in praxin Auream Ioannis Stockeri excuſ. typis Ioannis Maire typographi celeberrimi Lugd-Bat. Anno 1634. in 12. fol. 123. ad quæ lectorem relegamus.*

CAP.

## Cap. CCXVII.

### *De Pumice.*

PUmex Virgilio lapis bibulus, item ſpongia ut & Vitruvio, quod ſpongiæ inſtar fiſtuloſus ſit, dicitur. Lapis eſt eroſus, ſpongioſuſque, exiguis cavernulis ſeu foraminibus plenus Græce κωνεὶς quod veluti à vermiculis, qui κόνες dicuntur, ſit exeſus, ἀλκυόνιον à Theophraſto vocari putant, quod è marina ſpuma coactus ſit, Germanice *Bynſtein, pins Kratſtein*, quia in Balneis eo ad cutim fricandam utuntur, dicitur. Gallice *pierre ponce*, Italice *pumice*, Hiſpanice *piedra eſpongia*. Pumicis nomine etiam appellantur eroſa ſaxa, in ædificiis quæ muſæa vocant dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam, talia inveniuntur prope *Rotvvilam* ad Neccarum.

## Cap. CCXVIII.

### *Pumicis genera, loci natales, & facultates eiuſque uſus.*

DIfferunt inter ſe Pumices colore, ſunt enim aut nigri ut ſiculi, aut cinerei, aut candidi, alii molles ſunt, manibuſque teri in arenam poſſunt, alii duri, omnes rari ſunt, & leves, ac ob fiſtulas, aëremque iis contentum aquæ innatant quamvis magni. Inveniuntur in Melo, Sciro, Æoliis inſuliş, in Niſyeo
*Locus.* inſula, Sicilia, in Campania ad montem Modernum, & Veſuvium, in Ænaria, & ad confluentiam Germaniæ, item in littoribus maris undis detruſis, & in tractu maris Tyrrheni. Veteres è ſpuma maris coaleſcere in inſula Cyclade, & Niſiro teſtantur.
*a* Sæpe ab exuſtione, aut coctione lapidum fit, ut
*Electio.* circa Æthnam, & in collibus Myſiæ. Probantur cando-

candore, minimoque pondere, & ut quam maxime spongiosi, aridique sint, ac teri faciles, nec arenosi in fricando, quique ex capillis canescentibus coagmentati videntur, ut alumen scissile. Hi ad corpora fæminarum læviganda soli utiles sunt. Usus etiam Pumicum est ad lævigandas telas pro pictoribus, item ad corpora fæminarum, vel virorum fricanda in balneis, vis eorum in medicina est, *b* Plinio teste, extenuare, siccare trina ustione, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino restinguantur albo. Lavantur deinde ut Cadmia, & siccati conduntur quam minime vliginoso loco, usus farinæ eius oculorum medicamentis adhibetur, quia ulcera purgat leviter, expletque cicatrices, & emendat. Quidam tertia ustione refrigeratos potius, quam restinctos terere malunt ex vino. Adduntur etiam ad malagmata, capitum, verendorumque ulceribus utilissima, fiunt ex his dentifricia. Theophrastus author est potatores in certamine bibendi præsumere farinam eius, sed nisi immenso potu impleantur periclitari, tantamque refrigerandi naturam esse ut musta fervere desinant Pumice addito. *Pro pictoribus.*

a *Pumicem, ambustum esse lapidem in montium concavitatibus, omnes fere fatentur naturæ operum exploratores, ob id enim sæpius eructat mons Æthna in Sicilia, & in Campania Vesuvius, qui hoc tempore, ingentibus flammis exarsit cum magno Puteolorum, & adiacentium locorum detrimento, igne in terræ visceribus genito, è sulphureis vaporibus, & bitumine, quo quam plurimi referti sunt montes, eoque præsertim, quod pissalphaltum dicunt.*

b *Libro 37. Naturalis historiæ cap. 21. littera d.*

## Cap. CCXIX.

### *De Poro, Topho, aliisque lapidibus Pumici cognatis.*

POrus, vel Tophus Græce πῶρος dicitur, Germanice *Topffstein*, vel *tugstein*. Asper est, facileque in arenam resolvitur, scaber natura, fortassis lapis Sabulosus Thomæ Erasti est, qui prope Heidelbergam invenitur, & ad Podagram ab ipso prædicatur. Porum Plinius lib. 36. cap. 17. Cherniten vocat, sed Sarcophagi species est. Ad Pumicis & Tophi speciem proxime accedit salis spuma, quæ dum patinæ aqua salsa plenæ ebulliunt illa effluxa coire in Tophum solet. Tales tophi in salinis Burgundiæ, & ad Oeni vallem colliguntur. Fistulosi, ac spongiosi Halæ in valle Oeni *Saltzzepstein* vocantur, albissimi sunt. Burgundici duriores, graviores, solidioresque lapidis fere instar, colore minus albo, & interdum subrubente, ab incolis Salegre appellantur. Hi Tophi aviculis, quæ in caveis aluntur, exhibentur: quia eius usu recreantur cum alio sale pereant. Quod sane mirum, nullo manifesto discrimine inter hoc sal, & reliquum apparente. Ad Tophi, vel Pumicis genera referri potest Acopis Plinii nitro similis, pumicosa, aureis guttis stellata, quæ fortassis lapis ille est qui in Ilva, & alibi ubi alumen fossile, & chalchantum effoditur, reperitur. Sed hunc lapidem quidam Assium putant, qui etiam Pumici similis est. In Tmolo monte gignitur lapis Pumici similis rarus inventu, qui quater in die colorem mutat, Plutarcho teste, ubi Pactoli fluvii mentionem facit. A Pumice non multum distant, spuma maris Halosachne, Alcionium petreum, *a* Adarces, & Paretonium, sed quia ad terræ genera paulo indurata commodius referuntur,

*Lapis Sabulosus.*

*Chernitis.*

*Salegre.*

*Acopis.*

*Halosachne.*
*Alcioniũ.*
*Adarces.*
*Paretoniũ.*

tur, illorum descriptionem in alium locum reservo.

a *Adarces descriptionem tradit Plinius lib.16. Naturalis historiæ cap.36.littera e e. Eamque lib.32. cap.x. littera t. Calamochnum vocat. De Adarce consule V. Cl. Claudium Salmasium libro (cap.62. huius libri) citato fol.301. Sunt quidam qui existimant Adarcem Plinii esse Pallam Marinam, sed male: siquidem Palla Marina in mari tantum nascitur, non in paludibus aquæ dulcis, & ibi non arundinibus, neque herbis inhærens visitur, sed in sicco reperitur littore, undis simul cum alga proiecta, pilæ omnino similis, quæ in lactantium hædorum ventriculis ex exuctis una cum lacte pilis, plerumque reperitur: adde quod Palla Marina gustata nec acris, nec caustica (ut Plinius inquit) est. Huius etiam Pallæ Marinæ meminit Galenus lib. 1. de Composit. Medic. secund. loc. quam σφαῖραν θαλασσίαν vocat, quem locum Interpres Cornarius vir alioquin Doctissimus perperam spongiam interpretatur. Qui vero Plenioremm Pallæ Marinæ cupiat habere descriptionem consulat Conradum Gesnerum lib. de Aquatilibus cap. de Palla Marina.*

## CAP. CCXX.

### *De Sarcophago, & Asio, seu Assio lapide.*

SArcophagi vulgo hi lapides vocantur quibus mortuorum sepulchra teguntur. Verum hoc loco veterum Sarcophagum describo, seu Assium lapidem qui in Asso Troiadis carnem exedens reperitur, de quo sequentia Plinius lib.36.cap.XVII. In Asso Troiadis Sarcophagus fissili vena scinditur.

a Corpora defunctorum condita in eo absumi con-

stat intra quadragesimum diem exceptis dentibus. Eius generis & in Lycia saxa sunt, & in Oriente quæ viventibus quoque adalligata erodunt corpora. Mitior est autē servandis corporibus, nec absumendis Chernites ebori simillimus, in quo Darium conditum ferunt: Parioque similis candore, & duritie, minus tamen ponderosus, qui Porus vocatur. Assius gustu salsus, podagras lenit, pedibus in vase ex eo cavato inditis. Præterea omnium crurum vitia in iis lapidicinis sanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur. Eiusdem lapidis flos appellatur in farinam mollis ac quædam perinde efficax. (pro appellatur, legerem præparatus.) Est autem similis Pumici rufo. Admistus æri Cyprio mammarum vitia emendat; pici autem resinæve strumas, & panos discutit. Prodest & phthisicis linctu, cum melle vetera ulcera ad cicatricem perducit, excrescentias erodit, & ad bestiarum morsus utilis. Repugnantia curationi suppurata siccat, fit & cataplasma ex eo podagris, misto fabæ lomento. Hactenus Plinius. *b* Galenus Assium lapidem ait esse non durum, sed laxum, friabilem consistentia, & colore quasi Tophi. Innutriri ei quiddam farinæ tenuissimæ adsimile, qualis in pistrinorum parietibus adhærere visitur, quod petræ Asiæ florem vocant. Esse vero subtilium partium, ut sine morsu carnes nimis molles, & fluidas eliquet. Petram vero in qua nascitur similem, sed infirmiorem vim habere: salsedinem quandam in gustu florem participare. *c* Dioscorides Assium inquit seligendum colore Pumicis levem, fungosum, friabilem, habentem venas luteas ad imum actas. Eius flos salsugo subflava est, summo lapidi insidens, tenuis nunc alba, nunc instar pumicis ad luteum vergens, linguam aliquantulum mordens. Authorum præcedentium testi-

*Chernites. Porus lapis.*

*Ad podagram.*

*Ad mammas & strumas panosque.*

*Phthisis.*

*Electio.*

testimonio Assius lapis detergentem, exiccantem, leviter exedentem, & discutientem habet facultatem, proculdubio propter nitri, & salis, aluminisque mixturam qua constat.

Hodie vix dignoscitur Assius lapis. Mathiolus circa Tridentum in Vitrioli minis prope montem Liveginem reperiri existimat: propterea quod notæ conveniant. Reperitur enim ibidem lapis levis Pumicis instar spongiosus, frangibilis, venisque luteis. Alii Germanorum Tophum, aut illi admodum similem, eum qui reperitur in Ilva, & ubi alumen fossile, & calchanti vena foditur, colore candido instar sacchari, venis, vel maculis luteis, gustu subastringente, & linguam modice mordente, iterum eum qui ibidem sine maculis luteis, Pumici similis, fungosus, cum superficie sali simili, sed lapidosa, & insipida invenitur, esse existimant. Vel etiam eum, qui durior est, venis se intersecantibus in profundum, quique exterius in tenuem farinam candidam solvitur, modice mordentem, qui eius flos est. Non emanat autem flos luteus, nisi ex habente maculas luteas, cuius sapor etiam est efficacior. Hi profecto lapides omnes, qui alumen nitrum, & sal in se continent, ac leves, & spongiosi non inepte pro Asio lapide haberi possunt, præsertim quod propter prædicta mineralia iis contenta, easdem facultates, quæ Assio ab authoribus tribuuntur, habeant.

*Vbi reperiatur.*

a *Hoc lapide, quod carnes absumat, utebatur antiquitas, ad defunctorum sepulchra, ut absumptis ab eo carnibus, corpora non computrescerent, ob idque Græci appellavere sarcophagum. Quod manifeste declarat Dioscorides, cum inquit,* ᾗ σοροὶ σαρκόφαγοι γίνονται, *id est, loculi defunctorum carnes absumen-*

*tes ex eo fiunt; omnes interpretes male σορὸν pulverem interpretati sunt, excepto Plinio loco ab Auctore iam tradito, qui mentem Dioscoridis probe assecutus videtur. Quod idem nobiscum sentit V. Cl. Claudius Salmasius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 1204. littera c, cuius hæc sunt verba. Græci σορὸς vocant arcas mortuales. Eæ ex sarcophago lapide etiam fiebant, quas appellat σορὸς σαρκοφάγους Dioscorides. Sic tamen vulgo hæc vertunt:* Fit ex eodem etiam farinæ modo pulvis minuendis carnibus utilis. *Quæ nihili sunt, modumque quo hæc legenda, ac distinguenda sint, ibidem tradit, multaque de Assio.*

b *Libro* IX. *de simplicium medicamentorum facultatibus.*

c *Libro* V. *de re medica cap.* 99.

## Cap. CCXXI.

### *De Phrygio lapide.*

PHrygius lapis, *a* Plinio teste, gentis nomen habet, estque gleba pumicosa, uritur ante vino perfusus, flaturque follibus, donec rufescat, ac rursus dulci vino extinguitur, & hoc trinis vicibus, tingendis vestibus tantum utilis. *b* Dioscorides in Cappadocia inveniri tradit, eumque qui palleſcit, ponduſque mediocre absque solida compage, ac lineis albis cadmiæ instar distinctus est, cæteris præfert. Vim habere ait astringendi, expurgandi, & crustas inducendi, lavarique ut cadmia, usumque eius esse sive crudus sive combustus sit. *c* Galenus oculis utilem facit, item ad ulcera & scabritias. Hodie ignotus est hic lapis, quia tamen tingendis vestibus utilis fuit olim, aliqui chalchanti glebam, quæ ad tingendum utilis est Phrygium esse lapidem opinan-

opinantur, huiusmodi glebæ pallent, candicant, virescunt, aut cinereæ sunt, pallescentem habeo quæ astringit & mordicat ut chalchantum, ac propterea iisdem viribus prædita est.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 19. littera k.*
b *Libro V. de re medica cap. 89. Huius etiam meminerunt Galenus lib. 9. de simplic. medic. facultat. Paulus Ægineta lib. VIII. littera λ. Aëtius lib. 2. Tetrabibl. cap. 21. Inter Neotericos Andreas Cæsalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 52.*
c *Galenus lib. 9. de simpl. medicam. facultat.*

## CAP. CCXXII.

### *De Agerato.*

PHrigio lapidi non dissimilis videtur Ageratus, quo *a* Galenus coriarios usos fuisse testatur, eumque digerentis, & astringentis facultatis esse asserit, quamvis gustu evidentem astrictionem, aut acrimoniam habere non videatur. Ad columellæ inflammationes utilissimus est, ut hinc colligi possit, non tam acrem esse, quam Phrygium lapidem. Prædicatur etiam hic lapis ad nitorem calceis conciliandum.

a *Libro IX. de simplicium medicamentorum facultatibus.*

## CAP. CCXXIII.

### *Lapis Spongiæ.*

SPongiæ, lapides in se continent candidos, friabiles, qui in succum lacteum solvuntur, facultate extenuandi absque insigni caliditate, ad calculos *Ad calculum.*

renum, & vesicæ frangendos utiles, quique ob illam facultatem Cysteolythi vocantur, propinantur autem ex vino.

*Cysteolythus.*

## Cap. CCXXIV.

### *De lapide Rhenali.*

AD Ostracitis, aut Geodis species lapis hic referri posse videtur: regitur enim crusta ferrea satis dura, sub qua latitat lapis rotundus Rhenis figura. Invenitur prope Pragam, colore est terreo subrubro, cortex terreo tantum: nullas hactenus ipsius facultates expertus sum.

## Cap. CCXXV.

### *De Hysterapetra.*

AGricola *a* narrat in Diœcesi Trevirensi cum fundamenta arcis Erebreitstemensis eruerentur, inventos fuisse lapides nigricantes, & duros, qui muliebre pudendum exprimerent, hos *b* Cardanus ob similitudinem Hysterapetras vocat, rectius Hysterolythi dicerentur. Addit Agricola etiam Mariæburgi inveniri. Nullius sunt usus quod sciam.

*Hysterolythus.*

a *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.*14.
b *Libro* vii. *de subtilitate.*

## Cap. CCXXVI.

### *De lapide Iudaico.*

IUdaicus lapis olivæ specie subrotundus, tener, & friabilis est, striis secundum longitudinem discur-

discurrentibus, & æquidistantibus, ac si arte factæ essent.



Colore est albo, aut subcinereo. Ab Aëtio lapis Syriacus, ab aliis Phenicites, Pyrene, vel Eurrheus, à *a* Plinio Tecolythos vocatur, quasi lapidem frangens aut liquefaciens. Tritus enim aut aqua calida exhibitus difficultati urinæ medetur, ac calculos vesicæ & renum rumpit. Aliqui sexum distinguunt, & minores fœminas, ad vesicæ lapidem fundendum utiles, maiores masculos, inter quos aliqui sunt longiores minimi digiti quantitate ad renum lapidem expellendum commodi, arbitrantur, *c* Reperitur in Judæa, & Silesia.

*Phenicites.*

*Pyrene, Eurrheus, Tecolythus.*

*Ad calculum.*

a *Libro* 2. *Tetrabibl. cap.* 19.

b *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera c c c.*

c *Plura qui de lapide Iudaico scire desideret Consulat. Dioscorid. & Petrum Andream Matthiolum lib.* v. *cap.* v. *Item Andreæ Cæsalpini lib.* 2. *de Metallicis cap.* 45. *Aëtius lib.* 2. *tetrabibl. cap.* 19. *Iudaici lapidis meminit. Cuius hæc sunt verba: est & alius facultate insignis à Syria Palestinæ delatus, forma conspicuus, lineis tanquam tornatilibus intersectus, Iudaicus, vel Tecolythus appellatus, ad calculum renum efficax tritus, & è calida potus: nec segnior*

*est ad vesicæ calculos. Tradit Nechepsón Tecolythum cum aqua subactum ad glutinis consistentiam, ut abrasis pilis sumini, ac pubi applicatum vesicæ calculos frangere, ut merito canatur:*

Salve Arabum mare, Tecolythum mortalibus ægris
Largitum ad morbos nobile præsidium.

*Ex oleo etiam myrthino illitum podragricis confert.*

## Cap. CCXXVII.

### *De Trochite, & Entrochio.*

CUm Judaico lapide cognationem habet Trochites, Germanice *Spangestein*, aut *rederstein*, quia rotæ, aut tympani refert figuram, appellatus. Pars eius rotunda lævis est, utraque vero plana habet modiolum, à quo, ut in rotis fieri solet, radii eminentes ad extimam orbis partem ita procedunt, ut inter illos striæ fiant. Fractus lapis Judaici instar nitet, & lævis est. Frangitur autem, ut ille in obliquum, longum, & latum. Ex Trochitis nondum separatis constat Entrochos, ita ut plurimorum Trochitorum sit coniunctio. Coniunguntur autem invicem suprapositi tam eleganter, ut arte videatur coniunctio facta. Nam radii unius alterius striis inseruntur, quemadmodum in commissuris cranii humani videre licet. Interdum viginti hoc modo committuntur. Dum æqualiter teres est Entrochos radios eminentes habet, & cingulum, dum inæqualiter, mediaque pars tumet, & extrema strictiora sunt, similes habet radios, vel nullos, & tum cingulo plerunque caret. Differt colore Trochites unus ab alio. Nam reperiuntur albi, cinerei, ac lutei. Differunt etiam magnitudine. Maximus latus est digitum transversum, crassus tertiam eius partem,

tem, aut amplius. Reperitur in Saxonia ad Hildeshemium ultra montem Mauricii in commissuris Marmoris, in cinereo candidi, & in terra glutinosa, item in Italia, & prope arcem Spangenberg in monte eiusdem nominis, à quo credibile est lapidi nomen datum esse.





## CAP. CCXXVIII.

### *De Morochtho lapide.*

MOllis est hic lapis, alias Leucophragis, Galaxias, aut Graphida, quia usum calami scriptorii præstat, appellatur. *a* Georgio Agricola teste nascitur in Saxonia, & prope Hildeshemium ubi *Milchstein* vocatur. Dioscorides in Ægypto reperiri asserit, itaque ad lineas vestes dealbandas, quia tener est, facileque in liquorem solvitur utilem esse scribit. Ac præterea poros corporis reserare, ac imprimis conferre sanguinem expuentibus, cæliacis, iisque quibus vesica dolet, si ex aqua propinetur. *Ad sanguinis sputa.* Ad fluxus matricis cum lana pessi forma imponitur. *Ad fluxus matricis.* Commiscetur etiam collyriis ad cavitates oculi explendas, lachrymasque sistendas, cerato admixtus cicatricem promovet, exiccantem enim, sed vix adstringentem habet sine morsu facultatem. Reperiuntur in Saxonia Morochthi duri, & in fossa arenaria Hildeshemiana qui nigri sunt, & lacteum succum emittunt. Hi Germanice *ein Schvvartz ermilchstein* vocantur. *Vbi reperiantur.* Variat enim colore hic lapis, nam aliqui

*Differentia à Galactite & Melite.*

aliqui subvirides, nigri, & mellei sunt coloris. Si differentia statuenda sit inter Morochthum, Galactiten, & Melititen. Morochthus lacteum succum edit absque mellis dulcedine, deinde neque albus, neque cinereus est. Galactites vel albus, vel cinereus, lacteum succum absque mellis sapore emittit. Melitites vario colore lacteum succum, sed melleo sapore promit. Reperiuntur etiam Morochthi in Apennino, Lunensi regione, & Æthruria, ubi pictores, & mathematici ad lineas ducendas eo utuntur. Nitet dum durior est saponis, aut gemmæ instar, lineasque notat siccus non madefactus.

a *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.* v i.

b *Libro* v. *de re medica cap.*109. *Plura Petrus Andreas Matthiolus in idem caput, Aëtius lib.* 2. *Tetrabibl. cap.* 16, *& Andreas Cæsalpinus lib.* 2. *de Metallicis cap.*60. *tradunt.*

## Cap. CCXXIX.

### *De Galactite.*

Galactites lapis à Morochtho parum differt, ob quam causam itidem Leucas, Leucogea, Leucophragis, & Synephites vocatur. Germanice *Milchstein*, lacteum enim succum, licet cinereus sit, emittit, & dulcis est. *a* Dioscoride teste, laudatur ad oculorum fluxiones, & ulcera. Custoditur aqua tritus in plumbea pixide ob vim glutinis, quæ in eo continetur. Temperatas habet primas qualitates ob dulcedinem, *b* Galeno authore. Nam lactis succum, & saporem omnino refert. Nutricum lac auget, infantiumque alligatus collo salivam facere dicitur, ac in ore liquescere, memoriæ tamen plurimum nocere. Invenitur in Saxonia, Apennino monte, Lunensi

*Ad oculorum vitia.*

*Ad lactis ubertatē.*

nensi regione, ac Æthruria, & prope Hildeshemium.

Ad Galactiten videtur lapis ille posse referri, quem ita describit *c* Gesnerus. Est & quod lac Lunare à nostris appellatur, quod in altissimorum quorundam montium Helueticorum speluncis reperitur, ut Stocchornii in ditione Bernensium, & Fracti, sive Palatini Lucernensium. De quo repetam hic ea vere verba quæ in Fractimontis descriptione nostra, ante annos sedecim posui, mutatis nonnullis, & additis: in spelunca quadam per summum montem fornici adhærens nascitur substantia quædam fungosa, friabilis alba, leviſſima: quam Fungum petreum dixeris, vel agaricum saxatile: tam similis huius est facies. Incolæ Germanice *Monmilch* appellant, id est, lac Lunæ, à substantia alba, & spumosa, ex qua concretus videtur hic lapis, si lapidis nomen meretur. Aquæ mixtus, albo lactis colore eam inficit. Insipidum est, siccat sine morsu. Nulla in ea asperitas: & totum cum saliva mandentis liquescit, præsertim quod melius fuerit. Nam & crassius, asperiusque reperitur, immaturius nimirum & crudius: quod odore etiam caret. Concoctum autem, & perfectum ut asperitatem amittit, ita albius colore, & pondere levius, & suaviter odoratum redditur. Videtur autem naturam Holosteis dictis lapidibus, qui in terra arenosa in Palatinatu effodiuntur, proximam habere, & lapidi quem ego ab odore Cydoniten nomino. Superstitiose quidam adversus quemcunque morbum ægroti cuiusvis, propter quem expresso ipsius nomine è spelunca petatur, salutarem esse putant. Lucernæ in pharmacopolio venire solet, pollinem eius Chyrurgi ulceribus desiccandis inspergunt. Sunt qui nutricibus ad augendam lactis copiam, pollinis huius

*Lac Lunæ.*

*Holosteis.*

*Cydonites.*

*Ad lactis ubertatē.*

huius dragmam exhibeant, è iure, ni fallor: potest autem commodius ex lacte amigdalarum, cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato propinari, cum pauco saccharo, & aqua fæniculi. Aiunt autem mammillas evidenter hoc auxilio turgere, & repleri lacte. Præterea à docto quodam viro, nuper proditum invenio lac Lunæ in profluvio sanguinis utiliter dari tanquam somniferum, idque sibi experimento constare. Quod ad nomen priscum, ego aut ipsum Morochthum veterum esse aliquando putavi, aut easdem certe illi facultates esse. Sed amicus quidam rerum fossilium omnium cognitione clarus *d* margæ friabilis genus esse vult. Hactenus Gesnerus. Meo iudicio, quia agarici colorem habet, ut narrat Gesnerus, easque omnes facultates quæ Galactiti tribuuntur, potius Galactites veterum dum lapideam habet duritiem videtur. Nam si mollior sit recte ad margæ species referrem. Non puto enim Morochthum, Galactiten, & Melititen lapidem, aliud esse quam margam induratam, ac lapidis speciem præ se ferentem. Verum aliis hac de re, si sit aliud iudicium, non repugno.

*Narcoticum.*

*Marga.*

a *Libro* v. *de re medica cap.* 107.

b *Libro* ix. *de simplicium medicam. facultat.*

c *Conradus Gesnerus libro de Fossilibus &c. (ut cap.* 52. *huius libri monuimus) fol.* 49. *verso.*

d *Georgius Agricola lib.* 2. *de Natura Fossilium cap.* 9. *de marga hæc scribit. Marga nihil aliud est, quam terra pinguis, & spissa. Parui vero refert, utrum fuerit dura, an mediocris, an mollis. Quin ea sive exiccata vertitur in arenam, vel Tophum, vel lapidem duriorem: sive humore madefacta mutatur in quendam quasi succum, idem optinet nomen. Paulo post tradit margæ verbo significari medullam, quam*

*quam interdum ita fluidam & albam esse scribit, instar medullæ ossium animantis &c. Qui plura ad margam pertinentia scire desideret, consulat eundum Agricolam capite iam citato.*

## CAP. CCXXX.

### *De Thyite.*

THyites, *a* Dioscoride teste, in Æthyopia gignitur, colore subviridi, similitudine Jaspidis, ac dilutum succum lacteum reddit, qui vehementer mordet, ob quam rem tenebras pupillis obversantes expurgat. *b* Galenus inquit quia acrem habet facultatem tantum adhiberi ad purgandum, & abstergendum quæ pupillam offuscant absque phlegmone. Ex quibus sunt cicatrices recentes, quas attenuare potest, sed & oculorum ungues, pterygia utique si non admodum duri fuerint. Hermolaus Thyiten à θύα quod mortarium significat deduci putat; & ab Hyppocrate Acone, quia cotes ex eo fiebant dictum aliqui opinantur. Dubitant etiam aliqui num hic sit lapis quem Itali *verdello* vocant, & quo aurum affrictu examinant. Inveniuntur in fluminibus quibusdam lapides virides succum lacteum remittentes, quos quis verum Dioscoridis Thyiten vocare posset.

a *Libro* V. *de re medica cap.* CXI. *& plura Petrus Andreas Matthiolus in eundem de eadem materia tractat.*

b *Libro* IX. *de simplic. medicam. facultat.*

CAP.

## Cap. CCXXXI.

### *De Melitite.*

MElitites à Galactite tantùm colore, & dulcedine differt, habet enim mellis dulcedinem, unde etiam nomen, virtutes, & facultates etiam eaſdem quas Galactites, habet. Abſtergere paulo magis, ac paulo calidior *a* Galeno Galactite videtur. Tuſus, ceræque mixtus eruptionibus pituitæ, maculiſque corporis medetur, vulvarumque dolores velleri impoſitus compeſcit. Varium habet colorem, proprium illi ut melleum habeat ſaporem. Germanicæ *Honigſtein* appellari poteſt.

a *Libro* IX. *de ſimplic. medicam. facultat.*

## Cap. CCXXXII.

### *De Steatite.*

PRioribus tribus ſimilis eſt Steatites, cuius mollior ſubſtantia, quia ſevo ſimilis inde nomen habet. Duriuſculus hic lapis fuſci in rubro coloris, ligno tamen ſi affricetur in eo albas relinquit lineas. Ad hoc lapidis genus referri poteſt terra Saponis Germanice *Fulberde*, vel *feifeerde* ſi durior ſit, & lapidi ſimilis.

## Cap. CCXXXIII.

### *De Oſſifrago lapide.*

LApis Oſſifragus albo, vel cinereo colore oſſis figuram refert. Concavus enim eſt ac medullam habet friabilem linguæ adhærentem, ac facile in liquorem ſolubilem. Oſteites, Ammoſteus, Oſteo-

Osteocolla, Osteolythus, Holosteus ac Stelechites appellatur Germani *Beinbruch*, *Bruchstein*, *Beinvvol*, *VValstein*, *Sandstein*, vel *Steinbein* vocant.

## CAP. CCXXXIV.


### *Differentiæ Ossifragi, loci natales, & facultates admirandæ.*

TRes huius lapidis obseruatæ sunt differentiæ. Prima littera B notata continetur is qui ossi usto similis, paruisque foraminibus in superficie plenus est, ac intus ossium spungiosam compagem habere videtur, non secus ac si os in lapidem versum esset, quod fortassis verum est. Hic attritus, vel ustus lotii veteris, aut ossis usti instar olet, nec eas facultates habere creditur quas sequens species. Secunda differentia notata litera A is continetur, qui truncorum forma cum rudimentis ramorum, videtur arboris truncus in lapidem ossi similem, & concavum commutatus, hic proprie Stelechitis nomen meretur à forma. Nascitur in Palatinatu locis arenosis non procul à Spira. Item prope Heidelbergam, ac Ienam Saxoniæ, item in Silesia in fonte limpidissimo pagi Schonwalda, & circa Darmstadium in *der Bergstras*, ut Germani locum illum appellant. De hoc lapide Thomas Erastus Heidelbergensis professor, & quondam præceptor meus commentarium edidit doctissimum, eum lapidem Sabulosum nuncupat. Crescit per arenam forma Coralli, interdum brachii crassitie, ac dum primum erumpit è terra friabilis est, tandemque paulatim magis indurescit. Huic lapidi similem mihi dono dedit Generosus, & nobilis Vir Christophorus Udalricus à Burchsdorp. Sacr. Cæsa. Maiestatis Rudolphi II. Imp. & Domini mei clementissimi dapi-

*Locus ubi nascatur.*

*Lapis Sabulosus.*

fer, quem in patria sua Marchionatu Brandeburgensi plantæ instar excrescere mirabili modo aiebat, ac à consolidandis ossibus *bainbruch* vocari. Primum aiebat initio veris pullulare è terra quasi exiguam brassicam capitatam, foliis cinereis, & subnigris, deinde expansis quasi foliolis ad terram (nam vix caput hoc è terra prorumpit) reperiri in meditullio medullam, seu pulverem quendam facile in liquorem solubilem. Tum effodi plantam, eiusque ramos reperiri osseos pulvere isto ad ossa paucis diebus glutinanda fœcundos. Inveniuntur etiam odorati Ossifragi in ditione Comitis à Solms non procul à Iena in monte Arenoso, femoris quandoque figura, & magnitudine. Tertia porro differentia notata litera C substantia à prioribus differt, nam neque arenosus lapis, neque terreus, aut friabilis est, sed tenax, ossique similis, & solidus odorem, ac saporem Cornu Monocerotis vulgo dicti, gustu subastringente referens. Hanc speciem Ossifragi quis Enosteum vocare optime posset, sed alium eo nomine describam.




Cap.

## CAP. CCXXXV.

### *Ossifragi lapidis facultates.*

SEcundi generis, & tertii imprimis ad ossa glutinanda celebrantur, quæ multorum testimonio cito ferruminant. Cum enim natura 40. dies requirat antequam callum osseum ex alimento gignere possit. Lapis iste in liquorem solutus, & potentia proxima os, facultati alteratrici laborem nullum parit, ac assimilatrici materiam idoneam citissime suppeditat. *a* Matthiolo enim teste trium & quatuor dierum spatio multorum ossa huius lapidis potu rite conglutinata fuerunt. Hoc tamen necessario requiritur ut ossa fracta diligentissime primum componantur & ligentur assulis, aut alia ratione, ne loco moveantur. Deinde ut æger se quietum & diætam servet, ac locus affectus unguento Geranii ungatur. Fit autem unguentum hac ratione. Radices Geranei cæruleum florem gerentis in pulverem rediguntur; deinde cum axungia suis lactantis in mortario fit unguentum. Id supra linteum cera odorata imbutum extenditur, ac fracto loco adalligatur. Interea medullæ lapidis sesquidragma ex rubro vino meraco mane, & vesperi propinatur per quatriduum. De huius lapidis admiranda facultate scribit Josephus *b* Quercetanus doctissimus nostri temporis medicus sequentia. Memini me Reystadii non procul à Rheno didicisse loci eius incolas uti lapide quodam, qui in illa vicinia nascitur, & ab effectis *Beinbruch* appellatur, unam enim illius dragmam in vino rubro exhibent, in quo prius vinca pervinca madefacta fuerit per noctem, idque mane per dies quatuor, aut quinque, atque hac ratione dolores eximunt, graviaque symptomata, fractu-

*Ad ossa fracta.*

*Ioseph Quercetanus.*

rasque intra quatuor, aut quinque dies sanant, magna cum omnium admiratione; cuius rei ocularis ipse sum testis, eiusque rei Mathiolus in commentariis suis mentionem facit. Eodemque lapide uti præterea solent in formam cataplasmatis redacto, cum Geranio contuso, & oleo olivarum, vel rosato, tam fœlici successu, ut sine ullo dolore, ac inflammatione partis ossa coagmententur. Quod incredibile videri posset, nisi præter me innumerabiles alii oculati, & idonei testes extarent. Quamobrem coniecturam facio, genus illud medicamenti ad sclopetaria vulnera fracturis ossium complicata esse accommodatissimum. Magna enim iam operis pars effecta est, cum ossa confracta tam facile, & tam brevi tempore sanantur sine ullo symptomate quodam; præsertim cum id non prohibeat nos vulnus tanquam contusum, & quemadmodum decet tractare. Quinetiam viam nobis compendiariam ad brevem curationem patefacit, & ad sauciatum sublevandum accommodatissimum. Hactenus Quercetanus. Utuntur etiam hodie Ossifragi pulvere ad dentes dealbandos plures. Proculdubio ille qui odoratus est, & margam in se continet ad venena utilissimus est, si propinetur ad sudores movendos, nec minus ad pestem, febresque malignas. Suavissimus enim ille odor qui Cydonii mali & lactis, saccharique halitum præ se fert cordi, & spiritibus nostris amicus est, & cum illis σύσια quadam conspirans, illos roborat, firmat, ac à contagio, non minus, quam putatum vulgo Monocerotis cornu, tuetur. Ad hunc scopum in pastillos prius ablutus pulvis, ut arenosa subsideant, redigi potest, ac terræ sigillatæ instar servari.

*Ad venena.*

a *In Comment. lib.* v. *Dioscorid. cap.* 109.

b *Ossi-*

b *Ossifragi lapidis etiam mentionem facit Guilhelmus Fabricius Hildanus observat. Chirurg. centuria 3. observat. 90. in qua circa finem hæc scribit. Ego, & si ipsum in fracturis ossium præstantissimum esse, in controversiam vocare, minime contendam, attamen intra tam paucos dies, ut scribunt Mathiolus, & Quercetanus, ossa fracta, sanare posse, non facile mihi persuadere possum.*

## CAP. CCXXXVI.

### *De Encosti.*

ENcostis à tertio genere Ossifragorum tantum odore differre videtur, Germanice ab *a* Agricola *Knochenstein* vocatur. Hic neque suavem odorem neque tetrum habet, sed qualem arena, invenitur nigri, candidi, mixtique coloris.

a *In Libello, annexo libro de Fossilibus, cui titulus, de rerum metallicarum interpretatione.*

## CAP. CCXXXVII.

### *De aliis lapidibus qui ad Ossifragi genera referuntur, & primum de Stalactite, seu Stillatitio lapide.*

EX aquis lapidificam vim habentibus, aut si mavis in se resolutos lapides continentibus, aut potius materiam terrestrem subtilissimam ex cuius coalitu lapides fiunt, concrescit stillatitius lapis Germanice *VValstein*, seu *Tropfstein* appellatus. Cum enim aqua per terræ canales effluit, & ex alto decidit, extremitati canalis pyramidis forma paulatim coalescit, & augetur terrestris aquæ portio, ac induratur prorsus eodem modo, eademque forma,

qua à canalibus defluens aqua in glaciem ex ore canalis dependens, hyeme à frigore mutatur. Et ut glacies inæqualis est propter fluentis aquæ motum, sic & hic bullas, seu eminentias habere videtur. Ex fluente aqua, in canalibus crustaceam formam adipiscitur, sicut in balneorum vasis, & Thermarum canalibus fit, in quibus aqua calida coquitur, aut servatur. Ad parietes antri si decidat aqua, aliã formam lapidibus præbet, & variam. Omnes albi, graves, duri, intus splendentes, Talci instar inveniuntur in variis Germaniæ locis, in Moravia prope Brinam in ditione Abbatis Ostriwicensis. Ad sanctum Iuanum in Bohemia, ad thermas Carolinas, & in antro *Baumansholtz*, laudatur à chyrurgis ad ossa fracta ferruminanda, unde Osteocollæ nomen obtinuit, ac inter species Ossifragi referri potest, quia ossa glutinat. Si pulvis bibatur, drag. unius pondere sudores potenter movet.

*Ad ossa fracta.*

## Cap. CCXXXVIII.

### *De Stalagmite.*

Stalagmites è guttis rotundis in lapidem gypseæ substantiæ conversis, totus coagmentatur in terra arenosa, qui pro terræ, & aquæ fluentis qualitate, modo fuscus, candidus, aut griseus fabarum, pisorum, vel coriandri refert magnitudinem. Reperiuntur in una massa plurimi quasi favis inclusi. Copiose isti in Thermis Carolinis. Nam aqua ibidem tantam in se lapidescendi facultatem habet, ut lignum per noctem impositum lapidea crusta tegatur, quæ calcis naturam colore & substantia præ se fert.


Cap.

## CAP. CCXXXIX.

### *De Hammite, seu Ammonite.*

AMmites, vel Ammonites ex arenis ita componitur, ut ovis piscium similis videatur, nucis iuglandis est magnitudine, aliquando maior, Germanice *Rogenstein* vocatur, invenitur prope Alfeldam, & Hildeshemium. Huius generis reperiuntur qui ex lapillis pisi, aut orobi magnitudine constant, quos Ammites maiores, aut Pisolythos recte vocare possis. Item qui ex arenulis milii, aut seminis papaveris magnitudine coaluerunt, illos Cenchritis, istos Meconitis nomine non male appellaveris. *pisolythus.* *Cenchritis.* *Meconitis.*

Pisi magnitudine Ammites, notatur litera A *Figura Ammitis.*



hunc vere quis posset Bezoar minerale appellare, squammis enim, seu cuticulis constat ut Bezoar, dedeinde subiacens cutis splendet, color etiam similis, aut paulo plus rufescit.

Orobi magnitudine litera B notatur.

Cenchrites litera C.

Meconites litera D.

Reperiuntur in Iura monte, & prope Bernam Helvetiæ, facile isti lapides in arenulas, ex quibus constant, resolvuntur. Quæ tamen duræ, insipidæ, & inodoræ sunt. Distat à Stalagmite Ammites, quod Stalagmites è guttis rotundis in lapidem gypseę substantiæ conversis totus coagmentetur. Ammites tantum ex arenis. Stillatitius lapis à nonnullis Ammites vocatur, sed aptius, ut supra, præcedentes à se invicem distinguuntur. Substantia Stalagmites à stillatio non differt. Nam ut Stalagmites à guttis suam formam servantibus coit: ita Stillatitius lapis à guttis fluentibus, & strias efficientibus, ac inæqualiter protuberantibus, strumarum instar coalescit.

*Differentia Stalagmites ab Ammite.*

## Cap. CCXL.

### *De Ammochryso.*

Lapis hic minii nativi fere colorem habet, paulo tamen obscuriorem, ac flavescentem interdum. Arenosus est, aureoque pulvere videtur conspersus, aurum quod in eo apparet Germanice *Katzengold* appellatur. Nonnunquam satis durus est, nonnunquam manibus in arenam facile resolvitur. Usui est scribis ad exiccandas extemplo scripturas. Prope oppidum Horasdiovitium Bohemiæ copiose reperitur.

Cap.

## CAP. CCXLI.

### *De Cornu Fossili, quod vulgo Monocerotis Cornu appellant, & an verum Monoceros inveniatur.*

ETiamsi vix ad lapides referri posse Cornu Fossile videatur, tamen quia ab Osteocollis non longe recedit, ac lapidescit, operæpretium existimavi, huius historiam non præterire, præsertim quod magni pretii, authoritatis, & dignitatis sit, dum multi Principes id pro vero Cornu Monocerotis emant. Cornu Fossile lapis Ceratites dici potest, colore, & lævore Cornu refert, forma etiam interdum: nam sæpius tam crassum, ac magnum reperitur ut à nullo unquam animali produci potuerit. Substantia lapidea semper, & vel dura, vel mollis illi est. Exterius ut plurimum dura intrinsecus plerunque mollis alba, levis, friabilis, compacta absque poris, adstringens, exiccans, linguæ firmiter adhærens, odoreque gratissimo non secus, ac si quis lac cum amygdalis miscuisset. Cortex exterior interdum flavescit, cinereus, albus, vel subniger est. *Ceratites.*

## CAP. CCXLII.

### *Vbi inveniantur, quomodo generentur, ac eorum species.*

INveniuntur hæc cornua in variis locis Germaniæ nempe in specu subterraneo, quem *Baumansholtz* vulgo vocant, prope Elbingerodam sylvæ Hercyniæ, sive Cheruscæ sub ditione comitum Stolbergensium. Item prope Heidelbergam, Hildesheimium, item in Moravia, Silesia, Saxonia, multisque aliis locis. Materiam proximam generationis

horum cornuum *a* margam, vel margæ speciē esse existimo, quæ dum lapidescente, & subterranea aqua fluente irrigatur, vel solvitur, lactis instar fluit per terræ cavitates: in quibus si à terra adstante aquæ serosior pars absorbetur, aut imbibitur, vel præterfluit, tum crassior pars cavitates implendo sistitur, & absumpto humore omni coalescit, lapidisque formam & cornuum præ se fert, aut margæ tantum, si aqua exiguam vim lapidificandi habuerit. Hæc causa est quod interdum huiusmodi frusta crassa, interdum exigua, & tenuia conspiciantur. Verum si lacteus hic humor non in cavitatem, sed in lignum aliquod iam vetustate arefactum incidat, illiusque corpus iam leve, & porosum subeat, tandemque vel exhalata aquæ tenuioris portione crassior remaneat, tandem coagulata lignum transmutat eiusque partes sibi assimilat, ita tamen ut species ligni nosci, & interdum odor deprehendi possit. Quod ligno contingit, id etiam cornubus ceruinis, dentique elephantis, aliisque quadrupedum partibus si in huiusmodi loca decidant contingere potest. Hinc fit cornua ista fossilia inter se multum interdum differre, & pauca eandem faciem ostendere, imo aliqua dentes, tibias, maxillas, aliasve corporis partes referre. Habeo ego domi plures quam viginti differentias, cum tamen omnes mihi pro Cornu Monocerotis datæ fuerint, una manifeste exteriori cortice fraxini lignum ostendit. Alia differentia prope Brinam Moraviæ urbem inventa ita exacte figuram trunci iuglandis intrinsecus, & extrinsecus refert, ut nemo nisi cœcus animadvertere non possit, truncum illius arboris fuisse, ac in terra transmutationem accepisse. Odor etiam exacte nucis arboris odorem reddit. Donatum mihi fuit etiam frustum illius trunci Monoce-

*Lignum quomodo in lapidem mutetur.*

rotis

rotis titulo. Eodem in loco trunci, & caudicis maioris portio pro capite animalis distracta fuit. Silices adiacentes truncis suis cavitatibus eandem materiam, sed longe molliorem, magisque friabilem, neque nucis odore præditam continebant, ita ut nemo de generatione horum cornuum dubitare debeat.

a *Quid marga sit vide post caput 229. huius libri.*

## CAP. CCXLIII.

### *Facultates Cornuum Fossilium, quæ vulgo pro Monocerotis Cornu distrahuntur.*

COrnua ista Fossilia non omnia habent eandem facultatem, aut æque validam, ut enim forma, origine, & substantia inter se differunt, ita etiam qualitatibus, & facultate. Quæcunque lapidum instar dura sunt, inodora, neque medullam habent vix alia, quam exsiccante pollent vi. Quæ vero facile in pulverem rediguntur, linguæ adhærent, molliaque sunt, maximas habent vires. Imprimis enim exsiccant, adstringunt, ulcera ad cicatrices perducunt absque morsu, alvi profluvia, gonorrheæ, alborumque menstruorum effluvium, sanguinem è naribus, hæmorthoidibus, vulneribus aut è thorace erumpentem sistunt. Oculorum etiam lachrymas effluere non sinunt, si cum lacte in pollinem tenuissimum redactæ oculis instillentur. Quod si præterea his medullis odor gratus accedat, cordi imprimis gratæ sunt, idque roborant, & confirmant, boli armeni, aut terræ lemniæ instar, ut non facile ab affecto aëre, aut à veneno assumpto opprimi possit. Quinetiam si substantia medullæ ante transmutationem fuerit à cervo; elephante, fraxino, nuce, arbore,

*Exiccant, astringunt.*

*Fluxus sistunt.*

*Oculorum lachrymis.*

*Ad cordis robur.*

*Ad venena.*

bore, aut ab alia re, quæ venenis adversatur, maximam ad expellenda, & superanda venena habebit energiam, eoque maiorem si odor ipsius arboris, vel prioris substantiæ adhuc deprehendi possit. Tum enim certum est qualitates adhuc in transmutato corpore aliquas remansisse, ac vires quæ in subtiliori materia hærent, nondum periisse: sed accedente nova, & subterranea materia auctas esse.

*Ad pestem, & febres pestilentes.*

Ad venena itaque omnia, febresque pestilentes, & pestem ipsam abigendam huiusmodi Cornu præstantissima est antidotus, si cum aqua aliqua appropriata, aut vino oligophoro absente vehemente febri, ægro propinetur dragma una, aut scrupula quatuor, isque sumpto pharmaco sese ad sudandum componat. Sudoribus enim venenum omne etiamsi ad venas, habitumque corporis deductum sit facile expelletur, & cor, ne eius noxam suscipiat, munietur. Quod certe plurimis exemplis expertus ipse sum, & ab aliis quibus particulam Fossilis Cornu (quod prius fraxini lignum fuisse notavi) dono dedi, expertum audivi.

Puer quidam deglutita plumbea pila, quæ multos ante annos sub aranearum telis latuerat, extemplo ventre ita intumuerat, ut crepaturæ periculum adstantibus videretur adesse. Hic ebibito scrupulo medullæ omnibus admirantibus statim conualuit. Alia mulier intoxicata, ventreque utri modo inflato ut morti proxima videretur, subito hausto pulvere præter omnium expectationem conualuit. Facit ad epilepsiam, syncopen, cardiacam passionem, cordis tremorem, alioque cordis affectus, si cum aqua appropriata scrupuli pondere ægro offeratur. Sudores egregie movet, ob id febribus malignis, & pestilentibus conducit, ac venenum omne foras ad cutim pellit.

*Ad cordis affectus, & epilepsiam.*

Cap.

## CAP. CCXLIV.

### *De vero Cornu Menocerotis, & an id reperiatur.*

AMultis annis in tanta dignitate, & existimatione apud Gemmarios, & Principes Monocerotis Cornu, tanquam nihil præstantius ad cognoscenda, præcavenda, & superanda omnia veneni genera sit, habetur: ut auri pretium longe superet. Quia vero à multis dubitatur num animal id, cuius Cornu tam admirandas facultates habere debet in rerum natura sit, nec ne, aliis id affirmantibus, & describentibus, aliis negantibus, operæpretium puto, quandoquidem plura animalia sunt, quæ unum cornu in fronte gerunt, & proinde generaliter illis Monocerotis nomen convenit, illa omnia obiter, illorumque cornuum formam describere, ac deinde examinare quodnam illud sit, quod tantæ facultatis cornu gestet. Nam negare tale animal quale à Plinio, Æliano & Vartomanno pro Monocerote describitur, in rerum natura esse, mihi prorsus ineptum videtur. Etsi enim hoc tempore complures orbis partes navigantium industria detectæ sint, quis tamen omnes Asiæ, Chynæ, Cathaiæ, Tartariæ, Africæ, Americæ angulos perlustravit, & investigavit num tale animal præ manibus sit. Affirmantibus itaque sese, & animal vidisse, ac cornu facultates experientia didicisse, tamdiu credi potest, donec exploratis omnibus mundi angulis constet, ab illis descriptum animal nullibi reperiri. Verum, ut dixi, plura sunt, quæ unum cornu gerunt, ac fortassis uni ex illis etiamsi aliud nomen habeat, (ut tempore rerum nomina sæpe mutantur) contingit ut verum, & decantatum illud cornu gestet, alteri

vero

vero etsi nomen Monocerotis servet, & cornu habeat, tamen viribus illis careat. Plinius libro VIII. cap. XXI. scribit in India boves solidis ungulis, & unicornes reperiri. Deinde paulo post. Asperrimam feram Monoceroten esse, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, media fronte cubitorum duum eminente. *a* Garsias ab Horto proregis Indiæ medicus Rhinoceroten qui unum cornu gestat in fronte breve, nigrum brachii ad conum crassitie, colore pellis asinini, & fibrosum, ab Indis pro Monocerote haberi scribit eiusque cornu ab iis ad venena usurpari, verum ipse peculiare hoc animal quod proprie ab authoribus Monoceros appellatur, Rhinoceroten esse nequaquam arbitratur, verumque Monoceroten ab authoribus, à quibus describitur non visum existimat, quæque de eo audierit, hoc modo enarrat. Referam quæ à viris fide dignis accepi. Inter promontorium Bonæ spei & aliud promontorium de currentes nuncupatum vidisse se affirmabant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput, & iubam equi haberet (minime tamen equum esse) cornu præditum, duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret, modo illud attolleret, modo dimitteret. Id animal cum Elephante ferociter præliari, eiusque cornu adversus venena laudari. Eius experimentum factum propinato duobus canibus veneno: alterum enim canem cui dupla quantitate propinatum esset venenum, sumpto huius cornu pulvere ex aqua convaluisse: alium vero cui exigua quantitate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuum corruisse. Hactenus Garsias. Aliud præterea animal est quod

*Boves unicornes. Monoceros.*

*Rhinoceros.*

*De Monocerote.*

unum

unum tantum cornu gestat in fronte quod Plinius Asinum Indicum vocat libro XI. cap. XXXVII. nat. Histor. & capite XLVI. ait unicorne Asinus tantum Indicus: unicorne & bisulcum Oryx. Talos asinus Indicus unus solidipedum habet. De asino Indico, & Orige unicornibus mentionem fecit etiam Aristot. lib. 2. de Histor. animal. cap. VIII. & III. de part. animal. cap. 2. ac asserit Asinum Indicum cornu gerere in fronte, pedesque solidos, & talos habere. Orygem etiam in fronte unicornem, sed scissis esse pedibus. Quinque itaque animalia reperiuntur diversa, quæ unum cornu gerunt. Bos Indicus, Rhinoceros, Monoceros, Asinus Indicus, & Oryx. Quod autem Monocerotis nomen peculiari animali ab antiquis datum fuerit, à bove Indico, Rhinocerote, & Oryge differente Æliani testimonio clare docetur, is enim lib. 2. de animalibus, ait se audisse (nam ocularis testis non est.) Monocerotem, quem vocant cartaronum magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere, iubaque, & pilis fulvum esse, pedum, & totius corporis bonitate excellere, atque similiter ut elephas pedum digitis indivisis esse, apri caudam habere, inter supercilia cornu uno, eodemque nigro non levi quidem, sed versuras quasdam naturales habente, atque in acutissimum mucronem desinente ornatum existere, omniumque maxime animalium absonam vocem, & contemptam mittere, & ad alias quidē bestias ad se accedentes mansuescere, cum gregalibus vero suis pugnare, neque modo cum maribus naturali quadam contentione dissidere, sed contra etiam fœminas certare, pugnamque usque ad mortem ingravescere. Nam & maximo robore præditus, & expugnabili cornu armatus est, desertissimas regiones persequitur, simul, & errat. Notandum hic

*Asinus Indicus unicornis.*

*Oryx unicornis.*

*Quinque animalia uno cornu.*

*Monoceros habet nigrum cornu.*

Ælia-

Ælianum nullas facultates Cornu Monocerotis describere. De Asino porro Indico Ælianus lib. 5. sequentia scribit. Sylvestres Asinos equis magnitudine non inferiores, apud Indos nasci accepi, eosque reliquo corpore albos, capite vero purpureo, oculisque nigris esse, cornuque in fronte gerere, cuius superius puniceum, inferius autem album, medium vero nigrum sit. Atque non omnes quidem Indos, sed potentiores cum tanquam armillis quibusdam brachia, sic Cornua certis spatiis auro ornarunt, ex ipsis bibere solere. Ex hoc Cornu bibentem ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipsum convulsionibus corripi, neque sacro morbo, neque venenis ullis ferunt. Quinetiam si quid prius pestilens biberit, tum id vomere tum ad sanitatem redire. Ex quibus duobus Æliani locis facile colligi potest Asini Indici Cornu id esse, quod ab omnibus expetitur ad venena, & nequaquam Monocerotis Cornu quod uno tantum, eoque nigro colore præditum est, & versuras habet, ac passim à Principibus pro vero Monocerotis Cornu ostenditur, omni facultate adversus venena carens. Causa cur facultates quas Cornu Asini Indici habet, attributæ fuerint Monocerotis Cornui, nomen Monocerotis, quod ut ante dixi, Asino Indico tribui potest, fortassis fuit. Unicornu enim est animal Asinus Indicus, non minus quam proprie dictum Monoceros. An autem hoc animal quod à Garsia ab Horto describitur Monocerotis nomine, & prope caput bonæ spei reperitur idem sit cum Asino Indico ex signis, & notis non satis deprehendi potest. Vartomannus se duos vidisse Monocerotas testatur, traditque unicum Cornu, equi magnitudinem habere, crura, pedes.

*Vires ad omnes morbos, & venena.*

des, & caput cervi, pili colorem balium, equi iubam rariorem, coxas villosas, & mansuetum esse animal. Hæc descriptio cum Æliani descriptione satis convenit ita ut idem animal describi videatur. Quod ad Orygem attinet, nunc incertum est quodnam animal fuerit. Certum tamen est capræ sylvestris speciem fuisse, quæ unicum cornu gestat. Nunc aliqui mosci capreolum, vel gasellam, aut pygargum esse autumant, quibus tamen animalibus aliqui unum tantum cornu, aliqui duo tribuunt. *De Oryge.*

Reperiuntur apud Principes, & Magnates variæ particulæ Cornuum, nomine Cornuum Monocerotis. Sed hactenus (etiamsi plures quam viginti differentias collegerim) nunquam particulam Asini Indici Cornui similem deprehendi. Quotquot habeo omnes nigrescunt, pallescunt vel albicant, ita ut ebur, cervinum cornu, aut *b* Rosmari dentem referant, aut si è terra erutæ fuerint, ibi ætate exesas, mollioresque redditas quis iudicare possit. Habuit mater fratriæ meæ particulam à cornu satis magno, quod multis millibus venditum fuerat, abscissam, qua mira præstitisse matrem affirmabat. Erat illa particula eboris instar albissima, intrinsecus concava, ut cornua esse solent. Exterior pars crassitie pellis porcinæ fere pellucida, ac ad flavedinem tendens conspiciebatur, exacte lardum porcinum cum sua pelle in cornu transmutatum dixisses. Ab interiori enim, & albissima parte ad amussim lineola distinguebatur id quod cutim porcinam referebat. Durissimum fuerat hoc cornu, vixque lima superari poterat, odorem etiam qualem cornua omnia dum lima fricantur edere solent, emittebat. Sed neque hoc Cornu Monocerotis, aut Asini Indici fuit. Nec refert cum natura etiam aliorum animalium cornu, *Rosmari dens pro Monocerote.*

viribus, & facultatibus dicare possit. Cornu profecto Cervinum multorum experientia non exiguas adversus venena habet vires, ita ut recte deficiente Asini Indici Cornu in illius locum substitui possit. Dum Venetiis essem ante annos viginti quinque duo Cornua mihi ostensa fuerunt à quodam simpliciſta rerum exoticarum studiosissimo, unum quatuor pedum ad minus longitudine, ovi gallinacei maioris circa basin crassitie, quod paulatim desinebat in mucronem obtusum, color externus erat eburneus, internus albissimus; à basi ad mucronem fere strias habebat, dicebat ille cornu esse Hyppopotami animalis, ac verum Unicornu, facultatibusque Unicornui attributis præditum. Hyppopotamum sæpe depictum vidi, & antiqui Romanorum Imperatores illius effigiem tum in nummis tum symbolis exhibuerunt; verum absque cornu, cuius autem animalis hoc cornu fuerit hactenus scire non potui. Visum tamen mihi fuit Rosmari dentem esse. Alterum cornu sex pedes longum fuit, ad basim ovi columbini maioris, aut ovi gallinacei minoris crassitie, paulatim in acutum mucronem desinens, intus ad pedum duorum longitudinem à basi concavum. Color externus fere niger fuit, ut ligni guaiaci nucleus interior etiam niger esse solet. Tanto lævore præditum erat, ac à basi versuras paulatim ad mucronem tam eleganter æqualique distantia procedentes habebat, ut arte elaboratum fuisse videretur. Id non Monocerotis Cornu, sed Gazellæ esse, (quam aliqui moschi capreolum vocant & Unicornem faciunt, sed errore, ut Gesnerus notavit) dicebat. Nam Gasella aliis aliud animal est, & à musci capreolo diversum, fortassis Pygargus, quem aliqui etiam Unicornem faciunt, capræque sylvestris speciem. Verum gemmarius, aut simpliciſta

pliciſta ille qui hoc cornu habebat, Gazellam duo huiuſmodi cornua proferre, ſed curua aſſerebat, curvaturam vero tolli aqua calida, molleſcere in illa cornu, ac poſtea manu in rectitudinem cogi. Id profecto Cornu vero Monocerotis animalis cornui omnibus notis reſpondebat, atque pro eius cornu habui, licet ille aliter ſenſerit. Nam huiuſmodi viris parum exercitatis à mercatoribus quibus credunt, facile imponitur: fortaſſis, quia ad venena expellenda, & arcenda vires non habuit, pro Monocerotis Cornu habere noluit, cum tamen, ut dixi, Monocerotis Cornu viribus illis careat. Simile plane Cornu vidi apud Philibertum. De Bois mercatorem Pragenſem, qui id à legato Ducis Moſcoviæ Pragæ degente pignoris loco ad ſe pro mille ducatis receperat. Sed cum nullæ ipſius ad venena vires deprehenſæ fuiſſent: iudicatum fuit à gemmariis Monocerotis Cornu non eſſe, licet omnibus notis atteſtantibus fuerit.

Qui itaque cum effectu verum Unicornu cupit, is ſibi vel Aſini Indici Cornu, vel Rhynocerotis, vel illud quod lardi porcini faciem repræſentat, vel etiam Foſſile, quod prius ebur, cornu cervinum, lignum iuglandis, aut fraxini, vel etiam alterius materiæ ad venena commendatæ, fuerat, & medullam linguæ adhærentem, albam odoratam in vino bullientem continet, ſibi procuret. Ita enim voti compos fiet, nec exigui momenti ad venena quævis habebit medicamentum. *Electio.*

a *Libro* 1. *Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap.* 14.

b *Roſmari dentem pro Vnicornu venditum fuiſſe teſtatur Petrus Bellonius obſervationum ſuarum lib.* 1. *cap.* 14. *Cuius hæc ſunt verba. Quiſnam obſecro è veteribus tum Græcis, tum Latinis fidem facit, rei*

*incognitæ portiunculam, quam tamen plerumque scimus esse dentis illius, quem Galli Rohart, septentrionalis maris accolæ (ut & Olaus Magnus) Morses appellant, trecentis ducatis æstimari debere? Etenim data nobis sunt fragmenta inspicienda, an agnoscemus, quæ pro Vnicornu trecentis ducatis empta fuerant, quum tamen orbiculi essent è dente piscis Rohart, & plura ad Vnicornu pertinentia, ibi tractat.*

## Cap. CCXLV.

### *De lapide Crucifero.*


AD Cornuum Fosiliũ genera non inepte referri potest lapis Crucifer bubuli cornu magnitudine, & facie, qui dum transversim scinditur in planos orbiculos crucem nigro colore refert. Reliqua superficiei pars cineritium habet colorem, cui interdum ruber intermixtus videtur. Extrinsecus ex cinereo nigrescit, maculisque interdum nigris distinguitur, ac tactu inæqualibus. Tam mollis est, ut cultro facile ab eo pulvis albus abradi possit. Invenitur viginti milliaribus à fano Divi Iacobi in Compostella Hispaniæ. Fertur gestatus ut carnem tangat, sistere sanguinem undecunque fluentem, præterea lactis ubertatem efficere, ac dæmonia arcere, febres etiam omnes curare collo appensus dicitur,

## Cap. CCXLVI.


### *De Cornu Ammonis.*

AMmonis Cornu speciem Cornu arietini in se revoluti refert, ac aurei coloris armatura, obductum

ductum esse videtur. *a* Plinius lib. 31. cap. 10. inter gemmas refert, ac sequentia scribit.



Hammonis Cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas aureo colore arietini Cornu effigiem reddens. Promittitur prædivina somnia repræsentare. Solet ferreo armari hoc Cornu colore, qui aluminis succo accedente, in æreum, vel aureum facile mutatur; quemadmodum ferro ipso facile contingit.



Ad Hoplitis species reduci potest, quia armatura constat. Interdum tamen armatura caret, ac cinerei est coloris, & nodosus quasi iuncturis cohæreat, Germanice vocatur *ein Scherhorn*. Reperitur prope Hildeshemium, ac in aliis Germaniæ locis. Sæpe octo digitos latum est, ac aliquando pondere *Hoplitis.* *Locus.*

tres libras superat. Nonnunquam ita exiguum est, ut nucis magnitudinem non excedat. Ab hoc differt anguis putrefactus, qui in saxum commutatus, reperitur, nam hic striis, & armatura caret. Ad Cornu Hammonis species referri potest lapis novæ lunæ figura, aurea, vel ferrea armatura vestitus mediocriter durus, & interdum striatus, modo magnus, modo parvus, quem Cardanus Seleniten vocat. Item alius simili figura absque armatura à cinereo colore Tephrites dictus, alias Menois ab eadem Lunæ crescentis, & corniculatæ forma quam repræsentat.

*Selenites.*

*Tephrites.*
*Menois.*

a *Hic locus Plinii non habetur lib. 31. cap. x. sed lib. 37. Naturalis historiæ cap. x. littera m m.*

## Cap. CCXLVII.

### *De Magnete.*

MAgnes etsi inter saxa potius, quam inter alicuius pretii lapides referri debere videatur, nihilominus tamen propter admirabilem ipsius naturam, qua se animatum, cœlique plagas discernere, ac conditoris, opificisque sui magnitudinem, sapientiam, & prudentiam incomparabilem cognoscere ostendit: merito non solum saxis nobilioribus, sed & aliis gemmis omnibus præferendus est. Nomen Magnetis illi à magnitudine deductum nonnulli arbitrantur, quod revera trahendi vi magnus sit, ac non nisi cœlum ipsum, quod omnium rerum maximum est, cognoscat, & respiciat. Alii à Magnete armentario cum *a* Plinio nomen illi datum existimant. Is enim cum armenta in Ida pasceret, ac baculos humi posuisset illorum cuspides ferreos lapidi fixius adhærere primum observasse, aliisque

*Nominis ratio.*

que significasse dicitur. Lucretius à Magnesia regione, ubi reperitur, nomen deducit.

*Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii*
*Magnetum quoniam patris in finibus ortus.*

Plato ab Empedocle Magnetem vocatum in Ione scribit, eumque à nonnullis Heraclion vocari. Theophrasto authore Heraclion dicitur, quod circa civitatem Heracleam inveniatur. A multis Herculeus appellatur, quia ferro, quod omnia domat, & cui omnia cedere coguntur, imperet, id ad se trahat, ac ad nutum obsequi faciat. A ferro etiam Sideritis dicitur, nam ferrum Græce σίδηρος vocatur.

Magnes proprie dicitur lapis qui ferrum, vel alium Magnetem ad se trahit, vel à se reiicit, ac plagas mundi ostendit, Qui ferrum reiicit Theamedes à veteribus dictus fuit. Verum hic omni Magneti insidet, ac altera ipsius pars est, tractoriæ parti opposita. Qui carnem, aurum, vel argentum ad se trahunt lapides, inter Magnetis species minime referendos arbitror. Magnes colore plerunque est ferrugineo ad cæruleum tendente: aliquando exterius subrufo, ac intus nigricante. Cæruleus etiam, *b* Dioscoride teste, cæteris præstantior est.

a *Libro* 36. *Naturalis historiæ cap.* XVI. *littera a.*
b *Libro* V. *de re medica cap.* 105.

## CAP. CCXLVIII.

### *Genera, & loci natales Magnetis.*

PLinius sequentibus verbis Magnetis genera ita describit. Quinque genera Sotacus demonstrat. Æthiopicum, Magnesiacum è Magnesia Macedoniæ. Tertium in Echio Beotiæ. Quartum circa

Alexandriam, & Troadem. Quintum in Magnesia Asiæ. Differentia prima mas sit, an fæmina, proxima in colore. Nam qui in Macedonia, & Magnesia reperiuntur, rufi, nigrique sunt. Beotius vero rufi coloris plus habet, quam nigri. Is qui in Troade invenitur niger est, & fœminei sexus, ideoque sine viribus. Deterrimus autem in Magnesia Asiæ candidus, neque attrahens ferrum, similisque Pumici, compertum tanto meliores, quanto sunt magis cærulei. Æthiopico laus summa datur, ponduſque argento rependitur. Invenitur hic in Æthiopiæ Smiri, ita vocatur regio arenosa. Ibi & Hæmatites Magnes sanguinei coloris. Sanguinemque reddens si teratur, sed & crocum. In attrahendo ferro non eadem, quæ Magneti, Hæmatite natura, Æthiopici argumentum est quod Magnetem alium ad se trahit. Ex his Plinii verbis constat Magnetem Hæmatiten qui ferrum non attrahit, nunc inter Magnetis genera non referri, ut nec quintum genus hodie pro Magnete habetur: nisi forte ille lapis sit, quem Itali *Calamita bianca* vocant, quique linguæ admotus illi adhæret. Commodius meo iudicio ab effectu tria Magnetum genera statuuntur. Ut primo genere contineantur qui ferrum trahunt. Secundo qui plagas mundi tantum ostendunt, nec ferrum trahunt. Tertio vero qui alium Magnetem ad se alliciunt. Quicunque ferrum trahunt illi omnes plagas mundi monstrant. Id enim proprium omni, & soli Magneti videtur. Qui vero plagas tantum mundi ostendunt vi trahendi carere possunt. Tales habui ex monte S. Georgii, qui tribus Praga distat miliaribus, in planitie agri Leutmericensis solitarie constitutus. Tertium genus quod Magnetem trahit nondum vidi, id si olim fuerit, ut Plinius testatur, verisimile est, & nunc esse. Scio Magnetis partem borea-

*Optimi nota.*

*Tria Magnetis genera.*

borealem, borealem alterius respuere, ut alterius australem ad se trahit. Verum id omni Magneti plagas mundi ostendenti proprium est, & necessario, ut uniti, plagæ, plagis respondeant, ac nativus plagarum situs conservetur, boreales boream, australes austrum respiciant. Si Magnes multum ferri in se contineat facile ab alio Magnete trahi potest. Verum non lapidis, sed ferri ratione attrahitur. Quod ad Theameden, quem vetustas ferrum abigere tradidit, attinet, nec ille diversum genus statuit, cum & illius facultas omni Magneti, qui ferrum allicit, plagasque mundi demonstrat insit. Affrictum enim ferrum Magneti, si ad æquilibrium ponatur, ab adversa Magnetis parte, ferri contacta pars, aut ab eadem Magnetis parte, quæ ferrum tetigit, ferri adversa pars abigitur. Vocatur Theamedes, Germanice *ein bleser*.

*Theamedes ferrum reiicit.*

Reperitur Magnes circa ferri fodinas in Germania prope vallem Ioachimicum, Swartzburgum, Schneburgum in Misnia, item ad fontes albis, & rivulum *den Hirsprunnen*, ac prope Cupfferbergam Silesiæ. In Italia in montibus Viterbii, & in Ilua, qui exterius subruffus est, intus in fracturis nigricans, & parum tendens ad cæruleum obscurum, atque admodum efficax in attractione, quique dum percutitur, inhorrescit, lanugine quadam oborta, quæ transmigrat ad ferrum si admoveatur. Nascitur Magnes plerunque in ferri fodinis, aut in vicinis locis, interdum Magnetes visuntur in quibus plus ferri, quam lapidis sit. In Germania ex Magnete optimum ferrum elicitur, ac is qui circa ferri fodinas eruitur, eiusque colorem habet, plerunque vegetior esse cæteris solet.

*Locus natalis.*

## Cap. CCXLIX.

*De natura, facultatibus, & viribus Magnetis.*

MAgnes id admirabile, & quod nunquam humana consequi potest ratio, habet, quod ferrum, aut eius meliorem partem chalybem appetat, illique uniri cupiat: quemadmodum ferrum ipsius complexum exoptat. Nam si Magnes magnis viribus sit, ac ferrum liberum, id ad Magnetem properat. E contra si Magnes exiguus sit, ac liber, ferrum vero grave, aut alicui rei affixum, Magnes ad ferrum ut illi coniungatur se movet. Ita ut non tam Magnes ferrum, quam ferrum Magnetem trahere videatur. Si Magnes ad se trahendi ferrum facultatem tantum haberet, nunquam, se ultro ad ferrum moveret, & conferret. Videtur itaque & ferrum trahendi Magnetem vim habere. Verum verisimilius est Magnetem ferrum trahere; quam ferrum Magnetem, quia sepultus in scobe ferri Magnes vires suas conservat, & auget. Ferrum vero rubiginem contrahit, & perit. Quod fieri non potest, nisi puriorem, & subtiliorem ferri substantiam ad se traxerit. Deinde actionem, ac vim trahendi communicat ferro, quam si non haberet alteri dare non posset. Quod itaque Magnes ad ferrum se moveat, hoc fit, quia ipsius concupiscit amplexum, quo potiri aliter non potest. Resistit enim cupienti ferri pondus, quod à leviori moveri non potest. Id si unius unciæ sit, non potest trahi nisi à Magnete cuius corpus gravius sit uncia, & cuius facultas etiam unciam trahere possit, utrumque enim necessarium, si liber sit Magnes. Nam si ab aliquo detineatur, aut alicui rei affixus sit, non est necesse ut gravior sit ferro. Sufficit enim vires ipsius tractrices fortio-

fortiores esse, quam ferri pondus. Potest enim hoc modo unam unciam pendens Magnes libram ferri attrahere; imo plus. Audivi enim ab amico meo se vidisse exiguum Magnetem tres libras traxisse, ac ita firmiter retinuisse ut non nisi vi avelli à Magnete potuerit, Vix ille pendebat duas uncias. Si quis dixerit & Magnetem ad ferri, & ferrum ad Magnetis amplexum properare, fortassis non aberrabit. Parum tamen refert si quis hunc motum tractionem vocet. Vis hæc attractrix quæ est in Magnete nullo obice impediri potest, trahit enim per lignum, per lapidem, imo per vitrum. Unde colligi potest incorporeum esse quid, quod ad ferrum per vitrum transmittitur. Si enim substantia esset corporea dum vitrum transiret, duo essent in eodem loco corpora, quod physicis absurdum est. An autem substantia sit incorporea, aut qualitas aliqua, difficile est coniectu. Qualitas sane videtur, eaque, quæ cum luce, vel sono comparari possit. Ut enim lux vitrum transit momento temporis, & sonus per opaca corpora, & solidissima defertur ad aures, & agnoscitur: ita etiam facultas Magnetis per quævis corpora ad ferrum, quod cum illo sympathiam habens ipsius motum sequitur & cum ipso tanquam amico consentit, idque non secus contingit quam fidibus, quæ dum ita extensæ sunt, ut si pulsentur à se distent diapason, id est, octava, una contacta altera intacta movebitur, & consonabit, cæteris fidibus interiacentibus, aut intermediis immotis; quod profecto non nisi soni qualitate ad aliam fidem transmissa fieri potest.

*Trahit per vitrum Magnes.*

*Sympathia.*

*Harmonia.*

Causa cur mutuo amplexu gaudeant, aut Magnes ferrum trahat, inventu non solum meo iudicio difficillima est, sed omnino impossibilis. Multi existimarunt ideo appeti à Magnete ferrum, quod illo

*Cur appetat Magnes ferrum.*

illo nutriatur, conservetur, & sustentetur, approbante, ut illis videtur, id experientia dum in scobe ferri sepultus vegetior redditur, ferro paulatim in rubiginem mutato. Verum ex sequentibus hanc causam non sufficere illi, qui veram causam scire cupit, facile qui pollet ingenio perspiciet. Omni tamen dubio procul consensus iste intimus à similitudine essentiæ, quam habet Magnes cum ferro proficisci debet, quæ ut nobis ignota est, ita & causa, quæ ab illa dimanat. Videtur quidem spiritum quendam in se habere Magnes, qui ut se, suamque actionem conservet, puriorem ferri partem sibi addi desiderat, non secus quam ignis pabulum, sine quo mox evanescit, ac extinguitur. Sed si spiritus Magnetis, aut aliud quid in Magnete ex ferro quid desiderat, cur interdum, ut postea explicabo, ferrum reiicit, & eiusdem massæ ferreæ alteram partem? an non una pars alteri parti similis est substantia, essentia, & qualitatibus? si una idonea fuit alendo, vel conservando Magneti, aut similitudinem cum illo habet, cur altera non est? imo non solum non est, sed plane reiicitur.

Aliud itaque hic latet, quam quod humana consequi possit mens, id naturæ relinquimus, quæ multa in sinu suo recondita habet, ac admirari sæpius, quam intelligi vult. Dubitari posset num ferrum Magnetem appetet, ut illius facultatibus potiatur, quæ sunt ferrum aliud trahere, & plagas mundi, seu universi constitutionem ostendere. Quarum sane facultatum postrema eximia, & admiranda est, cum eius beneficio Oceanus noctu, obscuro, aut nubilo cœlo navigari, & ad omnes orbis partes, etiam ad antipodas absque errore viæ & itinera institui possint. Magnes enim vias, tanquam digito, dum plagas mundi indicat, ostendit, eamque facultatem

ferrum

ferrum illi appositum adipiscitur. Sed nihil hic definio, ut aliis quod rimentur relinquam. Solent imperfecta quævis perfectionem sui appetere, ut materia formam, sed ferrum perfectum sine hac facultate videtur. Perfectius tamen censeri debet si illi nobilis hæc, & admirabilis facultas, (qua quasi animatum redditur) accedat.

## CAP. CCL.

### *Quomodo Magnes plagas mundi ostendat, ac ferrum eadem facultate exornet.*

DUbitavi in fine præcedentis capitis num ferrum, quia materia constat, quæ apta, & idonea est ad suscipiendam formam, animam, seu facultates Magnetis, ut perfectius sit, propterea Magnetem à quo prædicta facile consequi potest, ambiat. Præterea præcipuam, & nobiliorem facultatem Magnetis eam dixi, qua plagas mundi ostendit. Ea nunc explicanda est; multa enim observatu digna, & admiranda habet. Magnes dum in scutella lignea ponitur, eaque aquæ quiescenti immittitur, voluitur scutella donec sponte quiescat. Quem situm quiescens habet, eundem etiamsi millies moveatur, scutella perpetuo habebit, eaque pars lapidis, quæ boream respiciet, semper respiciat, quæ austrum, etiam austrum, neque aliter quiescere poterit. Pars quæ boream respicit borealis vocatur, opposita australis. Idem continget, si ex filo suspendatur Magnes. Nam perpetuo pars borealis boream respicere solet, Orientalis orientalem, & sic de cæteris, unde autem id habeat, quod plagas mundi observet, difficile est divinare. Arbitror Magnetem, quem situm habuit in solo natali, eum perpetuo, ni impediatur, exoptare. Ac propterea quæ

*Quare plagas ostendat mundi.*

pars

pars tunc boream respiciebat, semper respicere velle, ac dum libera est borealem plagam quærere, qua inventa, nativi soli situ congruit, quiescere. Hinc facile colligi potest quemvis Magnetem in extremitate sua punctum habere boreale. Quo cognito etiam australe, Orientale, Occidentale, & quodvis aliud, aliquot gradibus ab illo declinans, facile inveniri, & haberi potest. Invenitur autem punctum boreale modis prædictis, nam quæ pars boream respiciet, ubi quieverit Magnes borealis erit, & adversa australis. Ducitur enim vis hæc per centrum corporis recta linea. Si fregeris Magnetem in plures partes, singulæ lineas suas meridianas per corporis centrum transeuntes habebunt; à centro enim corporis ut à centro mundi plagarum distinctio oritur. Polaris punctus non plaga solummodo sequenti ratione certius reperitur. Iube Magnetem in sphæricam figuram redigi, & expoliri, ac ferrum gracile concinnari æquale sphæræ diametro, idque supra lapidem sphæricum colloca, nam vertet se donec supra meridianam lineam per borealem, & australem punctum transeuntem quiescet. Ubi quieverit, signato lineam, ac transfer ferrum in alteram lapidis partem: cum resederit, & quieverit, iterum signato, idque tertio, & quarto repete. Deinde ubi lineæ se decussabunt, erunt puncta borealia, vel australia. Aliter eadem puncta reperies. Frange acum tenuem, partemque minorem supra lapidem sphæricum ponito, eamque moveto. Nam dum in borealem punctum inciderit erigetur ad perpendiculum; movere itaque donec id fieri videris, ne pertædescat.

*Punctum boreale invenire.*

Cap.

## CAP. CCLI.

*Ferrum Magnetis vires, & puncta suscipit.*

MAgnes non solum ipse ferrum attrahit, & plagas mundi ostendit, ac instar maioris mundi centrum suum habet, & utrumque polum arcticum, ac antarcticum; sed eandem vim contactu, vel ferro tribuit, vel ferrũ ab ipso extorquet. Quinimo etiamsi Magnetem non attingat ferrum, modo tamen intra circulum virtutis Magnetis constituatur, ac ibidem parumper moretur, vires easdem nanciscitur. Circulus virtutis vocatur distantia illa, ad quam vis Magnetis extenditur: quæ à ferro acquisita, aut illi tradita tam efficax est, ut plagas mundi ostendere, & aliud ferrum attrahere sibique affigere possit. Hoc modo complures annuli separati sibi invicem invisibili spiritu Magnetis connexi, & adhærentes catenæ instar ostendi possunt. Quorum postremi, & à Magnete remotiores, si extra circulum virtutis, aut ad extremam illius circumferentiam sint, à catena decidunt, aliis & vicinioribus adhærentibus non sine spectantium admiratione. *Annulorũ catena.*

Ferrum quod Magnetis virtutem non accepit, ab omni parte Magnetis trahitur, etiam quævis ipsius pars si ad æquilibrium constituatur. Ubi attigerit Magnetem, aut ut dixi, paululum in circulo virtutis illius hæserit, iam virtutem Magnetis adipiscitur, & trahendi aliud ferrum, & ostendendi plagas. Fit enim simile Magneti, ac ut ille maiorem mundum refert centro, & polis, ita & ferrum. Recipit autem ferrum plagas, & polos in se prorsus eosdem, quos habuit dum Magneti astaret, vel admoveretur, eosque perpetuo postea conservat. Exempli causa, *Ferrum ab omni parte Magnetis trahitur.*

causa, sit ferrum A B C, ac pars ipsius C attingat Magnetis D E F partem, videlicet D, hoc contactu, quia utriusque corpus unum quodammodo efficitur, & virtus per utrumque corpus diffusa unitur (ita ut A sit una extremitas, F altera, & medietas inter A & F centrum) fit, ut si F extremitas fuerit pars borealis ipsius Magnetis, & altera A australis, semoto ferro à Magnete (quasi corpore uno diviso in duas partes, ferri extremitas A quæ fuerat australis, maneat australis, altera vero opposita C, quæ dum Magnetem attingeret, & vires susciperet extremitas non erat, nunc vero ab unione separata extremitas est: necessario borealem partem faciat. Nam inter duas extremitates centrum est, quod australem plagam à boreali discriminat, deinde australi opponitur semper borealis.




Ferrum his viribus dotatum non ingratum est suo benefactori, pars enim ea, quæ vires accepit, perpetuo complexum illius, quæ dedit beneficium ambit, cupit, ac ad se trahit, adversam vero respuit. Quia itaque ferri borealis pars ab australi D virtutem recepit, illam tantum nequaquam borealem ambiet, & vice versa ferri pars, quæ tetigit borealem Magnetis partem, non borealem plagam, sed australem

*Similes partes se adversantur.*

australem ostendet, appetet tamen illam partem Magnetis, quam tetigit, quia attactu facta fuit non borealis, sed australis; ac non solum ita erga illum Magnetem quem tetigit, sed erga omnem alium, aut ferrum illius virtute imbutum se geret. Nam partem similem respuet borealis nempe borealem, contrariam vero amplectetur, borealis australem. Cupit enim perpetuo eundem statum, quem habuit, dum vires nanciscereturNon potuit autem borealis pars Magnetis borealem plagam alteri dare (cum situs det plagas) magis quam fieri potest, ut duæ lineæ (dum se mutuo attingunt) aut duæ superficies ligneæ (dum coniunguntur) eandem plagam mundi ostendant. Una si Orientem respexerit, altera huic annexa necessaria Occidentem respiciet. Quicunque quæ prædicta sunt recte intellexerit, in Magnete etiam aliter fieri non posse facile percipiet. Nam dum ferrum contingit Magnetem, Magnes qua parte attingit ferrum aliam plagam, & ferrum oppositam respicit. Hunc respectum ab utroque servari, natura cupit. Hoc bene intellecto multorum effectuum Magnetis & ferri, ratio dari commode potest: nec mirum erit amplius respui à Magnete ferrum. Respuitur enim à boreali Magnetis, borealis ferri, & ab australi, australis ferri pars. Quæ porro ferro ex contactu Magnetis contingere dixi, eadem ferro contingunt, si intra circulum virtutis Magnetis moretur. Nam etsi non attingat Magnetem, tamen quia Magnetis facultas per totum circulum extensa est, quicquid in eo constitutum est, quasi illi unitum sit haberi debet.

*Egregia similitudo.*

Id mirum videri potest, quod si ferrum Magnetis vi imbutum ad æquilibrium ponatur, ac ipsius extremitati boreali, Magnes supra teneatur, attrahatur ea pars; si vero subtus teneatur, repellatur. Con-

*Supra & infra contraria.*

trarii effectus fiunt, quia partes lapidis contrariæ ferrum respiciunt. Nam superior pars lapidis, dum supponitur ferro alia est, quam inferior, quæ supra ferrum tenetur, imo prorsus opposita. Si eadem facies opponeretur infra, vel supra, eadem attractio fieret; vicinior itaque operatur in Magnetem, si sit australis, vel borealis. Perpetuum enim est, similem similem abigere, & dissimilem appetere. An non contrarias partes ostendo ferro si supra id volam manus detineam, infra vero subducta manu exteriorem manus partem ferrum versus habeam. Facierum itaque, & partium diversitatem agnoscit, & percipit Magnes.

*Theamedes.*

Quod vero à Plinio, aliisque nonnullis authoribus Magnetis genus statuatur quod ferrum abigat, Theamedis nomine insignitum; id hactenus ut videre nunquam potui, ita neque eum vidi, qui assereret se talem vidisse, qui ab omni sua parte ferrum abigeret. Proinde si quidam Magnetem ferrum abigere animadverterunt, eos deceptos fuisse, quod à plagarum distinctione id fieri ignorarent, arbitror. Quilibet enim Magnes ferrum ipsius viribus imbutum ab aliqua sui parte repellit.

*Punctum tractionis.*

Inter Magnetis admiranda id etiam notandum est, quod ea pars, quæ in æquilibrio ferrum positum, respuit, nihilominus ubi attigerit id retineat. Nec minus mirum est quod etiamsi à quavis parte ferrum virtute sua nondum imbutum trahat, id ex uno puncto efficacius faciat. Quod deprehenditur si Magnes supra ferrum asseri plano superpositum detineatur, & manibus volutetur, donec ferrum tremat, & ad contactum currat. Ubi enim tetigerit ibi punctum tractionis est à quo, tanquam centro, radii virtutis Magnetis in ambitum spargunturi.

Sed

Sed supra hæc omnia nihil mirabilius in Magnete, & quod magis ingenia acutiora torqueat mihi videtur, quam quod ferrum illius virtute imbutum, & ad æquilibrium positum, ut ad omnes plagas verti possit non præcise polare punctum ubique terrarum ostendat. Nam hic in Germania octo, aut plures gradus Orientem versus ferrum à polo declinat. Videtur vel in firmamento, vel in aliis orbibus cælestibus, vel supra firmamentum, vel in terra fixum aliquod punctum esse, ad quod Magnes ducitur, vel à quo trahitur. In firmamento, vel orbibus inferioribus hoc esse non potest; quia id, dum cum illis quotidie circuit globum terrestrem una moveretur, eiusque motum necessario ferrum ab illo tractum sequeretur: verum id quia non fit (ferro tota die immoto idem punctum ostendente) sequitur in firmamento, vel inferioribus orbibus hoc esse non posse. Supra firmamentum aliquid immobile esse, quod istam vim trahendi habeat, licet statui possit, nihilominus variæ mutationes Magnetis, aut acus ferreæ id etiam esse non posse facile ostendunt. Temerarium etiam videtur ibi tale quid esse posse statuere, ubi forte Dei sedes absque loco est. Restat itaque ut in terra, vel supra terram id punctum sit. Si supra terram sit, ut neoterici nautæ affirmant, facile, quo in loco sit, investigari potest. Nam notate declinatione hic Pragæ alia observanda est vel in Goa Indiæ, vel in Mexico, aut alio loco Orientem, vel Occidentem versus multum à Praga distante, quæ translata in mappam, aut globum terrestrem, ductisque lineis à locis illis duobus per puncta declinationis, ubi lineæ se decussarint, ibi punctum est Magnetis, aut ferri Magnetis vi imbuti. Id nostris seculis à nonnullis inventum putatur, & ab Hollandorum ob-

*Cur non præcise ostendat polos.*

servatione confirmatum. Qui se invenisse putant, intra Americæ, & Asiæ partem septentrionalem in freto Anian montem Magneticum, quem statuunt 17. gradibus à polo arctico distantem, atque ab Islandiæ medio seu ab insulis capitis viridis, quæ sub eodem meridiano sunt gradibus longitudinis 180. ita ut hac ratione necesse sit in Islandia, & prædictis insulis necessario Magnetem à polo non declinare, ut nec in Assoribus Orientalioribus videlicet S. Mariæ, & quas *las horgas* vocant insulis, quæ sub eodem meridiano sunt. An autem vere in prædicto freto Magneticus *a* mons sit, incertum adhuc est, cum fretum hoc nondum exploratum satis sit. Si esset, mirum esset in tam longinqua loca virtutem suam iacere, ac ferrum non quodlibet, sed tantum id quod Magnetis vi imbutum est, ad sui obsequium trahere. Sed quid miramur, cum omnia miraculis plena sint, & quidvis in hoc orbe sui Creatoris laudes hoc modo celebret. An non Sol lucem, & calorem nobis à longe maiori distantia momento temporis communicat, & luna aëris motu impedita absque contactu, ac sine constanti & quieto medio mare universum ad se trahit. Desinamus itaque mirari, aut miremur omnia, cum nihil altero sit mirabilius, & quicquid est mirabile sit in oculis nostris. Authorem, & opificem colamus, celebremus, & adoremus, qui admiranda ista efficit, ut opera sua, si non hic, in alia vita intelligamus.

*Magnes Austrum ostendit.*

Sed hic aliud mirabile occurrit à nautis nonnullis observatum, quod videlicet pixis nautica, quando æquinoctialem lineam pertransit, & polo antarctico vicinior est, non amplius septentrionem, sed austrum ostendat. An quia non tam plagas, quam polum ostendit? eumque semper qui illi vicinior est? sed putatum fuit Magneticum montem respicere,

cere, quem certe quocunque in loco sit observare deberet, nisi forte alius apud antarcticum illi directe oppositus, eandem vim habeat, ac ad similia officia, tanquam vicinior, cogat. Sed talem ibi esse incompertum est, quinetiam multi non verti borealem plagam ad austrum asserunt.

Non video itaque ubi polus Magnetis, ac illi oppositus commode statui possit, nisi supra firmamentum statuantur duo, unus borealis, alter australinus, ac eiusdem facultatis, ut vicinor Magneti imperet potius, quam remotior. Sed hic nihil solide definiri potest, præsertim cum ut dixi antea, quid supra firmamentum sit ne coniectura assequi humanum ingenium valeat, ac præter Beatorum sedes divinæ literæ nihil ibi aliud esse testentur. Deinde etiam quod nondum exploratum habeam, an Magnes in longam formam pennæ scriptoriæ instar aptatus, & ad æquilibrium positus, polum ipsum, aut idem punctum à polo distans, quod acus nautica demonstrat, ostendat, nec ne. Præterea dubito num Magnes punctum, aut axem ambiat: ac verisimilius videtur axem ambire propter varias declinationes, quæ ad nullum certum punctum dirigi possunt. Si axim ambit, ad terræ viciniorem partem se parum inclinabit, ut à terra, quæ firma iacet, vim axis ipsius, quæ ad omnes extremitates mittitur, in se recipiat, quam sane per maria, & aquas hinc inde fluctuantes nequaquam tam commode suscipere potest. Hinc fortassis fit dum navigatur in mari prope Americam Magneticam cuspidem aliquot gradibus ad Occidentem, dum vero inter insulam S. Helenæ, & Africam ad Orientem declinare, ac forte propterea in Bohemia ad Orientem aliquot gradibus declinare, quia septentrionem versus occurrit mare Balticum, meridiem

*Declinationis Magnetis causa.*

versus mediterraneum, quæ vim axis nonnihil infringere possunt, quam sane vim declinationis linea, quæ à Bohemia duci potest, usque ad mare glaciale, per Moscoviam, & Poloniam, ubi continuatio terræ est, servare, & communicare Magneti potest. Sed alii diligentius ista rimentur.

a *Quoniam autor montis Magnetici hic meminit, non absonum erit errorem quorundam enodare, qui naves in quibusdam regionibus (nempe in India & circa mare rubrum) ferreis clavis non compingi, ob Magnetis metum, existiment: nam licet Magnes ferri ad se trahendi facultatem habeat, minime tamen credendum est, eum tanta vi pollere, ut navem ferreis clavis coniunctam, vel è longinquo pertrahere possit. Huiusmodi vero naves fabricant Incolæ, quod magnis arboribus, quarū asseres ferreos claves ferre queant, reliquaque materia necessaria destituantur, adeoque egeni sint, ut aliunde comparare non possint, cumque præterea ferro, aut ære veterum more coniungere usus apud eos iam desierit, funibus cymbas consuentes, levibus expensis eas construunt. Huc accedit quod magnis navigiis opus non habent; exigua enim illis sufficiunt cum ad piscationem tum ad merces hinc inde per canalem, & æstate per mare rubrum transvehendas. Verum quidem est magnas onerarias naves, triremes, aliaque varii generis navigia istic conspici, sed aliunde advecta.*

## Cap. CCLII.

### *De abolendis, restituendis, & augendis viribus Magnetis.*

HActenus miras Magnetis facultates explicavi, nec omnibus cognitas. Restat ut explicem, quo

quo pacto illius vires augeri, & restitui possint, si illas amiserit. Amittere enim potest contactu alterius Magnetis, dum nempe similem faciem attigerit, nempe borealis unius borealem alterius. Id cum factum fuerit fortiori affrictu utriusque facultas perit, & neuter officium facit, aut saltem errone è, quasi ebrius esset. Restituitur autem in integrũ si in chalybis limatura per aliquot dies sepeliatur, cuius etiam beneficio, si imbecillis sit Magnes, vegetior redditur, ut aliqui asserunt. Magnetis vires in immensum augeri posse tradit Theophrastus Paracelsus, ita ut etiam ex pariete clavum extrahere possit: si igniatur, deinde in oleum Martis multoties extinguatur. Sed discipulos suos decipit, cum Magnes igne vires omnes amittat, ac spiritus ille vivificus, tanquam anima Magnetis, & cui vires omnes inhærent, ignis iniurias non ferat, & à corpore suo colore subcæruleo expellatur, ac tantum cadaver, quod nunquam ad vitam redigi potest, post se relinquat. Magnes ut igne vires omnes amittit, ita à nonnullis putatur cæparum, alliique odore effætus reddi, sed falsum id esse neotericorum declarat experientia, qui allii succo inunctum nihil virium amisisse testantur, ut & nautarum qui dum quotidie allium, cæpasque vorantes acui Magnetico adstant, nihil illi iniuriæ inferri, sed suo officio strenue fungi, observant. Sunt alii qui Adamantem Magnetis vires impedire scribant, ut Plinius his verbis, Adamas dissidet cum Magnete lapide in tantum ut iuxta positus, ferrum non patiatur abstrahi: aut si admotus Magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat, & Mardobeus his versibus,

*Omnibus æqua tamen vis est adducere ferrum*
*Quod facit & Magnes absente potens Adamante,*

*Nam præsens Adamas, Magneti, quod rapit aufert.*

Sed Ioan. Bapt. à Porta negat se experientia id verum deprehendisse. Interim tamen ipse docet ferrum Adamante tactum volvi ad septentrionem, ac obversam partem (ut in Magnete ad meridiem ferrum abigere.) Id si verum est, quod nondum probavi, verisimile est Adamantis borealem partem, borealem Magnetis abigere, ac propterea vim ipsius trahendi impedire, quod forte veteres voluerunt.

## Cap. CCLIII.

*De qualitatibus, & viribus medicis Magnetis.*

*Magnes purgat melancholiam.*

a Galeno teste Magnes Hæmatitis vires habet. b Dioscorides cum aqua mulsa trium obolorum pondere ad crassos humores, & melancholicos educendos propinari tradit, ac uri, & vendi pro Hæmatite, cuius vires, ustus proculdubio adstringendo, sanguinemque sistendo æmulatur. Nonnulli cum mulsa exhibitum hydropicos sanare referunt. Paracelsus quia ferrum ad se trahit emplastris non solum ad sagittæ ferrum è corpore humano extrahendum: sed omnem aliam saburram vulneribus inhærentem, adhibet, & non inutili conatu. Inter alia autem emplastra sequens celeberrimum est, & admirandæ facultatis quod à multis hactenus celatum, & in secretis habitum fuit. Curat omnia vulnera punctim, vel cæsim inflicta subito, ac symptomata, quæ vulneribus supervenire solent, impedit. Quicquid malignum in vulnere est, aut inutile separat ab utili, ac sanam carnem generat, à me emplastrum Magneticum vocatur, à Paracelso Opodeldoch barbaro vocabulo. Recip. ceræ virgineæ lib. duas, terebinthinæ vulgaris turbulentæ,

*Emplastrum Magneticum.*

lentæ, (non vero claræ ex picea arbore, quam impostores claram efficiunt) lib. unam, olei olivarum unc. iij. funde omnia simul, addendo succi chelidoniæ, succi fol. querci, succi alchimillæ, succi veronicæ ana unciam unam cum semisse, coque omnia simul ad succorum consumptionem, postea adde ammoniaci, galbani, ac oppopanacis aceto expurgati ana dragm. sex, colophoniæ unc. unam cum semisse, succini unciæ semissem, masticis, myrrhæ, thuris, sarcocollæ ana drag. tres, immisce omnia emplastro. Dum parum refrigueriit immisce Magnetis contusi, ac præparati unciam unam cum semisse, croci martis uncias duas, croci veneris unciam unam, tutiæ præparatæ drag. sex, lapidis Calaminaris præparati uncias decem. Hæc omnia postea immisce emplastro, ac cum iam fere refrigueriit, adde terræ dulcis vitrioli tantum ut emplastrum subrubrum fiat bene miscendo, postea extrahe, malaxa manibus, ac in baculorum formam redige, ac supra tabulam ligneã oleo rosarum inunctam in tabulas forma thaleri crassitie, ac ad usum serva. Ita excoqui debet, ut cum calefit bene molleſcat, & dum refrigeratur, non flectatur, sed vitri instar frangatur. Prædicta nonnulla ingredientia hac ratione præparantur. Magnes hac ratione præparatur. *Magnetis præparatio.* Primum in pulverem contundatur; is tigillo impositus igniatur, ac in oleum martis dulcificatum eiusdem ponderis, iniiciatur, deinde ad ignem temperatum exsiccetur, ita Magnes præparatns est. Oleum vero martis hac ratione concinnatur, Rec. *Oleum martis.* aluminis lib. j. salis communis uncias quatuor, ex his distilla aquam, cum aqua limaturam ferri aliquoties in die humecta, ita brevi ferruginem habebis, quam ablue aqua, eamque inde evapora ad olei consistentiam. Quod iterum una distillatione

dulcificabis, sequenti modo, Affunde iterum aquam, ac sine evaporet, ut prius, ita præparatum erit oleum. Lapis vero Calaminaris hac ratione præparandus est: Redige in pulverem tenuissimum, ac igniatur, ignitum coniice in ollam, acetum fortissimum continentem, ac subito ollam tege, donec pulvis extinctus fuerit, postea acetum quiete effunde. Pulverem iterum ignias, ac in idem acetum extingue, postremo iterum pulvis igniatur, ac refrigerari sinas. Tutia præparatur ut lapis calaminiaris, nisi quod loco aceti utendum sit aqua fæniculi, aut chelidoniæ. Crocus Veneris ita præparatur. Recip. tenues cupri laminas, imponas ollæ, sepeliantur laminæ in sale communi, ac ollam igni impositam sine excandescere, postea effunde laminas cum sale in frigidam, ac laminas ablue ab omni nigredine, iterum adde salem, ac ollæ impone ut antea, ignias iterum, ac in frigidam coniice, & ablue, id opus repete, quamdiu placuerit, aquæ vero in qua extinxisti laminas, affunde aquam calidam, postea paulatim effunde aquam, ita in fundo habebis crocum Veneris sanguinis instar rubrum, hunc lava, & munda optime, donec nihil salsuginis habeat, exicca illum optime tela linea, ac serva ad usum dictum. Crocus martis hoc modo fit: Recip. limaturam ferri mundam absque rubigine, reverberetur in furno longo fortissimo igne quarti gradus, donec purpureum colorem habeat, tum exime, & cum refrixerit, in vas aqua plenum coniice, move optime, ac subito in aliud vas decapula, ita relinquetur in primo vase ferrum quod calcinatum nondum est. In altero vero crocus, quem ut habeas ad ignem aquam exhalare omnem sinito, & etiamsi resideat, aquam ne effundas, continet enim subtiliorem croci partem vix conspicuam. Restat terra vitrioli:

*Calaminatis præparatio.*

*Tutiæ præparatio.*

*Croci Veneris præparatio.*

*Crocimartis præparatio.*

vitrioli: hanc ita concinnabis. Recip. quantum voles vitrioli, id ollæ imponas, eamque in igne circulari colloca, ut in rubedinem optime calcinetur. Dum intrinsecus, & extrinsecus rubuerit, contunde, eique aquam affunde, ac per diem, & noctem ita relinque, aquam postea claram effunde, aliamque affunde, iterum illa claresçat, ac postmodum effundatur. Id opus toties repete, donec aqua non amplius acris fuerit, sed dulcis, tum exiccari sinito, ita habebis terram subrubram, & squammis æris similem, cuius colorem Germani vocant *kessellbraun*, longe aptiorem ad vulnera, & ulcera bolo armeno. Hoc emplastro medicus, & chyrurgus mira præstabit, & quævis vulnera cito sanabit absque omni symptomate. *Terræ vitrioli præparatio.*

Ex collo gestatus Magnes spasmum sanare, ac nervorum dolores compescere, manuque detentus partum accelerare perhibetur. Supra vulnera venenata positus vim veneni extinguere dicitur, capitique admotus omnem eius dolorem auferre; Ab altero coniugum portatus alterius gratiam conciliare, timores arcere, & eloquentiam augere creditur. Nugatur Marbodeus, Veneris intellectum habere Magnetem, & viri erga uxorem amorem conciliare, ac adulteria prodere his versiculis.

*Conciliare potest uxoribus ipsa maritus,*
*Et vice conversa nuptas revocare maritis:*
*Num qui scire cupit sua non sit adultera coniunx,*
*Suppositum capite lapidem stertentis adaptet,*
*Mox quæ casta manet, petit amplexura maritum,*
*Non tamen evigilans, cadit omnis adultera lecto*
*Tanquam pulsa manu, subito fœtore coacta,*
*Quem lapis emittit celati criminis index.*

Credit etiam Marbodeus furum esse fautorem, ac suf-

ac suffitu domesticos abigere, ut furibus furandi occasio sit commodior.

*Si fur claustra domus spoliis, gazisque referta*
*Ingrediens prunas ardentes per loca ponat,*
*Et supra ponat Megnetis fragmina prunis,*
*Vt per tetragonum fumi vopor alta vaporet*
*Mentibus eversis veluti impendente ruina,*
*Diffugiunt omnes in ea quicunque manebunt,*
*Et fur securus rapiet quæcunque libebit.*

Fœtidum, & exitialem, ut carbones, habere auram, seu vaporem Magnetem, & qui ad cerebrum delatus illud conturbet, ac dormientibus terribilia, & melancholica phantasmata, aut vertiginem, epilepsiam, vel apoplexiam inducat, multi produnt authores. Quinimo nonnulli ore detentum lunaticos, & melancholicos homines efficere tradunt, ac pulverem ipsius pondere sex granorum cum sevo serpentis, & succo urticæ alicui in potu oblatum, eum ita dementare, ut ex patria sua, vel habitatione fugere cogatur. Ita ut si hæc vera sint, non mirum sit suffitum fœtore, & maligna qualitate caput turbando homines ex ædibus propriis abigere.

a *Libro* IX. *de simplici. medic. facult.*

b *Libro* V. *de re medica cap.* 105. *Multa plura ad Magnetem pertinentia tradidi in Comm. à me editis in praxin auream Ioannis Stockeri (ut cap.* 216. *huius libri monuimus) Comperimus insuper eum, qui primus huius lapidis usum invenerit, Flavium fuisse nuncupatum. At Albertus Magnus primus omnium eius facultates scriptis tradidit: quem cum suo tempore in usu iam esse animadverteret, veteribus non ignoratum fuisse credidit, atque Aristoteli eius facultates fuisse perspectas. Attamen & ipse Aristoteles,*

*& qui*

& qui aliquot sæculis eum subsequuti sunt, plane ignorarunt hunc lapidem talibus facultatibus esse præditum, ut altera eius pars ferrum de septentrionem convertere faciat, altera ad Meridiem. Aristoteles quidem non ignoravit ferri attrahendi facultatem habere: at quod navigationibus utilis esset, plane nescivit. Nunc autem cum Magnetis facultates omnibus sint perspectæ, navigatio adeo facilis reddita est, ut bini viri cum levi navicula, omni momento, omnibus periculis, vehementissimisque ventis sese committere, & mare traiicere non vereantur: quod veteres ipsa meridie tentare non fuissent ausi, cum nauticam pyxidem non haberent, cuius acus Magneti adfricata esset. Itali hunc lapidem Calamita, Galli Aimant vocant, huius lapidis Gallicæ appellationis affinitas ansam præbuit nonnullis Chymicis imposturas excogitandi de ipsius efficacia in rebus amatoriis, ut etiam polliceri, atque persuadere ausi sint, non minus hominum amorem pellicere, quam ferrum attrahat, quod tamen falsum est, atque ad eam rem candidum Magnetem longe prætulerunt, non ignorantes difficilius, & rarius inveniri, quam eum, qui ferruginei coloris sit.

Per Magnetem hoc modo quis Oraculum fingere potest, mensa in cubiculo sit parata, non admodum crassa, undique rite clausa, & convenias cum aliquo, qui per aliud cubiculum propinquum intret mensam, qui de omnibus sit instructus, quid agendum tibi sit, nemine conscio nisi tibi, in qua mensa supra, & infra scriptæ sint Alphabeti litteræ in circulo rotundo, nempe ubi littera A in superiori parte mensæ sit scripta, sic eadem in inferiori parte scribatur, in superiori parte in medio circuli finge diabolum ex charta, vel alia levi materia, cuius pedibus infigantur acus, & in manibus habeat stramen, quod arcte

conti-

*contineat, & cum vis fingere Oraculum, intret iam nominatus mensam, qui sciat movere Magnetem, secum habeat candelam, ut secundum ordinem Alphabeti moveat Magnetem, secundum quod quæratur, & diabolus movebit se secundum motum Magnetis, & notet, qui quærit responsum omnes litteras, & ubi diabolus quiescit, & non movetur, habebit verbum totum, & sic de cæteris, donec totus sensus appareat.*

*Eodem modo poteris efficere ut charta vel homuncio per mensam ambulet, supposito sub mensa Magnete, eoque huc illuc ducto.*

*Simili modo si chalybis pulverem super chartam, vel asserculum ponas, supposito Magnete, assurgent in cuspidem pulveres isti, & ducto Magnete huc illuc, eam pulveres isti sequuntur, magna astantium admiratione.*

*Eodem quoque modo poteris efficere ut navicula sponte adnaviget lembo circulari, in quo Alphabeti litteræ sint descriptæ, ut ita etiam oraculum effingere possis.*

## Cap. CCLIV.

### *De usu Magnetis.*

MAximus usus Magnetis est ad navigationes, & itinera etiam terrestria instituenda. Sine hoc enim certa nulla institui, aut scopuli evitari possunt: præsertim cœlo nubilo, noctu, & in Oceano dum præter undas nihil conspicitur, quemadmodum nec in sylvis amplissimis, dum præter cœlum, arboresque nihil sese oculis offerat. Ut autem certiora omnia fiant acus ferrea, aut potius chalybeata Magnetis virtute imbuenda est, ac prius ita concinne fabricanda, ut supra cupri, aut argenti cuspidem, ad æqui-

æquilibrium sustentetur, & in orbem verti possit. Quod ut commode fieri possit pyramidale concavum in medio acus fabricatur, à cuius basi reliquæ partes sibi aversо oppositæ, illiusque cacumini inferiores, procedunt. Hoc modo dum cuspis concavum excipit, sustentatur acus, ac in omnem partem versatur. Communicatur autem acui ferreæ Magnetis virtus hoc modo. Primum punctum Boreale, vel australe in Magnete modo à me supra traditо, quæritur, inventum levi mallei ictu percutitur, ut à sordibus liberetur. Illi puncto adfricatur acus altera pars, quæ latiuscula, ut melius virtutem Magnetis suscipere possit, esse debet. Si punctum fuerit boreale, pars acus quæ tetigit austrum ostendet. Si velis ut non austrum, sed boream ostendat, australi Magnetis puncto affricare debes. Si utraque acus extremitas idem punctum tetigerit, vel nullam plagam ostendere acus, vel ab utraque plaga deflectet, vel Orientem, aut Occidentem monstrabit. Sed ut eximias vires suscipiat acus, ac probe munere suo fungatur, consultum est ut altera ipsius pars boreali puncto, altera australi affricetur, ita enim quodammodo duplicatus suscipiet vires, & borealis contactus ad austrum, Australis ad boream se convertet. Cum acus ferrea Magnetem tetigerit, sedulo custodienda est, ne aliud ferrum, aliumve Magnetem attingat, aut in circulo virtutis illorum detineatur. Nam illorum contactu, & præsentia inebriatur, nec exacte cœli partes amplius ostendit. Ita ut denuo igniendum sit, ut omni facultate privatum, novo affrictu possit novas vires recipere. Bene custodita acus ad centum annos vires suas retinere potest.

*Modus tangendi ferrum.*

Itinerum Dux est Magnes, aut acus Magnetica quia septentrionale punctum ostendit, quo ostenso etiam

*Itinera investigare.*

etiam omnia alia, & minutissima cognoscuntur. Ut autem facilius oculis reliqua essent perspicua, propterea orbi versatili in cuius margine triginta duo venti, seu plagæ potius describuntur, acum Magneticam nautæ affigunt. Hac enim ratione si ab itineris linea deflectatur, facile quod gradibus (si orbis in 360. partes divisus sit) id fiat, cognoscitur. Sed possunt nautæ gubernaculo navim ita dirigere, ut à puncto ad quod dirigunt iter, acus nunquam deflectat. Si per silvas terrestre iter instituendum sit, ne quis multum aberret à via, acus Magnetica illa, quæ horologiis sciotericis inclusa est, inservit. Maiori tamen cautione propter itinerum anfractus opus est, quam in mari ubi omnia pervia sunt. Nam primum constituta acu Magnetica supra lineam meridianam, observanda est in loco, unde quis proficiscitur linea, aut hora quæ itineris scopum respicit, ac perpetuo iter ad illam horam instituendum est. Si deflectat ad aliam horam ad sinistram, certum est ad dextram iterum ut ad veram itineris lineam perveniatur, deflectendum, & proportione, & longitudine deflectionis plus, vel minus ad dextram iter instituendum esse.

*An Magnete quis sua arcana patefacere possit.*

Putant aliqui Magnetem, aut acum Magneticam usui esse ad animi secreta patefacienda amico à nobis centum, *a* aut ducentis miliaribus distante, sed vehementer errant. Causam errori præbuit virtus Magnetis, quæ acum ferream etiam per tabulatum movet, ac deinde facultas poli arctici, vel montis Magnetici in freto Anian à Cosmographis constituti, qui ad multa centena miliaria in acum Magneticam, ut illi arbitrantur, agere potest. Existimant enim Magnetem qui tetigit acum, ac illi virtutem suam communicavit, similem habere, & talem cum illa consensum: ut si moveatur, exempli causa decem

cem gradibus orientem versus, etiam tot gradibus acum moveri, etiamsi centum miliaribus ab illo distet. Sed ut dixi falluntur: quia certissimum est Magnetem, qui ferream acum tetigit, tantum intra certum spatium, & exiguum, forte trium, aut quatuor pedum illud movere. Deinde etiam experienti constat, acum Magneticam extra circulum virtutis Magnetis positam, non mutare situm, mutato situ Magnetis. Si magnes tam procul in acum à se tactam ageret, facillime quis animi sententiam amico centum miliaribus distante (eo modo quo id per tabulatum fieri potest) significaret. Per tabulatum autem ita id fit. Acus Magnetica longiuscula, ut distinctius suo fungatur officio, accipitur, ac pixidi imponitur ut verti in omnem partem commode possit. Margo deinde pixidis in viginti quatuor æquales partes dividitur, ac in illis viginti quatuor literæ alphabeti pinguntur. Similis pixis, sed maior, ac cum acu Magnetica longe maiori, & addito alphabeto etiam constructur, ac supra tabulatum ligneum superioris cubiculi collocatur. In inferiori vero cubiculo supra mensam minor collocatur pixis, hoc modo ut centrum pixidis superioris & inferioris, ad perpendiculum respondeant, ac pars utriusque borealis literam A respiciat. His ita rite collocatis: si acus pars borealis digito versus litteram D superioris pixidis moveatur, etiam acus pars altera inferioris pixidis eandem literam D in inferiori cubiculo ostendet: modo tamen virtus Magnetica tam procul vires suas extendat, id enim necessarium est, ut dixi. Si id acus beneficio fieri non posse credatur, ex centro maioris pixidis supra tabulatum circulus cuius diameter duorum sit pedum describendus est. Isque in viginti quatuor partes secandus, ac in singulis alphabeti literæ notandæ

sunt, ita tamen ut A litera boreali puncto respondeat. Deinde literis, quæ vocabula faciunt, apponendus Magnes satis vegetus,& qui inferioris cubiculi pixidem intra circulum suæ virtutis habeat. Tum enim trahet acum inferioris cubiculi ad se, quæ easdem literas ostendet, quas adstans colligere debet, ut vocabula habeat, sensum alterius qui Magnetem movet explicantia. Istud experimentum illos fefellit, qui idem ad 100. miliaria Magnetem efficere arbitrati sunt. Ex prædicto experimento elegans modus colligitur faciendi statuã ligneã palmæ longitudine, quæ cuspidi ex ære insideat, ita ut verti commode sedens possit. Pes alter extendatur parumper, ac in eo globulus chalybeus occultetur: manu teneat statua virgulam tenuem ligneam, vel argenteam. Sedeat autem in medio pixidis latiusculæ,in cuius margine sint alphabeti literæ omnes notatæ. Quisquis itaque responsum dari petenti cupit, teneat sceptrum ligneum manu, in cuius extremitate sit Magnes. Id sub mensa detineat, & ad literas dirigat. Nam hoc modo statuam supra mensam collocatam, eas literas quas volet, ostendere, non sine adstantis admiratione, faciet, quæ postmodum collectæ, statuæ responsum declarabunt. Possunt alia multa admiranda Magnetis occultati beneficio fieri, quæ si quis scire velit,alios authores legat, nos hic ludicra tractare nolumus, cum quilibet sibi, si ingenio valeat, varia invenire facile possit. Unum supereſt quod an à Magnete fieri possit dubitatur. Num videlicet ferrum in aëre ita suspensum tenere duo, vel plures Magnetes possint, ut id utroque trahente neutri adhæreat. Hac ratione ferreum Mahometis sepulchrum in aëre hærere traditur, & Plinius *b* scribit Dinocratem architectum Arsinoës templum concamerare inchoasse ex

*An Magnes ferrum in aëre possit sustinere.*

Magne-

Magnete, ut in eo simulachrum eius è ferro pendere in aëre videretur, sed interceſſiſſe mortem ipſius, & Ptolomæi, qui id ſorori ſuæ iuſſerat fieri, unde quod inchoaverat non perfeciſſe. Ego etſi concedam paribus viribus Magnetes ita conſtitui poſſe, ut æque vehementer uterque trahat, tamen propter aëris continuum motum, non magis ſubſiſtere poſſe exiſtimo, quam ſphæra metallica ſupra cuſpidem acus perpendiculare collocata. Licet enim Sphæra ita exacte poni poſſit ut pondus illius ab omni parte cuſpidis æqualiter promineat: nunquam tamē conſiſtere poterit, quin ad latera decidat. Idē ferro futurū puto, ut vel delabatur ad inferiorem Magnetem, vel attrahatur à ſuperiore. Si ferrū tenui filo, vel capillo muliebri alligetur, proculdubio in aëre à ſuperiori Magnete ita trahi poterit ut in aëre ſuſpensū videatur, filo prohibēte ne ulterius à Magnete trahi poſſit.

Magnetis uſus etiam ad vitra conficienda ut olim celebris fuit, ita & nunc eſt. De eo *c* Plinius his verbis: Poſt vitri originem ut eſt aſtuta, & ingeniosa ſolertia, non fuit contenta vitrum miſcuiſſe, cœptus addi & Magnes lapis, quoniam in ſe liquorem vitri quoque in ferrum trahere creditur. Et Agricola ſequentibus: Si materiæ unde vitrum conflatur, adiiciatur minuta Magnetis particula, ita in ſe liquorē vitri trahere videtur, ut ad ſe ferrum allicit, tractum autem purgat, & ex viridi, vel luteo candidum facit. Sed Magnetem poſtea ignis conſumit. *Ad vitra.*

Utilis etiam Magnes ad ferri venas, num divites, vel pauperes ſint, examinandas. Eius uſus docetur his verbis ab Agricola: Venam ferri experimur in Camino fabri ferrarii, eadem uritur, comminuitur, lavatur, ſiccatur, Magnes in ramentum lotura collectum imponitur, qui ſcobem ferream ad ſe trahit, ea pennis deterſa catino excipitur, atque Magnes *Magnes ferri venas oſtendit.*

usque eo in ramentum lotura collectum imponitur, & scobs detergitur, dum restet quam ad se alliciat. Ea autem simul cum sale nitro coquitur in catino, donec liquescat, & ex ea terrea massula conflatur. Quod si Magnes cito, facileque scobem ad se traxerit, venam ferri divitem esse coniicimus: si tarde, pauperem. Si prorsus eam respuere visus fuerit, ferri paululum, aut nihil in se continere. Quemadmodum ferri scobs à sordibus separatur Magnetis opera, ita auri, vel argenti pulvis à ferri scobe. Admotus enim Magnes scobem ad se trahit, ac aurifabris compendium præstat.

Sed dum hic celebres Magnetis usus explico, præcipuus, nobilissimus, neque satis admirandus, ac pauciſſimis notus fere animo exciderat, & à me prætermissus fuit. Nempe quod eius beneficio ichnographiæ describantur, & instrumentum aliquod confici possit, in quo Magnes ipse ichnographias, & anfractus itineris, ac distantias locorum in charta, absque hominis opera, ad amussim notet. Prior ratio vulgo omnibus geographis nota est. Imponitur enim acus Magnetica circulo, in plano descripto, ac in illius centro dioptra versatilis accommodatur, ut per illius extrema anguli (virgulis, aliove signo notati) vel turres, aut domus, si civitatis ichnographia describenda est, conspici possint. Deinde dum ichnographia notanda est, instrumentum hinc inde vertitur, donec acus Magnetica incumbat lineæ meridianæ, ut moris est, dum horæ diei explorantur. Dum recte incubuerit, versatur dioptra, donec per ipsius extrema utraque, vel turris, vel arbor, vel signum videatur, atque tum notatur ubi dioptra secet circuli circumferentiam. Simili modo omnia loca circumquaque conspiciuntur, & notantur. Quibus notatis ex alio loco vi-

*Ichnographiarum beneficio Magnetis descriptio.*

ciſſim


cissim eodem prorsus modo eadem loca conspiciuntur, & notantur, & si quis velit, ex tertio.

His absolutis Geographus in chartam describit circulum æqualē, si velit, circulo instrumenti (nam potest maiorem, vel minorem facere, sed minori labore voti compos fit, si æqualem acceperit) ac in descriptum circulum transfert puncta visionis. Deinde ex centro circuli per eadem puncta ducit lineas, usque ad extremum chartæ, loca enim quæsita in lineam incident. Sed quam procul à centro nondum scitur, id enim secundus ostendet circulus: qui in chartam transferendus est, ea distantia ab altero circulo, qua quis velit. Si magnam distantiam fecerit, magna erit ichnographia: si parvam, parva,

Postea in ipsius circumferentiam transferenda sunt puncta visionis secundi circuli, sed hac ratione, ut punctum visionis, quod ostendit prioris circuli centrum, primo notetur, & incidat in lineam, quæ ducitur à centro prioris circuli ad stationem, seu centrum secundi circuli. Id ubi factum fuerit, alia puncta omnia secundi circuli transferantur in secundum circulum, qui in charta descriptus est. Deinde ex centro circuli per sectionis puncta usque ad extremum chartæ ducantur lineæ. Nam ubi eiusdem loci notati lineæ se mutuo secabunt, ibi locus locari debet. Quia vero anguli interdum nimis acuti fiunt; propterea tertius circulus adhibetur, prorsus eodem modo, ut secundus. Notandum hoc modo, etiam absque Magnetica acu, describi posse situs locorum. Sed multis placet Magnetis adhibitio. Posterior modus quem nobilissimum, pauciscque notum dixi, profecto admirandus est. Eo enim vel iter faciens Geographus, vel civitatem, aut locum circumiens, instrumentum apud se habet, quod iter, locum, & distantias in charta

absque ope gestantis notat. Fit notatio ab acu Magnetica, quæ supra caput quod insidet cuspidi, tridentem habet, cuius tres dentes lineæ meridianæ respondent, id est, longitudini acus: dens septentrionalis plus distat à medio dente, quam australis, id ideo ut cum cuspis acum excipiens sursum pellitur in chartam (fere tridentem attingentem) sciatur, quæ pars borealis, quæ australis sit. Charta digiti est latitudine ut dixi, ac tridentem Magneti affixum fere attingit. Deinde post singulos attactus supra rotulam tantum voluitur, ut sequentem tactū, integra sui parte excipere possit. Nam & chartula ipsa supra rotulam voluta est, à qua devolvitur, ut acus ictus, & notas excipiat. Ferit tridens non ante, quam centum passus fecerit homo. Instrumentum zonæ alligatur, ac cochlearis maioris formam cum manubrio imitatur, nisi quod non concavum, sed planum sit. Circa manubrium quod inferior illius pars est, prominet lamina cum annulo, cui funis una pars alligatur. Nam altera sub genu hominis vincitur, ut dum it, & passum progressus est, trahatur lamina, & rota quædam, quæ centum habet dentes moveatur, qua circumacta sursum truditur acus, & chartam ferit tridens, eamque tribus foraminibus perforat, Acus Magnetica tridentata in superiori parte instrumenti, & quæ à manubrio longissime distat, consistit. Rota quæ absolutis centum passibus circumvoluitur, circumspici per foramen satis amplum exterius potest: illa consistit in manubrio instrumenti clavum habentis in plana sua superficie, & pennam, quæ dentibus opponitur, ne dum mota est, rota iterum retrocedat. Clavus affigitur rotæ, ut dum rota circumvoluta est elevet lamellam quandam æream, habentem in superiori extremitate filum æreum, quod pellit Magneticam


ticam acum in chartam. Cuſpis autem cui Magnetica acus incumbit falci innititur, aut æreo ſemicirculo. Inſtrumentum quod ſupra manubrium eſt tres rotas in ſe habet: minor 48. habet dentes, alia 30. & tertia etiam 30. quæ abſolutis paſſibus 3000. hoc eſt miliari (nam 3000. paſſuum pro miliari computantur) circumvoluitur. Secunda rota abſolutis tribus miliaribus, & prima, ſeu minima abſolutis 12. miliaribus ſemel circumvoluta eſt. Nec ulterius quid amplius notari poteſt, niſi nova aptetur chartula, & ſupra ſuam rotam voluatur. Abſoluto itinere chartula foraminata ex inſtrumento accipitur, & alio tridente ferreo, cuius dens alter à medio plus diſtet, quam tertius, foramina chartulæ in mappam transferuntur. Sit chartula notata ſequenti modo A litera, & litera C limbus, in qua




dentes tridentis, qui à ſe remotiores ſunt, boream oſtendunt. Ad deſcribendum itaque iter in mappam habeas menſuram 100. paſſuum magnam, vel parvam ſi paruam velis tabulam. Deinde chartula mappæ (in qua partem ſeptentrionalem prius ſignaſti) ita accommodetur, ut foramina tria in lineam meridianam incidant, hoc eſt, altera pars, & latior ſeptentrionem, altera auſtrum oſtendat. Tum protrahe lineam, quæ à foramine ad limbum chartulæ ducitur, extra limbum ſupra chartam ad men-

ſuram centum paſſuum. Deinde ad finem horum paſſuum ſequentia tria foramina iterum ſupra lineam meridianam ita conſtitue, ut linea quæ ad limbum ducitur, finem lineæ ante deſcriptę in mappa attingat, tum lineam limbi protrahe ad centum paſſuum menſuram. Id opus perſequendum eſt, donec omnia puncta chartulę in mappam tranſtuleris, Tranſlata anfractus omnes itineris oſtendent, atque ſupradictæ chartulæ iter hoc modo reperietur.

Initium itineris eſt ad literam A. finis ad literã B.




Clarius

Clarius hæc describi non possunt: qui valet ingenio, facile id, quod tradidi, assequetur. Aliud instrumentum isto elegantius, & commodius ab Imperatore Rudolpho II. Domino meo glorioſiſſimo, & invictiſſimo inventum est. Nam id translatione nulla opus habet, quia mappam ipsam in plano chartaceo aspiciente eo, qui iter pedes facit, describit. In superiori enim sui parte vitrum est sub quo tota mappa solitariis punctis notatur, quæ non ab acu Magnetica perforantur, sed ab orbiculo sub charta latitante, quem cum alio illi adiuncto agitat in hanc, vel illam partem Magnes. Id instrumentum, quia difficillimum est, à me nunc non describitur: nam reservatur pro volumine, & theatro instrumentorum mechanicorum.

Usus Magnetis ad horas in horologiis solaribus ostendendas, à me non explicatur, quod lippis, & tonsoribus notissimus sit.

a *Sunt quidam (quod credo impossibile) qui cum remotissimis loqui se posse existimant, permutatione partis carnis suæ ex musculo bicipiti brachii, eaq; rotundæ, ut in ea circumcirca scribi possit alphabetum. Hoc facto statuto tempore, die, ac hora, si unus eorum pungat se in A verbi gratia, alter etiamsi decesserit in Indiam, sentiet se quoque vellicari in A. Quomodo autem permutatio carnis fiat, consule Chirurgiam novam curtorum Taliacotii.*

b *Libro 34. Naturalis historiæ cap. XIV. littera g.*

c *Libro 36. cap. 26. littera a.*

## Cap. CCLV.

### *De Magnete carneo, quam Calamitam albam vocant.*

CAlamita alba ab Italis dicta, lapis est albus, ac lineis nigris inscriptus, qui linguæ admotus illi firmiter adhæret, ego ad Osteocollas aut porosos lapides, & qui inter terras, & lapides medii sunt, nec admodum duri, referrem.

Adhæsio enim firma fit, quia humor linguæ se immittit intra poros lapidis, ac mollior lapidis pars, intra poros linguæ. Hunc *a* Cardanus inter Magnetis genera recenset, ac ut ille ferrum, ita istum carnem ad se trahere recenset, ac istius facultatis esse, ut si stili ferri mucro eo fricetur, ac in musculi carnem agatur, extracto ferro subito vulnus coeat quasi nullum inflictum fuisset. Reperitur in Elba Hetrusci maris insula, verum ille miracula dicta non præstat. Refert Cardanus se vidisse, qui præstaret, sed dubitat num magica ars adhibita fuerit, nec ne.

a *Libro* VII. *de subtilitate.*

## Cap. CCLVI.

### *De Pantarbe, seu Magnete aureo.*

PLures authores neoterici Pantarben aurum, ut Magnes ferrum, attrahere scribunt. Sed nemo se huiusmodi lapidem vidisse, qui id præstaret, asserit. Si in rerum natura esset, profecto utilissimus esset ad venas auri, & thesauros inveniendos. Nam monstrante lapide ex diversis partibus locum, in linearum decussatione invenirentur. Num itaque sit, nec ne, disputari non potest: si sit, suo tempore eum

eum in lucem promet natura, quæ multa adhuc ignota in sinu suo continet. *a* Plinius lib. 39. cap. 10. aureum Magnetem his verbis videtur describere: Amphilane alio nomine appellatur Chrysocolla in Indiæ parte, ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro similis quadrata figura, affirmaturque natura eius, quæ Magnetis, nisi quod trahere quoque aurum traditur, forte marchasitæ aureæ species, quæ facie quadrata, & quasi auro tincta apparet. *Amphilane.*

a *Hic locus non habetur lib. 39. cap. x, sed lib. 37. Naturalis historiæ cap. x. littera g.*

## CAP. CCLVII.

### *De Magnete argenteo.*

SCribunt nonnulli Magnetis genus esse quod argentum trahat, ut vulgaris Magnes ferrum, quos Cardanus falli putat. Quia si argentum trahitur à Magnete, id propter ferrum, quod in se continet, fieri arbitratur. Ego Hactenus lapidem non vidi, neque quispiam est, qui se vidisse scribat. Cur autem natura æque bene, qui argentum trahat, quam qui ferrum, habere non possit, non video, cum rerum varietate ludat, & se exornet. Argentum vivum ad se trahere aurum, & argentum, Spagyricis & Pyrotechnis iam diu notum est. Imo impostores chymici, huius rei notitia, multos defraudant. Dum enim Cynabrii partes se in argentum transmutare posse asserunt, id cum argenti laminis urunt, vocant id cæmentare. Tum argentum vivum quod latitat in Cynabrio, ad se aliquam argenti portionem allicit, qua absoluto opere reddita, putant se aliquam, ut dixi, Cynabrii partem transmutasse.

mutasse. Sed falluntur cum id argenteis laminis decesserit, & sæpe plus (igne aliquid consumente) quam extraxerint. Simili fuco multos decipiunt, dum mercurium præcipitatum aureæ patinæ imponunt, illumque spiritu vini perfundunt. Quo accenso, & extincto, præcipitatus mercurius excalefactus nonnihil auri ex patina ad se nulla visibili in patina nota, aut macula relicta fugit: qui postea eadem forma, qua antea fuit, exemptus, quantum attraxit auri tantum reddit. Quod tamen ex auro attractum esse negant chymici, asserentes ex mercurii aliqua portione, à vi auri in illum agentis, generatum. Sed id falsum est, cum tantum auro decesserit, quantum mercurius attraxerit. Ut ergo argentum vivũ metalla attrahit, ita lapides esse posse qui idem efficiant, nemo negare in tanta naturæ ubertate debet.

## Cap. CCLVIII.

### *De Belemnite officinarum, Lyncurio, & Dactilo Ideo.*

BElemnites lapis, seu Dactilus Ideus sagittæ (quæ Græce Βέλεμνον dicitur) effigiem ita exacte refert, ut videatur ferrea, aurea, argentea, aut lignea cuspis sagittæ in lapidem versæ, habet enim interdum armaturam ferrei, aurei, aut argentei coloris, ac intus quid ligno non absimile, nunc plenus, nunc concavus, ut ligna esse solent, & lineas à medulla ad extremitates procedentes, ut in rotis fieri solet. Si concavus sit, intus habet terram, arenam, vel lapidem in conum acutum, turbinatum, etiam concavum, nec minus terra, vel arena repletum. Lapis quem continet Belemnites aurei coloris armatura tectus plerunque constat ex crustis tanquam membranis quibusdam, primo latis, mox magis, ac magis stri-

ſtrictis. Raro etiam pollicis, aut digiti longitudinē, & communium ſagittarum craſſitiem excedit. Inventæ tamen ſunt tibiæ, humanæ tibiæ craſſitudine, ita ut quis baliſtarum, & machinarum bellicarum ſagittas veterum in lapides commutatas non inepte exiſtimare poſſit. In officinis horum lapidum nonnulli Lyncurii vocantur, præſertim illi qui Succini Falerni colorem habent, & pellucent, aut paleas aliaſque res minutas tanquam Succinum ad ſe trahunt. Omnibus à natura ineſt quædam quaſi rima, qua fit ut facilius in longitudinem diffindantur; ſed ea pellucidis quam cæteris magis eſt conſpicua, Germanice vocatur *Alpfeſſcht albſchos*, id eſt incubi ſagitta, *Schoſtein, Luchſtein, Rappenſtein.* Uſtus hic lapis grave olet, videlicet cornua, vel oſſa uſta, vel felium urinam, & ne uſtus quidem odorem deponit. Dum niger eſt Coracias, aut corvinus lapis dicitur Germanice *Rappenſtein.* Maximi interdum Ceraunitis, proprie Belemnitis nomine appellantur. Qui humani digiti magnitudinem habent proprie Idei Dactili vocantur à digiti ſimilitudine, & ab Ida Cretæ monte. Olim Corybantes vocabantur. Omnes uſti, vel candidi, vel cinerei efficiuntur. Ac ſi confricentur non uſti, cornu bovis limatum, vel uſtum olent, Omnes iſti lapides ex ampla radice deficiunt in tenuiſſimam aciem, ac ineſt quæ-


*Lyncurii.*

*Coracias.*

*Ceraunitis.*

*Ideus Dactilus.*

*Corybantes.*



quædam quasi rima; qua fit ut si malleo percutiantur facilius in longitudinem diffindantur, ea in pellucidis magis est conspicua, & interdum aurea armatura vestitur. Substantia omnium fere friabilis est, ac plerunque constant cortice, & parte interiore carnis instar; nonnullis etiam medulla inest mollior.

## Cap. CCLIX.

### *Differentiæ, & loci natales.*

Differentiæ eius plures sunt, inveniuntur enim albi, nigri, cinerei, pellucidique vini Falerni instar, & semipellucidi linea per medium divisa è fusco candicantes, vel subruffæ obscurius radiatæ, nec adeo fœtentes, quam pharmacopæi pro lapide Lyncis, vel Lyncurio venditant: deinde alii armatura aurea, vel argentea ornati, alii ossa, vel cornua usta, vel felium urinam olent, alii nihil. bene olent candidi Hildeshemii, qui in se lapidem durum, & nigrum continent Succini odore. Alii intus pleni, alii concavi, alii intus alium lapidem, alii arenam, vel terram continent, alii paleas trahunt, ut Lyncurii dicti, alii non. Una invenitur species intus atra, & leniſſima, nullis radiis, foris albicans, tanquam crusta è creta inducta, substantia duriſſima, ut & ignem emittat, tanquam silex, fœtore nullo, magnitudine & figura pollicis superiorem articulum referens. Qui Succini Falerni colorem, & ex altera parte pellucentes, lineam mediam secundum longitudinem habent, & subruffi, ac parvi sunt, officinis Lyncurii dicti, in Boruſſia prope Regiomontem magna copia ex monte effodiuntur, ut etiam in Pomerania. Cinerei, & candicantes inter urbem Hildeshemium, & arcem Mariæburgum in Marmoreo

*Lyncurius.*

moreo antro, quod à nanis appellatur, ad siniſtram inveniuntur. In foſſa etiam meniorum Hildeshemii generatur lapis hic aurea armatura extrinſecc ad radicem conveſtitus, quæ ſine arte mirifice nitet, atque imaginem ſpeculi inſtar reddit. In foſſa vero meniorum, quæ ſpectat ſeptentrionem, reperitur Belemnites ſeſqui pedis longitudine, ac brachii craſſitudine, à pluribus Ceraunites appellatus. Reperitur Belemnites non ſolum in prædictis, ſed variis Germaniæ locis, ut circa Siblingam pagum, qui Schafuſia Heluetiæ itinere duarum horarum diſtat, & in vicinia ſupra Halloniam, & iuxta Æzingam, in agris aſperis, & lapidoſis iuncti aliquando reperiuntur baſibus. *a* Plinius in Creta ferreo colore pollicem humanum exprimere aſſerit, ac inveniri in monte Ida, unde nomen Dactili Idei proculdubio obtinuit. Petrus Bellonius ſingularium ſuorum lib. 1. cap. 15. tradit Dactilum Ideum, ſeu Belemniten, in monte Divi Ioannis dicto prope Lucemburgum oppidum naſci tanta copia, ut cum Gallorum Rex Franciſcus munimentum eo in monte extrui iuſſiſſet, foſſores cum ad profunditatem trium paſſuum fodiſſent, nihil uberius invenerint, eoſdemque falſo lapidum Lyncis nomine pharmacopæis vendiderint. Gippingæ in ducatu Wirtembergenſi quatuor miliaribus à Tubinga in magna copia ex agris inter arandum hi lapides eruuntur.

*Ceraunites.*

*Locus.*

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera m m, Lyncurij etiam meminit Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. lib. 2. cap. 74. qui ibidem plura tradit.*

CAP.

## Cap. CCLX.

*Facultates, natura, & dignitas.*

DIximus supra Belemnitem ab Ephialte, & sagitta Germanice dici *Alpschos*, putant enim Germani potum contra huiusmodi suppressiones, noctisque ludibria valere, ac fascinationibus occurrere. Borusscicis, & pomeranicis chirurgi curant vulnera, ac medici Saxones, & Hispani calculos non aliter, quam lapide Judaico frangunt. Putatur etiam ad pleuritidem, quia mucronem habet, valere, & ad dentes expurgandos, si ustus fuerit. Sunt qui oculis equorum ad exterendas cicatrices, ustum inflent. A pharmacopæis pro lyncurio lapide expetitur, præsertim minor, qui semipellucidus est, subruffi coloris, ac cum media linea secundum longitudinem.

*Ad calculum.*

## Cap. CCLXI.

*De Ceraunia.*

CEraunias (inquit *a* Georgius Agricola) ex eo nomen invenit, quod cum fulmine, ut vulgus credit, decidat. Caret striis, & lineis, atque in hoc differt à Brontia. Lævis est, nunc rotunda, nunc oblonga. Eius genera coloribus distinguuntur, Germanice *Straalhamer*, *Donnerstein*, *Schlegel*, *Donnerkeil*, *Stralkeil*, *Stralpfeil*, & *Stralstein* appellant, imo aliqui *gros krottenstein* vocant. Itali *sagetta*, quo nomine etiam Glossopetram appellant. Longi sunt sæpe digitos quinque, lati tres in ea parte qua latissimi sunt. Cuneum plane referunt. Crassitudo eis pollicaris. Interdum in medio corporis graviſſimi, & duriſſimi sunt, silici vulgari, ex quo ignis excuti-

cutitur, substantia similes, interdum tam duri sunt, ut limam non sentiant. Carent omnes striis, & lineis, atque in hoc differunt à Brontiis, quos aliqui fulmine deiici putant. Plerunque omnes ea in parte, in qua æquilibrium lapidis consistit, foramen pollicis, aut maiori crassitudine si magnus sit lapis, habent; idque exacte rotundum est, eaque constitutione, ut una pars foraminis latior sit altera parte, non secus quam in malleis arte factum foramen conspicitur. Ea enim pars, quæ manui percutientis proximior est, & per quam lignum intromittitur alteri foraminis parti, latior visitur. Quia autem omnes isti lapides, vel malleum, vel cuneum, vel securim, vel vomerem, vel similia instrumenta foramina habentia pro immittendo manubrio, forma simillima sunt, nonnulli non fulminis esse sagittas, sed ferrea instrumenta, in lapides longo tempore mutata, existimarunt. Illorum profecto opinionem probarem, nisi multi fide digni viri reclamarent, qui postquam à fulmine ictæ domus, aut arbores sunt, se tales lapides in ictus loco reperisse asserunt. *b* Kentmannus Cerauniam lapidem per molam venti Torgæ anno 1561. Maii 17. fulmine proiectum narrat, qui è terra erutus, latitudinis fuit trium digitorum, longitudinis quinque, Bisalte lapide, quo in Germania in locis ubi effoditur incudis loco utuntur, durior. Idem author prope arcem Juliam alium lapidem per ingentem quercum deiectum, & effossum, atque in pago Siplitz eodem modo per quercum traiectum effossum, & quæstori Torgensi dono datum refert. *c* Gesnerus lapidem è cœlo delapsum anno salutis 1492. Ensishemii in templo suspensum servari pondere trecentarum librarum scribit. Audivi etiam à multis se præsentes fuisse, cum post fulminum ictus huiusmodi lapides

effoderentur, penes quos omnes fides maneat. Extant de hoc lapide versiculi sequentes, prioris ævi barbariem olentes,


*Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus æther,*
*Nubibus illæsus cœlo cadit iste lapillus,*
*Qui caste gerit hunc, à fulmine non ferietur,*
*Nec domus, nec villæ, quibus adfuerit lapis ille.*

Tam constans est fama fulminis esse sagittam, ut si quis hanc vulgi opinionem refellere velit, insipiens videatur. Sed quo pacto in nubibus huiusmodi lapis, & tam gravis generari possit, multi mirantur. Physici hunc modum tradunt. Exhalatio fulgurea, & fulminea, cum metallica quadam materia mista, in nube plerunque viridi, aut nigricante conglobatur ab humore circumfuso, & conglutinatur, sicut farina conglutinatur in massam ab infusa aqua. Deinde vero superveniente intensissimo calore, partim ex Sole, & stellis, partim ex antiperistasi, illa fulminea massa subacta quasi excoquitur, & ab igne fulgureo in solidissimum corpus lapideum induratur, sicut lateres ex luto humectato compacti, coquuntur, & in lapideam formam ab igne in lateritia fornace ardente indurantur. Fulminis autem telum acuminatur eo, quod humidum admistum, à sicco effugere nitens, ad inferiora tendat, ibiq; reprimatur: superiore vero parte densius redditur, quia siccum ibi conglobatur. Lapis itaque Ceraunias cum adiuncta exhalatione in nube ab humido frigido circumstante ita pressus, ut in tam parvo loco amplius consistere non possit, nubem in qua tanquam in ovo concluſus est, rumpit, tonitrum, & fulgur efficit, ac in obvia quævis celerrimo motu fertur, quæ scindit, dissipat, inflammat, atque prosternit. Sed si hic verus modus est quo lapis ille generari inter nubes potest, mirum est quod

*In nubibus lapides generari.*

quod rotundus non sit ex omni parte, & quod foramen habeat circa mediam partem, idque non æquale, sed altera parte latius. Lapides tam subito nasci tali duritie, tantoque pondere in nubibus un-

*Ceraunię figurę.*



dique perviis vix credibile est. Tempestatum vi ex rupibus ad nubes tolli, ac deinde in terram proiici æque difficulter admittit ratio.

a *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.* 13.

b *Hæc verba habentur in Conrado Gesnero de Fossilibus (edit. ut cap.* 52. *huius libri monuimus) fol.* 62. *verso.*

c *Libro de Fossilibus fol.* 66.

## Cap. CCLXII.

### *De Ceraunię differentiis, & loco natali.*

CEraunię genera coloribus distinguuntur. Nam alii sunt candidi, & pellucentes: alii fusci, nigri, vel rubei. Plinius post Ceraunię gemmæ mentionem, inquit: Sotacus & alia duo genera fecit Ceraunię, nigras, rubentesque, ac similes eas esse securibus: per illas quæ nigræ sunt, & rotundæ, urbes expugnari, & classes, easque betulos vocari; quæ vero longæ sunt Ceraunias. Faciunt & aliam raram admodum, & Parthorum Magis quæsitam, quoniam non aliubi inveniatur, quam in loco fulmine icto. Ad Albim Germaniæ inveniuntur Crystallo similes infecti colore cæruleo, diversaque forma, nonnunquã pyramidis, ut repræsentent turbinem saccharinum, nonnunquam cunei, disci, mallei, securis, vomeris, & clavæ instar. Interdum cuneiformis Ceraunias colore viridi repertus est. Inveniuntur etiam qui Belemniten referunt, quem aliqui si maior sit, utpote si proprie Belemnites dici debet, tonitru deiici autumant, ac propterea Germanice etiam *Donnerstein* appellant. Reperitur Ceraunias in variis Germaniæ locis, & in Hispania candenti colore ut ignis ferme.

## Cap. CCLXIII.

### *De natura, & facultatibus Ceraunię.*

HOc proprium, ac admiratione dignum (si verum sit) Ceraunię tribuitur: quod filum illi ita applicatum, ut nusquam duplicatum omnes eius partes tegat, si prunis ardentibus imponatur, uri non possit, sed madescat, atque ea ratione deprehenda-

hendatur num genuinus sit, necne. Existimant Germani lactentes pueros si herniis corripiantur, lapide cunis impositoreſtitui, aut si vitium hoc nondum susceperint, ab eo præservari. Marbodeus eum, qui caste hunc lapidem gerit præcedenti versiculo indicat, neque ipsum, neque domum in qua est, à fulmine feriri. Fertur etiam somnum provocare, & valere ad prælia, causasque vincendas. *Ad hernias.*


## CAP. CCLXIV.

### *De Chelonitide, Brontia, & Ombria.*

CHelonitis, Brontias, seu Ombrias, Germanice *gros krottenstein* vocantur, alias *donnerstein*, vel *VVetterstein*. Putant enim aliquando tonitru, aliquando tempestate, & pluviis absque tonitru, deiici hunc lapidem. Qui tonitru deiicitur Brontiam, qui imbre Ombriam vocant, quasi diversæ sint species, cum tamen non sint. Differunt tamen hi lapides inter se sæpe colore, & forma, ut multis aliis contingit. Nam alii sunt sublutei, subvirides, subfusci, aut alterius coloris. Figura ipsius hemisphærica, raro oblonga, interdum ovi magnitudine, sed sæpius minor est. De his *a* Agricola. Nonnullis bini sunt circuli instar modioli quod supra axim rotarum movetur, & radios rotæ sustinet; à quorum modiolorum superiori parte, quinæ lineæ eminentes æqualibus inter se spatiis divisæ procedunt ad inferiorem, quarum singulæ utrinque striam habent. Totidem rursus lineæ eminentes à superiore circulo per media spatia discedunt ad inferiorem, è quarum singulis utrinque multæ lineæ trausversæ pertinent ad strias proximas. Inter eas autem semper sunt humilia spatia quadrata. Aliqui vero tantummodo habent has postremas quinas lineas de-

ſcendentes cum multis tranſverſis, & ſpatiis non admodum longis: reliqua autem media ſpatia tota eminent, carentque & lineis, & ſtriis. Nonnulli eodem modo ſe habent, niſi quod linearum loco habeant ſtrias, & quod ſpatia tranſverſa emineant. Scribit *b* Plinius Brontiam capiti teſtudinum eſſe ſimilem, ſed mihi teſtudinis corpus potius referre videtur: ut quis exiſtimare non inepte poſſit, eſſe nuper ex ovis excluſas teſtudines in lapidem converſas. Sunt enim hemiſphærica figura teſtudines, & convexum operimentum variis quadrangulis diſtinctum habent, quod in minoribus ſtrias referre poteſt. Deinde eum habent plerunque colorem, quem teſtudinum chelis, ut & à forma non inepte Chelonitidis nomen habeant. Ab hoc lapide Ceraunias, ſi ſimili forma hemiſphærica ſit, differt,

*Chelonitio.*



quod lævis ſit, & nullas eminentias habeat. Ombriam volunt quidam à Brontia diſtinguere. Quod hic magnas eminentias habeat, ille exiguas. Ab Ovo Anguino Brontias differt, quod Ovum caudas ſerpentum in unum punctum concurrentes videatur habere, Brontias vero lineas tantum. Ut tamen dicam quod ſentiam, puto ovum anguinum à Brontia tantum exteriori forma diſtingui.

*Ovum Anguinũ.*

a *Libro* v. *de Natura Foſſilium cap.* 13.

b *Libro*

b *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera o.*

## CAP. CCLXV.

### *Vires & facultates.*

PRædicatur Brontias, vel Ombrias, omnes eas habere facultates, quas lapis Bufonius, Belemnites, & quas Ovum Anguinum, fortassis quod aliqui à Bufone generari, alii à fulmine deiici, alii ab Anguium sufflatu generari opinentur. Id si verum sit prohibebit ne quis à fulmine lædatur, aut à veneno intoxicari possit. Veneno enim præsente Bufonis lapis sudare, ac prodere venenum, nec non Belemnites somnum, victoriamque conciliare gestanti dicitur. Virtutes sane non contemnendæ si illas habeant, sed fides sæpe veritate maior.

## CAP. CCLXVI.

### *De Marmoribus.*

MArmor lapis est insigniter durus, ac ad splendorem suscipiendum si poliatur ita aptus, ut statuæ, vel columnæ egregie nitentes inde sculpi possint: Græce μάρμαρος & παρὰ τὸ μαρμαίρειν, id est, à splendore sic vocatus. Germanice *ein marmelstein*, dicitur, idque nomen omni fere in lingua servat. Duritiem habet marmor propter optimam concretionem, ac nitorem propter materiæ æquabilitatem, & puritatem. Concrescit autem beneficio exhalationum, & aquarum, quæ subtilissimam terram subingrediuntur. Exhalatio colores suppeditat calore agens in materiam, & aqua partes unit, & coniungit: qua expressa elapsa, vel exsiccata, indurescit lapis. Aqua huiusmodi raro simplex est, sæpe enim nitro, Sale, aliove metallico liquore imbuta

est, ut terreas partes minuere, & melius coniungere possit. Ad promovendam autem Marmoris generationem non solum calor, sed interdum frigus subterraneum, aut remissus caloris gradus, ut melius compingi materia possit, necessarius est, exiccat enim sæpe frigus, & humorem superfluum cogendo è materia exprimit. Pro exhalationum, & materiæ accurrentis diversitate, varia Marmorum genera fiunt. Si materiæ non unius generis sint, ac lapilli molliores, vel duriores, terreis particulis misceantur, Marmora fiunt ignobiliora, ac quodammodo scabiosa, non æqualiter cohærentibus partibus. Ista commode sculpi non possunt, quod silicis instar dissiliant, & recte Granulata vocari possunt. Omne fere Marmorum genus cum primum eruitur è fodinis mollius est, ac tempore postea adeo indurescit, ut vix scalpi possit, idque omnibus lapidibus commune, ut ætate magis indurescant. Quædam tamen Marmora citius, quædam tardius indurantur, ac longo ævo iterum emolleſcunt, exeduntur, tandemque in terram resoluuntur. Marmoris omnes partes non eodem tempore semper generantur, sed interdum successive: Sæpe enim Marmoris particulæ variis coloribus ab exhalationibus tinctæ, primum indurantur: deinde accedente nova exhalatione, & materia tanquam calce, particulæ illæ ferruminantur, ac tota massa in unum lapidem distinctis maculis, & coloribus, coit. Si exhalatio tenuis, & subtilis fuerit, ac intimas partes penetraverit, optimus, æqualis, & exactus lapidis fiet coalitus. Coloris varietas in Marmore, exhalationis varietatem ostendit. Deinde facile quivis notare poterit, in eodem Marmore, quæ simul ascenderit, & concreverit, quæque posterius advenerit, ac quæ corpus ferruminarit. Sed, ut dixi paulo ante, exhalatio

*Granulata Marmora.*

latio sola, absque minerali succo, cuius vehiculum aqua est, id vix præstare potest, exemplo calcis, & arenæ. Ferruminatur enim arena cum calce simplici quidem aqua: verum dum iis commiscetur, sale & nitro calcis prægnans fit, ac utriusque substantiam in aquam soluit, atque in se recipit. Deinde utramque materiam humectans subit, complectitur, iungit, & unit. Quo facto in auram ipsa aqua evanescit relicto nitro, & sale, diffusis per calcis & arenæ omnes partes, à quibus illæ tandem omni humido privatæ firmiter connectuntur, & lapidescunt. Marmorum genera multa sunt, cum nulla certa illis figura, neque color sit. Aliqua alba sunt ut Parius lapis, & Alabastrites. Alia nigra ut Basaltes, & Lydius lapis, alia variis coloribus, ut Porphyrites, Ophites, & cæteri de quibus sequentibus capitulis agam.

## CAP. CCLXVII.

### *De Pario marmore.*

MArmoris eximii species est Parius lapis ab Insula Paro, vel sculptore Agoracrito Pario nominatus, qui Venerem ex eo lapide primus sculpsit. Hodie *VVeissermarmelstein* vocatur, ac à nonnullis ei Alabastri nomen tribuitur: cum tamen Alabastrum varios colores habeat, & longe mollius Pario sit. A veteribus etiam Lychnitis appellabatur, *Lychnitis.* quod, Varrone teste, ad lucernas in cuniculis cæderetur. *a* Cardanus omne Marmoris genus fere Parium vocat; sed candidissimum, durissimum, & quod politum egregie splendet, Parium solum vocari debet, similitudine veri Parii Marmoris, quod solum in Paro insula reperiebatur, ac vix unquam humanam magnitudinem mole sua superabat. Re-

peritur nunc in variis Italiæ locis. Parii lapidis duo sunt genera. Alterum transłucens, alterum non.

*Phengites.* Prius, Phengites *b* Plinii, est in Cappadocia repertum, ex quo Nero ædem fortunæ, quam Seiam, à Servio rege sacratam appellant, construxit. In ædibus illis interdiu claritas ibi diurna fuit, tanquam incluła luce non transmiłła: prorsus eodem modo, quo per chartam simplicem non transparentem, nec oleo inunctam, lux transmittitur. Ab Alabastro vulgari tantum duritie distat, & splendore cum politus est. Nam vulgare Alabastrum etiam lucem transmittit. Effoditur candidissimum Marmor in agro Lunensi Hetruriæ, quod Carrariense vocatur ab oppido vicino. Ex eo Pisis in templo D. Ioannis Baptistæ spectatur pulpitum variis statuis insculptum nitore eximio, ad Alabastritis genera referendum si molle sit.

a *Libro* VII. *de subtilitate.*
b *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 22. littera d.*

## Cap. CCLXVIII.

### *De Alabastrite, & Alabastro vulgari.*

ALabastrites, seu Alabastrum veterum, olim inter Marmoris species referebatur, meo tamen iudicio ab illis, si non colore, duritie distingui potest. Mollior enim est, ac ita ut vascula ad unguenta servanda inde fieri possint; unde nomen obtinuit. Si tam mollis sit, ut cultro scindi possit, etsi vulgo Alabastri nomine appelletur (quod nomen omnibus fere linguis servat) tamen Gypsi potius species est. Videtur dum ita molle est Alabastrum, incoctus esse Alabastrites, & ille incoctum, & imperfectum Marmor. Omni enim dubio procul dum incipit

cipit Marmoris generatio, primo ipsius substantia lutosa est, ac paulatim per gradus magis, magisque indies indurescit, donec in solidissimum Marmor evadat. Alabastrum vulgare ab Agricola interdum Germanice *spat*, vel *gyps* appellatur. Cum egregium est, & pulchrum, Alabastri nomen retinet.

## CAP. CCLXIX.

### *Differentiæ Alabastritidis, locus ubi inveniatur, & usus.*

OMni genere colorum invenitur Alabastrites. Circa Thebas, Ægyptias, & Damascum Syriæ candidissimus invenitur. Præstantissimus in Caramania, India, & Asia. Probantur *a* Plinio maxime mellei coloris in vertice maculosi, atque non translucidi, vituperantur, quæ corneum habent colorem, aut vitro similes sunt. Eximii candoris sunt Lydini vocati in Tauro reperti, amplitudine, qua lances, crateraſque non excedant: antea ex Arabia tantum advehi soliti. Coralicius in Asia repertus, candorem eboris habet, eiusque similitudinem. Alius ab unguis humani colore, Onyx dictus est, *Onyx.* qui à gemma illius nominis, magnitudine, mollitie, & ustione differt. Uritur enim Alabastrites, nequaquam Onyx gemma. Inter Arabiæ montes primum inventus fuit, postea tempore Plinii in Italia, ubi ex eo fiebant vasa potoria, pedes lectorum, sellæ, amphoræ, urcei, & similia. Ex hac specie etiam columnæ inventæ fuerunt. Ad Alabastriten referri potest Alabandicus niger Mileti nascens, ad purpuram aspectu declinans, quia igni liquatur, ac funditur ad usum vitri. Alabastrites Thebaicus dictus intertinctus aureis guttis invenitur in Africæ parte Ægypto asscriptæ, coticulis ad terenda collyria

ria quadam utilitate naturali conveniens. Circa Syenem vero Thebaidis adhuc alius reperitur Syenites, alias Pyrrho pœcilon dictus, ex quo trabes fecere reges, obeliscos vocatos Solis numini sacratos.

*Marmor Carrarienſe.*

Hoc tempore candidum Alabastriten fert ager Lunensis in Hetruria, is Marmor Carrarienſe vocatur à vicino oppido. Ex eo constitutum pulpitum, variis figuris insculptum nitore eximio Pisis in templo D. Ioannis Baptistæ. Fert etiam candidum ager Patavinus, sed omnibus aliis præferendus Ratisbonensis, è quo tabulæ mensarum fiunt, & ex quo ara Anabergica constructa est, eximia pulchritudine lapis. Candidissimus etiam in Thermis Carolinis reperitur, ac Ebori similis Hildeshemii cinerei coloris, & subviridis Zeblicium Marmor vocatum, Germanice *Serpentinſtein*, quod in Misnia invenitur, & ex quo pocula, & cochlearia fiunt. Ego id Alabastrum Ophites vocarem. Varii coloris variis in locis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ inveniuntur ad vascula formanda. Ut Alabastritidis, ita Alabastri varia sunt genera, quod tanto mollius est Alabastrite quanto ille mollior Marmori. Hoc videtur proprium Alabastro præsertim candido, quod uri, ac in Gypsi locum (cuius species à nonnullis statuitur) succedere possit, ob quam causam etiam Germanice, ut ante admonui, à nonnullis *Gyps*, vel *ſpat* vocatur. Mihi tamen magis probatur (cum & Alabastrites uri possit) si tantum mollitie differre ab Alabastrite statuatur, ut videlicet Alabastrum cultro scindi, Alabastrites non possit, aut si mavis Alabastrites impositа unguenta, vel humorem in se non trahat. Alabastrum vero plane in se sorbeat, ut interdum per corpus ipsius transudet. In Volaterano, sicut in Misnia, in Burgundia, ad S. Claudium, multisque aliis Europæ locis Alabastrum effoditur pul-

*Zebliciũ.*

*Ophites.*

*Locus.*

pulcherrimum, & candidissimum. Volateranum facillime uritur, nec ingenti mole reperitur. Id aliquando Onychis instar pellucet, fragile admodum, ac aspectu, quia varium, gratissimum. Variis præterea coloribus, Jaspidis instar, prope Moguntiam invenitur, ex quo monumenta, & Epitaphia fiunt visu iucundissima. Molle est admodum, ac potius nondum perfectus Jaspis, quam imperfectum Marmor videtur. Vividos enim habet colores, ac frustulis non magnis (ut in Marmore) sed exiguis interiectis etiam venis subtilioribus, distinguitur.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 22. littera d.*

## CAP. CCLXX.

### *De Alabastritis, & Alabastri viribus.*

ALabastrites lapis in vascula aptatus, optime imposita unguenta, ne corrumpantur, conservat. Qui Onychis colorem habet, ustus, ac resinæ commixtus, *a* Dioscoride teste, durities resoluit, ac cum cera mixtus dolores stomachi compescit, gingivas adhibitus constringit. *b* Galenus etiam ad ventriculi dolores propinari asserit.

Alabastrum candidum in pulverem redactum, ac cum lacte ebibitum scrupuli pondere, dysenterias, alvique fluxus certo experimento sanat, vehementer enim constringit. Si magna copia sumatur, Gypsi instar, nocere potest. Ustum quia humore quovis concrescit, intrinsecus sumi non potest, strangulat enim, vel gravi dolore ventriculum premit. Aqua in qua solutum est Alabastrum ustum, oculorum lachrymis exiccandis non parum prodest, omnesque alias, quas Gypsum, obtinet facultates.

*Ad dysenterias, & alvi fluxus.*

a *Libro*

a *Libro* v. *de re medica cap.* 110.

b *Galenus lib.* IX. *de simplicium medicament. facultat. Notandum ex hoc lapide sumpsisse nomen, Unguentum Alabastrinum Benedicti Victorii Faventini, descriptum in Empirica sua cap.* 1. *de dolore capitis, quod iam in frequenti usu est, prodestque in omni dolore capitis, sive per essentiam, sive per consensum, sive febris adsit, sive non: ac in omni tempore paroxysmi, excepto principio.*

## Cap. CCLXXI.

### *De cinereis Marmoribus.*

IN Germania, & Italia cinerei coloris variæ Marmoris, Alabastritidis, & Alabastri species reperiuntur. Hildeshemii effoditur quod cornu ustum oleat, aliud quod incolæ serpentinum vocant venis, punctisque candidis, flavis, & nigris distinctum, id Zeblicium ab oppido Misenæ in Saxonia ab Agricola vocatur. De quo plura, quia plerunque viride est, scribam in cap. de viridibus Marmoribus, ubi etiam Tiberium, & Augustum Marmor describam, quæ videntur cinerea fuisse. Reperitur aliud Rochlicianum interdum maculis luteis ornatum, interdum nigris, quæ sunt cornicum ungulis similes. In Italia aliud est nigris maculis, quæ serpentibus similes sunt.

*Zebliciũ.*

*Tiberium. Augustiũ.*

## Cap. CCLXXII.

### *De nigris, fuscis, ac lividis Marmoris speciebus.*

INter nigra Marmora narratur Basaltes, seu Basanites, lapis Lydius, seu Chrysitis Alabandinus, de quo in capite de Alabastrite egi, Obsidianus lapis, Buga Hispanorum, & veterum Marmor Numidicum

*Chrysitis. Alabandinus. Obsidianus. Buga.*

cum quod interdum liveſcit, interdum flaveſcit. Lividum eximie ſplendet: tale Piſis in templo cathedrali conſpicitur. Nam ex eo Herculis ſtatua à Piſanis ex Numidia tranſlata, Marmorei ſuggeſti fulcrum, vice columnæ eſt. De eo *a* Plinius ita ſcribit: M. Lepidus Catulli in ſenatu collega, primus omnium limina ex Numidico Marmore in domo poſuit magna reprehenſione. Hoc primum invecti Numicidi Marmoris veſtigium invenio, non in columnis tantum, cruſtiſve, ut Mamurra Caryſtium Marmor poſuit, ſed in maſſa, ac viliſſimo liminum uſu. Ex Numidico flaveſcente multæ columnæ Romæ extant. Nigrum Marmor eſt Luculleum à Lucullo conſule dictum, qui primus id Romam invexit ex Nili inſula, ubi reperitur. Obſidianus lapis nigerrimi coloris, ab Obſidio primum inventus in Æthiopia, Marmoris genus eſt. Hic aliquando tranſlucet, craſſiore viſu, atque in ſpeculis parietum pro imagine umbras reddit. Gemmas multi ex eo faciunt, teſte Plinio, qui ſic inquit lib. 36. cap. 26. Videmus (ſupple ex Obſidiano) ſolidas imagines D. Auguſti, capti materia hnius craſſitudinis: dicavitque ipſe pro imiraculo in templo Concordiæ Obſidianos quatuor elephantos. Remiſit & Tiberius Cæſar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi in hæreditate eius, qui præfuerat Ægypto, Obſidianam imaginem Menelai. Ex quo apparet, antiquior materiæ origo, nunc vitri ſimilitudine interpolata. Xenocrates Obſidianum lapidem in India, & in Samnio Italiæ, & ad Oceanum in Hiſpania naſci tradit. Huic non diſſimile Marmor effoditur Seravitiæ, & Carrariæ in Hetruria, adeo nigrum, ut cum perpolitum eſt ſpeculi inſtar ſinceras imagines reddat. Huiuſmodi Piſis ad valvas Eccleſiæ cathedralis conſpicitur. In Seravitia fodina extant

*Lucullleum.*

*Obſidianus.*

tant atra Marmora, distincta venis candidis, & aureis. Ex priore Marmore quod venas albas habet, duæ columnæ positæ in campo sancto Pisano ad monumentum, quod Gregorius 13. Pont. Max. fratri posuit, extant. Vocant Itali hoc Marmoris atri genus Paragone, quia eo lapidis Lydii vice utuntur ad aurum examinandũ. Reperitur huiusmodi nigri Marmoris genus etiam in Belgio, quod à Belgis *Toutstein*, à Gallis *Pierre de touche*, à Germanis *probierstein* vocatur, quia examinando auro & argento, quorum signum ad se rapit, utile est. Ex hoc Marmore monumenta aliquot, & sedes tres egregie elaboratę, splendentes, & nigerrimæ, in choro templi cathedralis in urbe celeberrima Brugensi spectantur. Ex eodem lapide Tumba illustrissimi ducis Mauritii electoris dicitur constructa, & tabulæ nonnullæ in quibus epitaphia inscribuntur. Invenitur etiam atrum Marmor in Belgio, quod sulphur, & aliud, quod cornu ustum olet. Atra Marmora Annabergæ, Ratisbonæ, & prope Galliæ Andegavum, aliisque multis in locis inveniuntur.

*Paragone.*


a *Libro 36. Naturalis historiæ cap.* VI. *littera b.*

## Cap. CCLXXIII.

### *De Basalte, aut Basano atri Marmoris genere.*

BAsaltes à *a* Plinio ad Marmora refertur, quia exactissime poliri potest. Marmoris itaque genus est durissimum, limis resistens, ferrei coloris, à basal, quod Æthiopice ferrum significat, sic dictum. Appellatur etiam Basanus à Βασανίζω, id est diligenter examino, quia eo argentum, & aurum examinatur, & probatur, non minus, quam Lydio lapide, Germanice vocatur *ein meisner probierstein*, aut *ein meisni-*

*meisnischer harter eysenfarbner marmer.* Crescit forma, & crassitudine ligni mediocris, singularis quidem, verum copiosus, atque ita iunctus, coaptatusque, veluti si à fabro lignario commissus esset, septem, sex, quinq; nonnunquam, sed rarius quatuor habet angulos, figura, & trabis erectæ, foris lævis & tactu minime asper, ferrugineus, ponderosus, duritie Adamantina. De Basalte Plinius hoc modo:



Invenit Ægyptus in Æthiopia, quem vocant Basal-

ten, ferreo colore, atque duritie, unde & nomen ei dedit. Nunquam hic maior repertus est, quam in templo Pacis ab Imp. Vespasiano Augusto dicatus: Argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statua dicatus: quem quotidiano Solis ortu contactum radiis, crepare dicunt.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* VII. *litteraf.*

## Cap. CCLXXIV.

### *Vbi reperiatur Basaltes, eiusque usus.*

SCribit Plinius in Æthiopia gigni hunc lapidem. Nunc in variis Germaniæ locis reperitur, in Silesia extra Laubam ad Quissum fluvium, *im Steinbruch vorm Brüder thorn*, quinetiam in pago Wise ad Gryphimontium, nam *Gryffenstein* arx super eiusmodi saxum extructa est, quamvis paululum degeneret. Basaltis lapidibus coagmentatis, è terra ulnas decem & septem exstantibus, arx Stolpa (quæ Electoris Saxoniæ est, in finibus Bohemiæ, tribus milliaribus à Dresda distans) cum adiunctis ædificiis insistit, aëri undique libere exposita. Inde frusta decutiuntur magna vi, quibus fabri ferrarii, bractearii (qui aurum in folia verberando extenuant) & librorum colligatores, ad artificia sua incudis vice utuntur. Verum ea ad usum prius sic aptantur. Postquam decussa fuerint, serra ænea non dentata, sed obtusa, scinduntur, aut secantur: inter serrandum arena continuo interseritur, ac aqua affunditur: ita æs durum remanet;

*Bractearius quid sit.*

*Modus secandi Basalten.*

manet, quod absque aqua, continuo affrictu incalesceret, & emollesceret, & arena ab ære duriore pressa lapidem secat. Sed aliquot diebus opus est antequam hujusmodi lenta sectio perficiatur. Redigitur hic lapis in coticulas, auri & argenti examinandi gratia, tum Basani nomen ab officio, non minus quam Lydius lapis, qui solus huic muneri olim dicatus videbatur, meretur. Observavi omne nigri Marmoris genus ad examinanda metalla usui esse posse, facile enim metallorum signa ad se rapit, ut in capite de nigris Marmoribus ostendi.

## CAP. CCLXXV.

### *De Lydio lapide.*

LYdius lapis, Germanicè *ein probierstein*, Gallice *vne pierre de touche*, à Lydia regione unde adferebatur, Basanus ab officio, quod eo metalla examinarentur, Chrysitis quia auro probando inserviebat, & Coticula, quia tali forma in usum aptabatur, olim appellatus fuit. Atrum, & ferreum habet hic lapis colorem, interdum rufum; ad polituram aptus, quamobrem inter Marmoris species etsi numeretur, non peccatur. De eo *a* Plinius ita: Lapis quem Coticulam appellant, quondã non solitus inveniri, nisi in flumine Tmolo, ut author est *b* Theophrastus: nunc vero passim, quem alii Heraclion, alii Lydium vocant, quaternas uncias longitudinis, binasque latitudinis non excedit. Quod à Sole fuit in eo melius, quam quod à terra. *Coticula.* *Heraclion.*

Hac Coticula periti, cum è vena ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt qnantum auri sit in ea, quantum argenti, vel æris, scrupulari differentia, mirabili ratione non fallente. Probatur lapis hic si politus, in halitu hominis sudet protinus, *Proba lapidis.*

nus, nubemque discutiat. Hodie ad auri explorationem nigro Marmore, vel Basalte, ut dixi, utuntur. Item in Italia subviridi quodam lapide quem *verdello* vocant. Inveniuntur passim in variis Germaniæ locis circa flumina Cotes nigerrimæ, quæ expolitæ, lapidis Lydii vices supplent, ac pro iis haberi possunt.

*Verdello.*

a *Libro 33. Naturalis historiæ cap. 8. littera b.*
b *Libro περὶ λίθων.*

## Cap. CCLXXVI.

### *De Marmoribus viridibus, & cinereis.*

INter viridia Marmora *a* Plinio authore, pretiosissimi generis Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius, sic & Augustum, ac deinde Tiberium, in Ægypto, Augusti, ac Tyberii primum principatu reperta. Differentiaque eorum est ab Ophite lapide, qui serpentium maculis similis est, unde & nomen accepit, illa vero maculas diverso modo colligant. Augustum enim undatim crispum in vortices, Tiberium sparsim convoluta canitie, utrumque enim cinereum non minus, quam Tephria Ophitis species. Præterea ex Ophite columnæ non nisi parvæ admodum inveniuntur, ex prædictis maximæ. Lacedæmonio insunt in viriditate maculæ parvæ, & frequentes clariores similitudine Ophitis, ob id ex Alberto Serpentinum Marmor vocatum fuit, sed falso, cum Serpentinum Marmor, aut Ophites tum solum vocari debeat, cum maculæ serpentium maculis, situ, & forma similes fuerint, ut ex paulo ante Plinii verbis colligi potest. Huius Lacedæmonii Marmoris, quod à nonnullis Laconium vocatur, non nisi parva fragmenta reperiri dicuntur. Ex iis

*Tephria.*

*Serpentinum Marmor.*

*Laconiū.*

Pisis

Pisis pavimentum Cathedralis ecclesiæ ornatum est, uti & parietes opere Mosaico : alibi quoque incrustationes ex eo habentur. Aliud genus est ex atro obscure viride, quod crucibus dilutæ viriditatis ita eleganter depictum est, ut quis in ipso Marmore non natas, sed depictas arbitretur. Id in Musæo ducis Saxoniæ mihi ostensum fuit. Frusta ibidem capitis humani magnitudine conspexi. Dicebatur in Mysnia effodi, ac pro Ophitis specie habebatur. Inveniuntur varia macularum compositione ornata Marmora, huiusmodi sunt duæ crustæ quadratæ amplitudine cubitali ad monumentum Gregorianum in campo S. Pisano, ac duæ columnæ ad sacellum S. Reinerii in templo : omnes hilari viriditate splendentes. Ex hoc genere putatur Thyites *b* Dioscoridis, quem in Æthiopia gigni colore subviridi similitudine Jaspidis asserit. Verum quia mollis est, ad Alabastri species potius referrem, vel potius ad Galactitis genera, quia lacteum succum reddit. Aliqui hunc verdellum Italorum, quo aurum probant, arbitrantur. De Thyite capite 230. huius libri egi. *Thyites.*

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap.* VII. *littera b.*
b *Libro* V. *de re medica cap.* III.

## CAP. CCLXXVII.

### *De Ophite veterum, & recentiorum Serpentina.*

VEteribus Ophites dicebatur Marmor, vel Alabastrum, quod serpentis forma maculas distinctas, & dispositas, etiam cuiuscunque coloris habebat. Non enim color lapidi nomen Ophitis tribuebat, sed linearum, & macularum constitutio similis ea quæ in serpentibus spectatur. Nunc vel cinereum

Marmor duriſſimum Serpentinum appellatum, vel ex viridi album Marmor, aut Alabaſtrum nigriuſculis maculis, aut punctulis maculatum, pro Ophite Europæo habetur. Tale & Zeblicium, Germanice *Serpentinſtein*, vocatur, in Myſnia repertum, ac molle, & Lacedæmonium Marmor, ac ei ſimile quod ex Aſia maiori adfertur pro Orientali.

*Zebliciũ.*

## Cap. CCLXXVIII.

### *Ophitis genera, & loci natales.*

Dioſcorides multa *a* Ophitis genera eſſe ſcribit, forte propter colorum varietatem, quæ tamen ad tres differentias reducit, unum ponderoſum, & nigrum, alterum cinereo colore punctis diſtinctum, tertium lineis albis. *b* Plinius duo tantum Ophitis genera facit, unum molle candidum ex quo vaſa, & cadi olim fiebant, alterum nigrum, durumque. Poſtea tamen tertium genus videtur addere, quod à colore cinereo Tephria vocatur, & ab Auguſto, & Tiberio differt niſi maculorum poſitione, & magnitudine. Ex Ophite enim veterum non niſi paruæ columnæ haberi potuerunt, hodie cinereum Marmor duriſſimum, & è quo magnæ columnæ conſtrui poſſunt, Serpentinum vocatur. Id Seravitiæ, aliiſque multis locis Italiæ, & Germaniæ effoditur. Aliud genus, à Germanis multum laudatum, ſed ſæpe molle, ut Alabaſtris, aut Alabaſtri ſpecies potius, quam Marmoris eſſe debeat, effoditur in Miſnia Zeblicium vocatum. Cinereum, ſubnigrum, vel ſubviride id eſt, maculis albis virdibus vel nigris egregie variegatum, interdum etiam lineas nunc nigras, nunc albas habet. Solent cochlearia, & pocula inde conficere. Verum quia plerunque admodum mollis eſt lapis, ſæpe humorem

*Tephria.*

*Serpentinum.*

*Zebliciũ.*

morem combibit. Id ut impediatur, multi poculum oleo nucis moſcatæ inungunt. Dum Marmoream duritiem habet, id neceſſarium non eſt. Ex Ophite nigro hodie viſitur parva columna inter alias, quæ ſuſtinent ſuggeſtum in templo D. Ioannis Baptiſtæ Piſis, hanc vulgus vocant viperam Ægypti. Conſtat punctis nigris in livido corpore. In eodem loco quatuor aliæ eiuſdem magnitudinis ex Ophite cinereo, quem Granitum Syriæ vocant, ſpectantur. Habet is puncta nigra in corpore candicante, unde cinereus apparet. Ophites candidis lineis in nigro corpore, etiam foditur Seravitiæ, cum aliis multis.

a *Libro* V. *de re medica cap.* 119.
b *Libro* 36. *Naturalis hiſtoriæ cap.* 7. *littera* c.

## CAP. CCLXXIX.

### *De facultatibus, & uſu Ophitis.*

OPhitis veterum omnis alligatus, teſte Dioſcoride, ad ſerpentium ictus, ac capitis dolores prodeſt. Tephria, Plinii teſtimonio, ad ſerpentes præcipue laudatur: & qui lineas habet candicantes phreniticis, & lethargicis geſtatus auxiliatur, propter frigiditatem forte capiti, & præcordiis communicatam. Arcere putatur peſtilentiam in qua apparent exanthemata, ac ſerpentium omne virus. Gal. lib. 9. de ſimpl. med. facultat. Ophiten lapidem extergendi, confringendique vim poſſidere, ceu vitrum aſſerit, ac propterea ex vino albo, & tenui potum, lapides veſicæ conterere, ac confringere. Ex Seravitienſe Ophite globuli conficiuntur parvi, ut manibus detineantur ab iis, qui febre ardente æſtuant. His enim non parum recreari videntur. *Ad calculum.*

*Vires Ophitis zeblicii.*

tur. Zeblicius Ophites Germanorum ad multa prædicatur. Scribam quid illi Typographicis typis de illius facultatibus ediderint. Vereor ne illo divendito, aurum aucupentur, plura promittant, quam præstare possit.

*Ad venena.*

*Ad colicam.*

*Pleuritin.*

*Ventriculum.*

*Ad febres.*

*Ad podagram.*

Lapis Serpentinus nullum patitur venenum, ubi poculum è lapide factum venenum susceperit, id sudore prodit. Conducit etiam colicæ, pleuritidi, torminibus, ac ventriculo refrigerato. Præterea iis qui haustum nocivum, aut cibum ad concoquendum ineptum sumpserunt. Quotidianis, tertianis, aut quartanis febribus vexatis opitulatur. Dolores etiam nephriticos, & Podagricos mitigat. Ad prædictos affectus calefieri lapis, aut aqua calida, aut igne debet, ac involvi linteo: deinde loco affecto applicari. Quo sæpius ex hoc, vel de hoc lapide bibitur, eo maius auxilium percipitur. Fæminæ si quotidie ex hoc, vel de hoc lapide biberint, eumque aliquoties in die calefactum sinu exceperint, matricem refrigeratam excalfaciunt, partu instante, aut post partum pectori, aut lumbis applicatus lapis, utilis est. Phtisicis etiam conducit, quia si quis vel eum, vel ex eo bibat, pulmonem & hepar confortat.

Ex Ophite Zeblicio Germani pocula, cochlearia, variaque conficiunt, sed Alabastri vulgaris instar mollia sunt, facileque franguntur. Qui hilarem habent viriditatem, cæteris præferuntur, qui cinerei sunt, apud illos non tanti fiunt. Inveni in campis circa Getsinum Bohemiæ cinereum frustum maculis nigris, Jaspidis instar durum: Marmoris cinerei species proculdubio est, ac id quod ab Italis Marmor Serpentinum vocatur.

Cap.

## CAP. CCLXXX.

### *De flavis Marmoribus.*

MArmor Phengites, de quo ante egi, interdum venis flaveſcit, & tranſparet ut apud *a* Plinium legitur, qui in Cappadocia reperiri, ac ex eo Ædem fortunæ ita conſtructam ſcribit, ut foribus opertis per id lux tranſmiſſa diurnam efficiat in templo claritatem. Romæ in templo S. Mariæ in porticu ex hoc Marmoris genere columna dimidiata, colore flavo, parietis rimam obſtruens, ac externam lucem Solari fulgore intromittens, ſpectatur. Alabaſtritis veterum præſtantior qui (*b* Plinio teſte) mellei coloris eſt, & recentiorum lapidariorum. Si duritiam habeat Marmoream, & politus ſplendeat, iam in Marmoris flavi genus abiit. Dicuntur Seravitiæ in Italia tum mellei, tum Terebinthinæ colore Marmora effodi, ac Piſis in cathedrali eccleſia conſpici. In Germania etiam flava, tum Marmora, tum Alabaſtri ſpecies inveniuntur. Si mollia ſint *gelber ſpat* vocant. In Belgio Sardæ non pellucidæ genus quoddam invenitur ſimile. *Phengites.*

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 22. littera d.*
b *Libro 36. cap. 8. littera a.*

## CAP. CCLXXXI.

### *De rubri Marmoribus.*

INter rubra Marmora principatum obtinet Porphyrites Ægyptius, propter duritiem, & ſplendorem. Si candidi interveniant puncti, Leucoſtictos *a* Plinio teſte dicitur. Utroque genere utuntur pictores ad levigandos colores, & medici ad fragmen- *Porphyrites.*

ta gemmarum atterenda, attritione enim nihil à se remittit. E priori, quem Itali *Porfido* appellant, duæ extant columnæ maximæ ante fores S. Ioan. Baptistę Florentiæ. Huic simile genus est Ratisponense rubrum, & rutilans Marmor, & Bohemicum ex rubro nigrum, aliudque prope Carlostainium inventum, maculis lineisque albis variegatum, Leucostictos veterum: nec minus Belgicum variis maculis distinctum. Præterea Anabergicum, ac in candido rubrum, quod in metallis passim invenitur. Prope Dolam Burgundiæ, ut & in aliis locis Galliæ, Germaniæ, & Italiæ, varia Marmorum genera inveniuntur. Foditur quoddam genus Seravitiæ, & in monte Pisano, maculis vario modo agglomeratis, ut in templo D. Ioannis Pisis videre licet. Quod minus maculosum est, vocatur *Porfido di Liguria.* Alterum quod ex monte Pisano effoditur, magis varium est. Ad Porphyritiden reducitur, qui colore constat violaceo, cuiusmodi visitur in campo Sancto Pisano ad monumentum Gregorianum. Hic interdum albo interstinctus est colore, ac effoditur Seravitiæ. Rubet Thebaicum Marmor aureis guttis distinctum, ex quo coticulæ ad collyria terenda olim fiebant, Itali *Brocatello* vocant, ob similitudinem telæ, ex auro & serico contextæ, quod brocatum dicitur. Ex hoc lapide dicuntur Pisis extare parvæ columnæ, sustinentes suggestum in templo episcopali, & in templo S. Ioannis. Sanguineis maculis est candidum Marmor Lunense, quod Florentiæ in templo S. Reparatæ conspicitur. Subrubet præterea Syenites circa Syenem Thebaidis, vel ut alii legunt apud *b* Plinium, Stignites. Nam punctis nigris interstinctum est. Italice *Granito rosso* vocatur, olim Pyrrhopœcilon dicebatur, quasi fulvo colore variatum; de hoc Plinius his verbis: Trabes

*Leucostictos veterum.*

*Thebaicum.*

*Brocatello.*

*Marmor Lunense.*

*Syenites.*

*Stignites.*

*Pyrrhopœcilon.*

ex

ex eo fecere reges, quodam certamine, Obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Radiorum eius argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, somnio iussus, & hoc ipsum inscriptum est in eo. Etenim scalpturæ illæ, effigiesque quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ. Postea & alii regũ in supra dicta urbe; Sochis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine. Ramises autem is, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum. Idem digressus inde, ubi fuit *c* Mnevidis regia, posuit alium longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. Ex his Plinii verbis constat Romæ suo tempore fuisse, ac ex eorum numero esse maximum illum Obeliscum è Circo maximo erutum, & ad templum Lateranense erectum, & alterum in Vaticano, qui ex latere templi S. Petri translatus est in Plateam Sixto V. regnante, & nunc ante Ædes sacras eminenti in loco constitutus conspicitur.

Hos immensæ molis lapides, multi artificio singulari fusos ex Marmorum frustulis, arbitrantur, ob id, quod in Italia fodinæ nullæ, quæ tam ingentia frusta ferant, reperiantur. Deinde quod aliunde per mare vehi non possint. Verum ex Plinio luce clarius est antiquos per mare transtulisse. Is lib. 36. cap. 9. inter cætera ita ait. Alexandriæ statuit unum octoginta cubitorum Ptolomæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis Rex purum: maiusque opus fuit in devehendo, statuendove multo, quam in excidendo. A Satyro architecto aliqui devectum tradunt rate: Callixenus à Phænice fossa perducta usque ad iacentem Obeliscum è Nilo: naveisque duas in latitudinem patulas pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem

*Quo pacto olim pyramides translatæ fuerint.*

men-

mensuram ponderis oneratas; ita ut subirent obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrinque: postea egestis laterculis allevatas naves excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, & artificem donatum talentis 50. Hic autem obeliscus fuit in Arsinoe positus à rege supra dicto, munus amoris in coniuge, eademque sorore Arsinoe. Inde eum navalibus incommodum, Maximus quidam præfectus Ægypti transtulit in forum, reciso cacumine, dum vult fastigium addere auratum, quod postea omisit. Et alii duo sunt Alexandriæ in portu ad Cæsaris templum, quos excidit Mesphees Rex quadragenum binum cubitorum. Super omnia accessit difficultas mari Romam devehendi spectatis admodum navibus. Divus Augustus priorem advexerat, miraculique gratia Puteolis navalibus perpetuis dicaverat: sed incendio consumpta est. Divus Claudius aliquot per annos asservatam, qua Caius Cæsar importaverat, omnibus quæ unquam in mari visæ sunt mirabiliorem, turribus puteolano ex pulvere exædificatis, perductam Ostiam portus gratia mersit: alia ex hoc cura navium, quæ Tiberi subvehant. Quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni esse, quam Nilo. Is autem obeliscus quem D. Augustus in circo magno statuit, excisus est à rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, præter basin eiusdem lapidis: is vero qui est in campo Martio, novem pedibus minor, à Sesostride. Inscripti ambo, rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opera Philosophiæ continent. Ex his Plinii verbis tantæ molis ex lapidicina excisos, & per mare translatos fuisse Porphyritides, aliaque Marmorum genera, quæ pene infinita sunt, nemo dubitare debet.

a *Libro*

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. IX. littera d.*

b *Libro 36. cap. VIII. littera d.*

c *Apud Heliopolin Mnevis bos, non aliter colebatur, quam apud Memphytas Apis, testibus Strabone lib. 17. & Diodoro Siculo lib. 2.*

## CAP. CCLXXXII.

### *De Marmorum imitatione.*

MArmor omne colore, & splendore, multi imitari hoc seculo possunt, sed duritie, & pondere pauci. Fuit satelles quidam Pragæ Imperatoris Augusti Domini mei clementissimi, qui satis egregie id ementiri, & ponderosum reddere potuit. Verum Alabastri instar molle fuit. Mensas, & sphæras fundebat pulchras, quas exiccatas politura splendidas reddebat. Materia fuit ut opinor Gipsum, & pulvis aliorum lapidum, cui ad pondus augendum forte cineres plumbi addebat. Liquor, quo materiam solvebat, ut ex odore coniicere potui, vel acetum in quo caseus solutus fuit, vel lac, vel serum lactis fuit. Acetum ut eius penetratione partes melius coniungerentur, & caseus ut glutinis vices subiret. Alii ut audio bubulum sanguinem dum rubrum lapidem cupiunt, addunt, indurescit enim annis, ac optime glutinat: alii glutine utuntur, ut factitium Marmor firmiter cohæreat, & excavari, ac iterum partes illi forinsecus misceri possint. Dum sero utuntur materiam commiscent, ut pultis instar sit. Deinde quos volunt colores, aut diversas massas coloratas fundunt in planitiem: si mensas velint, fusas bacillo, prout venas & gyros cupiunt, hinc inde circumagitant, exiccatum postea lapidem æquant, ac deinde smegmate poliunt. Satelles ille cuius mentionem feci, excavare lapidem ubi volebat,

bat, alioque colore massam, in locum evacuatum infundere, hoc ita potuit, ut tam firma fieret infusæ massæ cũ excipiente lapide connexio, ut innata vel adnata, cum exiccata esset, videretur. Hac ratione gentilitia insignia, lineas, & literas ita exacte inserere, ut lignarii fabri asseres coloratos solent, non sine multorum admiratione potuit. Cardanus Marmorum, vel aliorum lapidum diversi coloris frusta, iungi pulvere Marmoris, & ovi candido, aut pice, vel etiam glutino tenaci docet, eaque ratione Lithostrata Constantinopoli in æde Sapientiæ, Venetiis in æde S. Marci, Florentiæ in æde S. Ioannis Baptistæ, & Mediolani in æde S. Laurentii esse constructa affirmat. Nonnulli silices, lapidum variorum fragmenta, sanguinem hirci, aut bovis, vinum ardens, & fel bovinum commiscent, ac in formas premunt, ut Marmoris formam æmulentur. Sunt qui aqua calida caseum contundunt, addendo calcem vivam, & quosvis colores. Ad id apti sunt, qui corpus habent, ut cinnabrium, chrysocolla, ochra, Hæmatitis, sandaracha, auripigmentum, viride æris, Cæruleum, cerussa, & similes. Loco aquæ aliqui oleo lini utuntur, ne factitia Marmora ab humido dissolvantur. Vidi Italum in Bohemia, qui Alabastrum pulchre imitari poterat. Is silices fluviatiles in pulverem redigebat addita calce viva, ac aqua glutinis, deinde ex ea pasta formabat imagines, quæ politæ elegantissime erant. Ut autem vera Marmora factitia imitentur, meo iudicio, salsæ aquæ adhibendæ sunt, & acutæ, quæ penetrare possint, partesque iungere. Deinde ubi induruerint, fervens lini oleum instillandum, ut superficiem permeet, eamque solidam faciat, & ne aquam combibat, prohibeat. Has omnes facultates in se bubulus sanguis calidus, & recenter effusus habere videtur,

tur, spiritus enim salis in se habet, ut omnis sanguis, deinde glutini quiddam simile, & pinguedinem. Hinc lapidis instar indurescit, si calci admisceatur, nec ulla aqua unquam dissolvitur. Sed propter colorem uniformem, quem factitio Marmori tribuit, non facile in usum admittitur.

## CAP. CCLXXXIII.

### *De variis Saxorum generibus.*

MArmora omnia materiæ æquabilitate, & puritate, Saxa antecedunt. Hæc enim ex crassiore, & impuriore materia generantur, nec alio modo à Marmoribus differe videntur. Ut enim maxima mole concrescunt Marmora, ita Saxa, ex quibus integri montes, & maris scopuli interdum constant. Et ut Marmora coloribus variant, ita Saxa. Colores tamen Saxorum obscuriores, & fœdiores sunt. Interdum etiam conchis, silicibus, Crystallis, pectinibus, vel aliis rebus gravia sunt.

Saxorum genera partim à consistentia, partim à qualitatibus, partim ab usu distinguuntur. A consistentia aliud arenarium, crustosum. A qualitatibus aliud leve, ut tophus, aliud liquabile, ut silicis quoddam genus, aliud olidum, ut lapis Aldenburgicus, aliud ustibile, ut calcarium. Ab usu aliud Cos, aliud calcarium, quia calx inde fit, aliud quadratum, quia ædificiis inservit dum in quadratam figuram redigitur. Aliud molare, quia eo moliuntur frumentacea, dicitur.

CAP.

## Cap. CCLXXXIV.

### *De Saxo arenario.*

SAxa arenaria triplicia à me obſervata ſunt. Unum quod aſperum eſt, ex arenis craſſioribus ſatis firmiter compactum, ob quam cauſam lævorem non ſuſcipit, utile ædificiis, quia calcem bibit. Alterum ex arenis tenuiſſimis, ſed mixtis argenteis interſplendentibus, ſed adeo molle, ut digitis atteri fere poſſit. Id prope Pragam invenitur ubi ad ædificia expetitur, & à ſcribis ad atramenti humiditatem abſorbendam. Levi enim affrictu in arenam convertitur albam, & ſubtiliſſimam. Variat arenarium colore, Fribergi enim arenaria lutea, Rochlicii rubra, Querfordiæ cinerea, Eitbeccæ in Saxonia in rubro ſubnigra. Prope Horaſdiovitium Bohemiæ rubra aureis micis ſplendentia, inveniuntur. Variant etiam diverſis rebus gravida. Nam in nonnullis ſilices, conchæ, pectines, aut alia corpuſcula naſcuntur.

## Cap. CCLXXXV.

### *De Saxo cruſtoſo, & ſciſſili.*

CRuſtoſum eſt quod finditur in cruſtas, utiles ſtratis, ac tectis, Germanice *Schiferſtein*, Belgice *ſhailgen*, Gallice *eſcailles* dicitur, variæ enim ſunt differentiæ. Aliud enim tam molle, ut ex eo nihil fieri poſſit. Tale eſt Pragenſe apud arcem S. Viti regiam quod interdum micis argenteis ſplendet ſubnigrum. Aliud durum quod nonniſi ſerra artificis findi poteſt.

Rurſus colorum in iis magna varietas. Nam aliud cinereum, è cinereo candidum, in cinereo viride, cæru-

cæruleum, rubrum, subluteum, nigrum ut Andegavense, & Rhenanum è quo templorum tecta conspiciuntur, vel cæruleum ut Namurcense, quo similiter ædes teguntur. Formæ etiam varietas apparet in crustoso Saxo. Nam reperiuntur in quibus arborum rami cum foliis, quasi arte depicti essent, conspiciuntur. Item alia cinerea in quibus tam exacte ex erica herba sylvulæ depictę fusco colore apparent, ut nullus pictor neque melius, neque elegantius eas exprimere penicillo posset. Id genus Saxi ad flumen non procul Florentia invenitur, ut mihi retulit amicus meus Frisler Rudolphi II. Imp. Glorioſissimi, & D. mei clementissimi pictor, qui mihi frustum lapidis ibidem inventum ostendit.

Prope Wirsburgum Franconiæ ad Pagum Somberg similes prorsus lapides ericeti, quos incolæ *VVasserſteinen* (quia sub aquis nascuntur) vocant, reperiuntur. Ex his lapidibus formas faciunt, ut iis infundant plumbum pro globulis tormentariis. Læves, & pingues sunt hi lapides saponis instar, cuius colorem referunt.

In comitatu Mansfeldiæ, Islebiæ, sciſsile Saxum aliud nigrum reperitur cui piscium imagines variæ nigræ, flavæ, vel orichalceæ innascuntur, eæque tam egregie elaboratæ sunt, ut squammæ singulæ appareant. Habeo apud me frustum quod percæ imaginem refert, sed orichalci colore etiamsi reliquum lapidis nigrum sit. Existimo eo in loco quondam Piscinam fuisse, eamque postea tenui terra obrutam, ac ab exhalationibus metallicis subterraneis condensatam, in Saxum abiisse, ac piscium corpora, quia terram non susceperint, exhalationem metallarem, terra subtiliorem, magisque penetrantem facile in se recepisse, ac cum ea æris non solum colorem, sed etiam substantiam. Conflatur enim ex

*Pisces in Saxis.*

eo Saxo quod ab Agricola lapis Islebianus vocatur æs optimũ. Pisces qui in eo lapide apparent sunt Lucii, Percæ, vel passeres marini, raro aliorum animalium in eo lapide imagines spectantur. Putat *a* Agricola à priscis hunc lapidem Spinum vocatum fuisse.

*Spinus.*

a *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.* xv.

## Cap. CCLXXXVI.

### *De Saxo limoso.*

Limosum dicitur, quod in limum ab humido facile solvitur: videtur initium futuri Saxi esse, huiusmodi prope Lovanium, & Viluerdam inveniuntur alba quibus agri fœcundi redduntur. Dum enim ad aliquot menses sub dio iacent à pluviis in limum calci concolorem solvuntur, suaque pinguedine, stercorationis vices supplent. Videntur ad margæ genera referri posse. Reperiuntur etiam alterius coloris.

## Cap. CCLXXXVII.

### *De Tophaceo Saxo.*

Tophacea Saxa à Græcis Pori dicuntur, Pario Marmori candore, & duritie. Theophrasto teste, similia. Verum levitas eis est pumicis. Reperiuntur tamen nigra, rubentia, ac colore terreo. Dum cæduntur è subterraneis sæpe tam mollia sunt, ut præcidi ligni modo, serraque secari possint. Nam postea aëri exposita indurescunt. Artifices dum ad opus præparant, ea quæ extuberant non malleo, aut scalpello, sed securi auferunt. Commodissima sunt ad rimas parietum collabentium replen-

replendas. Nam ob levitatem non premunt, & quia porosa, facile calcem bibunt, & extrema parietum sibi agglutinant.

## CAP. CCLXXXVIII.

### *De Silice.*

SIlex durissimum genus Saxi est, durius Marmore ad scalpendum, & ad ædificia, murosque construendos ineptum, quia calcem non bibit; extrinsecus enim læve absque poris, & angulis est. Variis coloribus, sed obscuris à natura tinguntur Silices: inveniuntur enim nigri ut lapidis Lydii vices supplere possint, rubri, albi, flavi, virides, fusci, mixtisque coloribus. Differentiæ illius plurimæ sunt. Nam aliqui liquabiles sunt, qui plerunque foris albi sunt, & translucidi, hos Aristoteles Pyrimachos vocat. Germani vocant *Flusſteinen*, aut *VVeisſerkiesling*. Metallarii metallis fusis super iniiciunt, ut iis supernatent, & nimium liquati metalli evolet in auras prohibeant. Vitriarii ex illis vitra, & chymici factitios lapides conficiunt. Aliqui prorsus diaphani sunt, qui in gemmarum formam à gemmariis sculpuntur, ac pro Adamantibus Bohemicis divenduntur. Aliqui ita duri sunt ut ex iis ignis excutiatur: Hi *Feverſteinen* à Germanis vocantur. Aliqui prorsus opaci sunt, Belgis *Keyen* vocantur. Qui molliores sunt Marmore, non Silices, sed lapides simpliciter appellandi sunt. Tales sunt ii qui pro plateis sternendis in usu sunt. Inter Silices nonnulli ab igni patiuntur ut calcinari, & calcis, sed improbi vices subire possint, nonnulli igni resistunt, & contra vetustatem incorrupti permanere possunt, ex quibus formæ fiunt, in quas æs funditur, & mortaria ad gemmas terendas. Verum si non scalpello, sed are-

*Pyrimachos.*

na, aut Smiris lapidis pulvere, magno labore, longoque tempore addita aqua excavantur. Græci olim è lapide duro, ac silice construebant veluti lateritios parietes: Isodomos vocabatur hoc structuræ genus. Plerunque prope aquas, vel in aquis, duriores etiam in Marmoribus reperiuntur, qui serra non denticulata, adiecta aqua, & arena, ut priores secari debent, cum scalpellum non admittant.

*Isodomes.*

## Cap. CCLXXXIX.

### *De Pyrite, Silicis specie.*

PYrites, alias Pyrimachus proprie vocatur, quia plurimus illi ignis, sed est alius etiamnum Pyrites similitudine æris. In Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ sunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, alterum aureo, coquuntur varie, ab aliis iterum, tertioque in melle, donec consumatur liquor, ab aliis pruna prius, dein melle, & postea lavantur ut æs, ususque eorum in medicina excalfacere, siccare, discutere, humorem extenuare, & duritias nimias mollire. Utuntur & crudis, rursusque ad strumas, atque furunculos. Pyritum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis quos vivos appellamus, & ponderosissimi sunt. Hi exploratoribus castrorum maxime necessarii, qui clavo, vel altero lapide percussi, scintillas edunt, quæ exceptæ sulphuratis, aut fungis aridis, vel foliis, dicto celerius ignem præbent. *a* Plin. lib. 35. cap. 19.

a *Hic locus Plinii non habetur lib. 35. cap. 16. Sed libro 36. Naturalis historiæ cap. 19. littera b.*

Cap.

## CAP. CCXC.

### *Pyritum genera.*

PYritum Germanice *Kieſen* tam varia genera inveniuntur, ut mirum ſit. Illi hoc nomen vere merentur, è quibus ignis excutitur. Aliqui argento polito ſimiles, vel è tenuibus cruſtis ſunt, vel quadratis teſſeris ſimiles, vel è Marmore rubro metallico ſplendentes, vel ornati fluoribus purpureis, Amethiſtinis, quadrangulis, & pellucidis, vel ſpongioſi, & micantes, vel Pumicoſi, vel ex Marmore minus argenteis ſplendentes. *a* Aliqui angulis octo, vel duodecim excreſcunt, aliqui Biſmuto ſimiles ſunt. Aliqui aureo colore tincti ſunt, unde marchaſitæ nomen habent. Alii rubro colore, aut aurichalci quos *Kupferkies* Germani vocant. Aliqui variis coloribus, & formis componuntur, aliiſque lapidibus miſcentur. Inter hos aliqui in igne fluunt, quos *Fliſſigekies* vocant. Hi metallis loco plumbi adduntur, ut liquidiora in excoquendo fiant, aliqui vocant *Fluſſteinen*, ac fracti ſaccharum candidum ſplendore referunt. Pyritis quod metallum minerale, terram, fluorem, gemmam, vel lapidem ſecum vehere, vel habere poteſt. Hinc fit tot diverſa genera haberi. Multi ſunt lapides Pyriti ſimiles qui ignem non dant concuſſi, quas ad Pyritis genera referri non debere arbitror, quod Pyritis ab igne, qui ab illo excutitur, nomen habeat.

a *Libro* IX. *de ſimplic. medicam. facultat.*

*Pyritis facultates ex a Galeno.*

PYritis validam possidet facultatem, eoque utimur digerenti emplastro admisto, adiicitur etiam ei, & Schistos. Ab hoc medicamine & pus sæpenumero, & consistentia grumosa in spatiis intermediis musculorum nata per halitum sunt digesta. Nisi autem dum in usum veniunt, pollinis instar, comminuantur omnes hi lapides, ut profundum corporum, quibus applicantur subeant, assimiles manent istis marinis fluviatilibus arenis, quæ & ipsæ communem omnium lapidum vim possident, siquidem exiccant tumentem, ab aqua intercutem, carnem, si in ipsis excalfactis decumbat æger. Non tamen ad aliud quippiam eis utimur.

a *Libro* v. *de re medica cap.* 100.

*Ex Dioscoride.*

PYritis, aut Marchasita, ex qua æs conflatur, ea optima est, quæ æri similis est, ac quæ facile scintillas emittit. Uritur hac ratione. Dum melle aspersa est igni exiguo committitur, ac ignis paulatim inflatur, donec rubescat. Alii dum in magna mellis quantitate humectata est, ignem amplum carbonum iniiciunt, ac dum rubere incipit, extrahunt. Postea cineribus adhærentibus flatu amotis, iterum melle inungunt, ac urunt, donec exiccata, friabilis fiat. Nam interdum superior pars tantum friabilis fit. Si opus est uti usta, & lota, lavanda ut Cadmia. Tum cruda tum lota, excalfacit, mundificat, ac oculorum offuscationes, duraque quævis emollit, ac matura resolvit. Mixta cum resina carnis

nis excrescentias prohibet. Verum parum excalfacit, & astringit, ustam aliqui Diphrigem appellant. Hactenus Dioscorides.

Cur autem ferrum ignem è Pyrite excutiat, reliqua metalla non? solam ferri duritiem in causa esse arbitror. Nam & absque ferro Pyrites in Pyritem actus ignem excutit. Causa cur Pyrites ignem reddat, partim motus est velox, tanquam causa efficiens, partim sulphur, seu inflammabilis quædam materia ipsi Pyriti inhærens, cum quo concurrit tanquam causa materialis, potentia ignis existens, ac propterea facile in ignem facescens. Hoc modo omnia inflammabilia, & quæ pingue oleosum in se habent facillime affrictu, vel celeri motu, si modo dura sint ignem producunt: ut rotarum axes dum celerrime rotantur, & ligna dum sibi mutuo affricantur docent, facile enim hæc ignem ex motus celeritate suscipiunt. Cur autem corporum durorum affrictus calorem, & ignem pariat non facile est assequi. Nam si quis id contingere, quia celerrime hac ratione mixtum ad corruptionem, vel interitum deducitur, arbitretur; ac quæcunque paulatim ad interitum per putrefactionem vergunt, paulatim calefieri (cum nihil partes hæterogeneas separare, quam calor possit) asserat, ac proinde motum, quia cito id præstat magnum calorem inducere; unde tandem ignis generatur, qui omnium citissime heterogenea mixti ad sua elementa reducit: nunquam omnino sibi satisfaciet. Tam itaque difficile est veram causam cur durorum, & inflammabilium corporum affrictus ignem creet investigare, quam cur ignis lucem sibi agnatam habeat.

Materiam vero inflammabilem, seu sulphur habere, & continere in se Pyritin docet ars Spagyrica, quæ eius separationem à Pyrite non difficilem

in lucem prodit. Hanc descriptionem eliciendi sulphur, ab amico consecutus sum.

Recipe Pyritin, seu marchasitam auream, tere in pulverem, affunde aquam tartari, ut tres digitos emineat aqua. Coque in cucurbita terrea bene obturata sex dies: cum refrigerata fuerit effunde in vitrum, ac iterum aliam aquam tartari affunde, & coque ut prius, opusque quater repete. Deinde construe duos furnellos siniſtrum, & dextrum invicem iunctos. In siniſtro furnello imponas bociam B cum suo alembico rostrato, in dextro vero furnello imponas bociam A, cum alembico sine rostro. Bocia vero A non procul à suo alembico habeat duos canaliculos, seu duo rostra, unum, ut excipiat rostrum alembici B, alterum, ut ingrediatur recipientem retortam, quæ ad latus dextri furni posita est. His ita paratis, infunde bociæ A aquam tartari, ac vasi seu bociæ B aquam fluviatilem, ac sub Bocia B, & A fac ignem, ita aqua tartari pelletur in retortam, & sulphur manebit in bocia A eiusque alembico. Sed ex B & A non debes extillare omnem humiditatem.

## Cap. CCXCI.

### *De lapidibus proprie dictis.*

Lapides proprie dicuntur Saxa illa minora, quæ ex impuriori terrestri materia conflata non tam lævem habent superficiem, quam Silices, & Marmora, sed scabram, ac porosam: quæque Silicum duritie, ac rotunditate propter angulos, nisi vi aquæ fluentis in rotundiorem figuram paulatim redacti fuerint, carent. Hi plerunque fusci coloris in agris, & fluminum ripis reperiuntur, omne tamen coloris genus habere possunt, & Marmora imitari, ac etiam

Ophi-

Ophiten; tales Pragæ in flumine nigris punctis, & lucentibus antimonii instar reperiuntur, inserviunt lapides ad ædificia, quia calcem imbibunt, & ad planetarum pavimenta. Et qui molliores igni liquescunt, ad fundenda metalla.

## CAP. CCXCII.

### *De olentibus Saxis.*

SAxa quædam bene, quædam male olent. Violam olent Lavenstainia, Aldenbergica, quæ vel rubei, vel cinerei coloris sunt. Mariæbergica in vena D. Fabiani, & Sebastiani inventa malleo percussa, interdum muscum olent. Thuringica, qui è cuniculo aquæductus in arcem Berchlinum ducti effossi sunt, serpillum olent. Hildeshemii sunt, qui cornu ustum, si percutiantur malleo, olent. Habui qui violas olebant, & albos, & cinereos, sed deprehendi è lapide illum odorem non prodire, sed è muco quodam ex luteo viridi, qui tanquam pellis affixus erat. Pars enim lapidis obversa nullo muco tecta, nihil prorsus odoris habebat. Suspicabar Iridis odoriferæ radices his Saxis forte institisse: nisi hoc muci genus à natura ita oleat. Hoc peculiare ista Saxa habuerunt, ut, dum mucus aqua tepida conspergeretur, odore Iridis Florentinæ potius, quam violarum totum hypocaustum repleretur. Sed Germani Iridis radicem *Violvvurtzel* vocant, forte inde odori huic violaceum nomen tributum est. Ablato muco non olet amplius Saxum. Num in cæteris olentibus idem contingat hactenus expertus non sum.

## Cap. CCXCIII.

### *De Saxo Calcario.*

SAxum unde calx fit, Calcarium dicitur, passim obvium, ac interdum Marmori simile, quale est Pragense, nigrum, venis Alabastrinis, albisque refertum. Nam & plane album, & fuscum reperitur. *a* Plinio referente Cato Censorius calcem è vario lapide improbabat. Ex albo melior, quam ex puro, & structuræ utilior, quæ ex fistuloso tectoriis, ad utrumque damnatur ex Silice, candidissima ex fistuloso qualis è Saxo Tiburtino, ex quo Romæ ædes Divi Petri in Vaticano constructæ sunt.

Trevertinum Saxum ad dealbandos parietes commodissimum est. Calcarium Saxum ut calcem præbeat, uri debet, ustum ignem potentia in se continet, qui aquæ affusione in actum prorumpit, eamque calidissimam, ac ferventem efficit. Calor ille in sale calcis calidissimo, & siccissimo consistit, cui cum aqua frigidissima, & humidissima miscetur, ob subitum contrariorum motum in actum caliditas calcis deducitur, eadem prorsus ratione, qua oleum sulphuris verum, si aquæ misceatur frigidæ, tum calidum in vitro redditur, ut id manu vix teneri possit. Potentia huiusmodi oleum siccissimum, & calidissimum est, ut cauterii instar cuti admotum urat.

*Cur calx incalescat aqua.*

Putant alii propter obstructionem in calce viva caliditatem fieri, sed errant, oleo enim calx melius obstrui potest, nulla tamen ab eo in calce caliditas excitatur. Causa itaque potius motus subitus contrariorum, & eorum quorum intima misceri possunt.

*Vires calcis.*

Calcarii Saxi calx in medicina usui est. *b* Plinio enim

enim teſte, urit, diſcutit, extrahit, incipienteſque ſerpere ulcerum impetus coërcet. Aceto & roſaceo temperata perducit ad cicatricem, luxatis quoque cum adipe ſuillo aut liquida reſina ex melle medetur, eadem compoſitione & ſtrumis. c Maltha è calce fit recenti, Gleba vino reſtinguitur, mox tunditur cum adipe ſuillo, & ficu, duplici linimento, quæ res omnium tenaciſſima, & duritiem lapidis antecedens. Quod malthatur oleo perfricatur ante. Hactenus Plinius. De calce Gal. 9. Simp. ſequentia ſcribit: calx viva quidem, quæ ἄσβεστος Græce dicitur, vehementer urit, adeo ut cruſtas efficiat: exſtincta vero protinus etiam cruſtam molitur & ipſa: at poſt diem unum, aut alterum minus urit, minuſque inducere cruſtam poteſt. At vero temporis progreſſu prorſum nec cruſtam quidem gignere queat, tametſi etiamnum calfaciat, carnemque liquet. Porro ſi lavetur in aqua, ſuam mordacitatem exuit, efficitque nuncupatam Græce κονίαν Latine lixivium. At ipſa abſque morſu reſiccat, ac ſi bis, terque aut amplius abluta fuerit, plane mordacitatis expers conſtituitur, ac ſtrenue abſque mordacitate exiccat. Hæc Galenus de calce. Hodie quia lota valenter exiccat, cum oleo, & cera mixta ad cicatrices obducendas utilis eſt. Si cum aceto extinguatur ter lavetur, ac cum oleo roſaceo ad linimenti formam redacta fuerit combuſta abſque cicatricis veſtigio ſanat, nec bullas elevari permittit. Si non extincta cuti applicetur urit, ac cum ſapone mixta cauterium potentiale, ut vocant, conſtituit. Quod urit in calce nitrum eſt, id ablutione tollitur. E calce viva paratur aqua mirificæ virtutis ad ambuſtionem, fiſtulas, cancrum, maculas, & rubedinem oculorum, ac ad veſtium biſſinorum maculas auferendas, hoc modo. Recipe calcis

*Ad ulcera.*

*Maltha.*

*Ad ambuſta.*

*Potentiale cauteriũ.*

*Aqua ad fiſtulas, cancrum, oculos, maculas veſtium.*

calcis vivæ uncias tres aq. pluviæ lib. unam cum semisse misceantur, & stent triduo in vase. Postea agita, agitata quiescat per 24. horas in vase obturato. Deinde coletur per linteum materia, & adde salis ammoniaci albissimi drag. decem bene triti, misce optime, postea distilletur aqua per filtrum, oculis instilla quotidie tres guttas, pro vestibus utere ea calida, & ad reliqua. Aliqui aquam relinquunt in vase æneo, ut cælestem colorem acquirat, neque tam facile dignosci possit. Circumforanei ad oculorum fluxus, & vitia, pro Saphyri aqua eam venditant.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 23. littera a.*
b *Libro 36. cap. 24. littera a.*
c *Maltha vetus dictio, mollem significat, Lucullius 28. Satyr.*
Insanum vocant, quem fœminam, & Maltham dici volunt.

## Cap. CCXCIV.

### *De Saxis molaribus.*

Molares lapides à Saxis rumpuntur, ac plerunque parvis Silicibus constant, cum quibus arena subtilior videtur iuncta. Passim in variis regionibus inveniuntur, ac ab usu nomen, quod iis frumenta moliantur, obtinent.

## Cap. CCXCV.

### *De Cotibus.*

Cotes ab usu dicuntur. Nam ex lapidibus à nobis ante descriptis, vel è Saxis ad ferra acuenda lapides, gemmas, aut Marmora sculpenda, atque liman-

limanda oblonga, aut rotunda forma aptantur. Olim à loco ubi reperiebantur nomina obtinebant. Multa, inquit *a* Plinius, earum sunt genera. Creticæ diu maximam laudem habuere, secundam Laconicæ, ex Taygeto monte, uti æque oleo indigentes. Inter aquarias Naxiæ laus maxima fuit, mox Armeniacæ de quibus diximus. Ex aqua, & oleo Ciliciæ pollent, ex aqua Arsinoeticæ. Repertæ sunt & in Italia aquæ trahentes aciem acerrimo affectu. Nec non & trans Alpes, quas Passernices vocant. Quarta ratio est saliva hominis proficientium in tonstrinarum officinis, inutili fragili mollitia, flamminitanæ ex Hispania citeriore in eo genere præcipuæ. Ex his Plinii verbis cotes alias oleo, alias utroque humore, alias vero saliva ad terendum indiguisse constat. Nunc in Germania & Oleares, & Aquariæ reperiuntur. Zeblitiana cos aquaria est, eaque pocula, quæ ex Ophite fiunt lævigantur. Reperiuntur duræ, & molles, albæ, & nigræ passim in Germania. Oleariæ etiam subviridis coloris inveniuntur. Deinde & aliæ è ligno querno in lapidem mutato, ac nonnullæ è fago in lapidem mutato. Nam in Germania sæpe ligna in lapides versa deprehenduntur. In valle Ioachimica ante aliquot annos fagus cum trunco, ramis, foliis, altitudine 170. ulnarum in Saxo cinereo durissimo sub terra reperta fuit. In Italia etiam varia genera Cotium tum Aquaticarum, tum Olearium habentur. Oleariæ nigræ, & perpolitæ sunt, barbitonsoribus utiles ad cultri aciem lævigandam. Aquaticæ ex lapide constant arenoso, molli, & æquali, colore cinereo, qui in orbem rediguntur, ut motu circulari acti, atque aquam cadentem excipientes, adhibitum ferrum terere possint. Oleares plerunque oblongam figuram, & planam habent, ut placidiori motu lævigetur

tur potius, quam teratur ferri acies. Cotes illæ quæ ad aurum, & argentum explorandum fiunt, è Marmorum genere sunt, ac probatoriæ vocantur: de iis actum in capite de Lydio lapide.

a *Libro 36. Naturalis historiæ cap. 22. littera f.*

## Cap. CCXCVI.

### *Vsus Cotium in medicina.*

*a* Dioscorides Naxiæ ramentum ferro attritum Alopecias pilis explere, mammas prohibere ne intumescant, lienem extenuare cum aceto potum, & comitialibus prodesse scribit. Verum hanc facultatem Cotes nanciscì à ferro existimo, id enim lienem potum absumit.

a *Libro v. de re medica cap. 125.*

## Cap. CCXCVII.

### *De Hæphestite.*

Hæphestiten in Coryco natum, dicit *a* Plinius speculi habere naturam in reddendis imaginibus, quanquam rutilum, nomen ex eo inveniſſe quod in Solem positus aridam materiam accendat, non aliter ac speculum concavum sulphurata stramina, & stramenta. Id genus lapides in rubro nigri coloris reperiuntur Hildeshemii in fossa mœniorum quæ spectat septentriones. In modum vero patinæ excavati sunt, & aurea armatura rutilant, quare & reddunt imaginem, & ob Solis radios obversi aridam materiam accendunt.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera m m.*

Cap.

## CAP. CCXCVIII.

### *De lapide Fungifero.*

LApis Fungifer, teſte Geſnero, apud Romanos magno in pretio eſt, invenitur in regno Neapolitano, cruſta eſt craſſa, ea terræ dodrante operta, aſperſaque tepida irroratione, quarto poſt die fungos edit. De hoc Geſnerus in lupi Cervarii hiſtoria.

## CAP. CCXCIX.

### *De variis lapidibus qui nomen à ſimilitudine rerum quas referunt, aut è rebus ipſis in lapides mutatis habent.*

A Forma mathematica nomina habent, Quadratum Saxum quod in quadratam figuram ad ædificia extruenda facile redigi poſſit: Pentagonus; quod quinque, Hexagonus quod ſex, & Pangonius quod multos angulos habeat. *Pentagonus. Hexagonus. Pangonius.*

A ſimilitudine figuræ nomen habent. Enhorchis teſtium figuram referens. Panis dæmonum, qui prope Rotwilam Sueviæ, invenitur, ac panem refert. *Panis dæmonum.*

Pentexoche, ſeu Meſpileus, meſpili figuram habens. Cryſtallus glaciei formam, Aſtroites ſtellarum, Ophites ſerpentum, Meconites ſeminum papaveris, Cenchrites ſem. milii, Narciſſites narciſſi floris, Trochites rotæ, Belemnites ſagittæ, Ceraunites teſtæ, & Calamites calami figuram exhibet, & inde nomen ut & cæteri, habet. Prætereaab adipis forma Steatites: ab oculorum figura Triophthalmus quaſi tribus oculis ſignatus, A lupi oculo Lycophtalmus, à Caprino oculo Ægophthalmus, & ab *Pentexoche. Meconites. Narciſſites. Calamites. Steatites.*

ab oculo humano Beli Oculus, & Leucophthalmus, Agruis oculo Geranites, ab accipitris oculo Hieracites, nomen obtinuerunt.

*Geranites.*
*Hieracites.*

Myrmecites à formicæ innata forma, Cantharias à scarabei, Polytrix à capillorum similitudine, Sycites à fici, Batrachias à ranarum, Bostrychites à crinium muliebrium forma, Bucardia in Babylonia nascens à bubuli cordis figura, Glossopetra à linguæ, Hammonis Cornu, à Cornu arietini, Hienia ab oculorum Gyenæ, Myrmecias à verrucæ, Sarcites à carnis, Telicardios à cordis similitudine nuncupantur. Dryites à truncis arborum, quæ ligni modo ardet, Cissites ab hædere folio, Cyamea à fabæ similitudine, Pyrene ab olivæ nucleo cui piscium spinæ interdum inhærent. Chalaxias à grandinum colore, & figura, Polyzonos à zonarum candicantium in nigro corpore multitudine, Anthracitis à scintillarum ignearum copia. Botrytis ab incipientis uvæ similitudine. Lepidotes à piscium squammis, Ostracias à testæ, Phænicitis à balani, Phycites ab algæ forma, Spongites à spongiæ, Tecolithos ab oleæ nuclei nomen obtinuerunt.

*Myrmecites.*
*Cantharias.*
*Polytrix.*
*Sycites.*
*Bostrychites.*
*Hienia.*
*Myrmecias.*
*Sarcites.*
*Dryites.*
*Cissites.*
*Pyrene.*
*Chalaxias.*
*Polyzonos.*
*Anthracitis.*
*Botrytis.*
*Lepidotes.*
*Phænicites.*
*Phycites.*
*Spongites.*

Ab animalibus ipsis nomina dantur lapidibus à gallo Alectorius, quia in ipsius ventriculo reperitur, Chelonitis à testudine, Draconites à dracone, Chelidonia ab hyrundinibus nomen habet, Muytes à mure, Conchites à concha; Tillinites à tillinis, Ostreites ab ostrea, Ctenites à pectine, Strombites à cochleis aquaticis nuncupantur, Echinites ab Echino marino, Scolopendrites à vermescolopendra, Lyncurius à lynce, ita dicitur.

*Muytes.*
*Conchites.*
*Tillinites.*
*Ctenites.*
*Strombites.*
*Echinites.*
*Scolopendrites.*

A figura confectas vocant Itali lapillos albos crispos qui semina incrustata saccharo referunt, tales

iuxta

iuxta balneum Bulicame, vel oche in agro Viterbiensi reperiuntur. Syringites stipulæ internodio similis, perpetua fistula cavatur inde nomen consequutus. *Syringites.*

Corallina à coralli forma. *Corallina.*

Pisolithus à piso propter similitudinem in thermis Carolinis Bohemiæ invenitur. *Pisolithus.*

Cicerum ager in Iudæa est in monte quodam ex quo Ierusalem, & Bethleem spectari potest, hi colore, forma, & magnitudine cicer Arietinum ita exacte referunt ut quis vix à vero discernere possit. *Rhodites. Melitites.*

A forma dantur etiam nomina sequentibus lapidibus, Rhodites à Rosæ, Melitites à mali, Dendrites ab arboris, Stelechites à stipitis, vel trunci, Elatites ab abietis, Clethrites ab alni Amigdaloides ab amigdali osse, Daphnia à lauri, Cydonites à mali cotonei, Dryites à quercus, Onyx ab unguis, Dactilus ideus à pollicis, Hystera petra ab uteri, Enosteos ab ossium, Cardisce à cordis figura. *Dendrites. Stelechites. Elatites. Clethrites. Amigdaloides. Daphnia. Cardisce.*

Ut à forma, similitudine, & figura, ita etiam à colore nomina dantur. Ab auri colore Chrysitis, Chrysolampis, Chrysolithus, Chrysophis, Chryselectron, Chrysoprasus, Chrysoberillus, Ammochrysus, Leucochrysis dicuntur. Ab argenti colore Argyrites, Argyrodamas. A ferri Syderitis, à plumbi colore Molybdos, ab æris Chalcitis, ab armaturæ colore Hoplites. *Chrysolampis, Chrysophis. Syderites. Molybdos. Hoplites.*

Ab Hepatis colore Hepatitis, A cancri marini colore Carcinas. A viperæ colore Echites. A Scari piscis colore Scarites à mulli piscis colore Triglites. A pavonis colore Taos. A leonis pellis & Pantheræ colore Leontios & Pardalios. A flavo, & melleo colore Melychlorum, à croci colore crocian. A canitici colore Polia, vel Spartoplios. A fumi colore Capnites. A ceræ Cerites. *Hepatites. Carcinas. Echites. Scarites. Triglites. Taos, Leontios. Pardalios. Crocian. Polia. Spartoplios. Capnites. Cerites.*

A lactis Galactites, vel Galaxias, à sanguinis Hæmatites, A myrthi Myrthites, & carnis Sarcites. A cineris colore Tephritis nomen habet.

Lychnites etiam à lucernarum accensarum colore, vel similitudine, Coracias à corvi colore, Cepites, vel Cepoides ab hortis ob colorum varietatem, & Catoptrites à speculo, quia imagines reddit, Myrrhites à myrrhæ colore, Sarda à carnis colore, aut potius Sarcites, Perdicites à perdicum colore nomina obtinuerunt.

*Coracias.*
*Cepites.*
*Cepoides.*
*Catoptrites.*
*Perdicites.*

A contentis nomen habet Enhydro quod aquam in se contineat.

Ab effectu lapis Nephriticus quia nephritidem curat, & Asbestos, quia igne non consumitur, deinde Heliotropion quod Solis radios girat, nomina habent.

Ab odore Myrsinites, & Aromatites myrrham olens vocatur, à sonitu Calcophonos lapis ille dicitur niger, in quo æris tinnitus percipitur.

*Myrsinites.*
*Calcophanos.*

A patria, & loco ubi inveniuntur multæ gemmæ, multique lapides nomen habent.

Hoc notandum veteres, eisdem generis, vel speciei gemmis, vel lapidibus propter formam, vel colorem, vel effectum, aut ob aliam causam ut ex prædictis apparet, alia nomina dedisse. Deinde etiam quia nihil fere est in rerum natura (nisi lapide durius sit) quod succo lapidescente accedente, non possit in lapidem converti, non mirum est (arboribus, floribus, ramis, foliis, fruticibus, herbis, fructibus, seminibus, animalibus eorumque partibus, & artificialibus rebus variis in lapidem versis) tot genera lapidum inveniri, & ab iis nomina habere.

Cap.

## CAP. CCC.

*De locis ubi variæ res in lapides mutantur.*

AQuæ quæ vegetabilia, aut artificialia in lapides vertunt in variis locis reperiuntur.

Strabo lib. 3. scribit contra Laodiceam Hierapolis ubi calidæ aquæ scaturiunt, & ubi Plutonicum est aquam in tophum ita indurescere, ut qui aquæductus deducunt integra septa ex eo aquis conficiant.

F. Leander Albertus Bononiensis in descriptione Italiæ narrat, ad Senam torrentem è Saxo fontem prorumpere cuius aqua 15. dierum spatio quicquid immerseris in lapidem convertit, vel lapideo cortice tegit. Deinde idem paulo post Taliamentum maius, de quo nunc agimus, ex monte Mauro nascitur, supra vicum Phornium ubi fons mirabilis, in quo lignum deiectum lapideo cortice obducitur, & virgulta, & folia immersa lapidescunt. In agro Pisano, & antris quibusdam montis sancti Iuliani prælongæ concreta aqua striæ, ut in Lucensi iuxta convallem dictum pagum prægrandes columnæ ex aquis paulatim concrescunt.

Prope Avernorum Hergobiam fons limpidissimus est, qui succi lapidescentis tantam copiam evehit, ut accolæ pontem ex eo substructum, & aquæ cursum impedientem, ligonibus quotannis diruere cogantur. Non procul Vienna Allobrogum in vico Hiuret fons limpidissimus, & potu salubris, & suavis, suo succo lapides gignit, durescentibus silicea soliditate, quæcunque in eius alvum proiiciuntur.

Anienis fluvius quacunque pertingit lapideam facit terram, & ligna, & cortices, & tamen Tybure

toto fere anno turbida bibitur, nec aliquem calculi vitio afficit.

In Cappadocia, authore Cœlio, inter Mazaccam, & Tuanam lacus est in quem Harundinis pars immissa altero die spectatur in lapidem versa.

In Elbogano tractu iuxta oppidum Falkenaw integræ abietes in lapides vertuntur. Et Domitius Brusonius in Silare amne, qui radices montis eius, qui est in agro urbis Ursentinorum olim, nunc Conturssii, lambit, folia & arborum ramos in lapides transire, non fide aliorum, sed propria, ut qui incola sit regionis, narrat. Cortices autem lapidum annos numero ostendere.

In Zepusio Ungariæ aquæ multæ sunt lapidescentes. Est enim fons eximius ad pagum cui apud Zepusienses Germanos à rivi murmure nomen est, qui instar Piscinæ stagnat, & plurimam aquam reddit, in quam item ligna iniecta lapide seu cortice obducuntur. Alter ad pagum qui vocatur Ioannis. Nam qui angustius scatent, statim atque paululum profluxerint lapidescunt, & ita in tumulos exurgunt, cuiusmodi videtur unus ad pagum D. Andreæ nomine, alter cæteris insignior prope arcem Zepusiensem ad ædem D. Martini, quæ sacrarum ædium præcipua est in Zepusio. Ex hoc fonte scaturiens aqua, quacunque vadit, lapis fit, sed eius generis lapides subterranei pluviis expositi tandem iterum dissoluuntur, & cementi vices explent. Qui sub dio lapidescunt, tophi sunt levitate, & raritate pumicibus similes. Ex his construunt ædes incolæ, ac se ex aqua domus ædificatas habere ænigmatice iactitant. Ad arcem Fileg in comitatu Neogradiensi specus est, in quo superne destillans aqua, continuo durescit. Ibi vero videas ceu hominum statuas, consistere Saxa ex hac destillatione concreta.

creta. Alba hæc sunt colore, ac trita pictoribus usui sunt.

Prope oppiduli Veronei in Gallia mænia fons perennis scaturiginis, aspectu iucundissimus, lympha lympidissima, colore, & odore insipida. Sed sapore non ita commendabili, incolis tamen non ingrata extat. Erumpit aqua ex altissimis subterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto ut nescias illamne peripheriam natura dederit, an vero ars Euclidis exquisitissimum istum circulum elaboraverit: sic autem ad labri margines exundat aqua, ut statim & breviſſimo aquæductu decurrat in rota, quæ molam frumentariam circumagit, indeque cum glarea, quam currente alveo secum abradit, guttatim in substratum lutum, & proximam ulneam decidit, quæ omnia sua frigiditate ita subigit, fermentat, & cogit, ut tandem in lapides induret, leves quidem illos, & foraminulentos, quorumque unam aliquando partem videas iam petrefactam, alteram vero adhuc agnoscas musco herbaceo virentem & cœnosam quæ tantum lapidescere incipiat. Coguntur vero illi lapides tanto aggere, ut nisi ex intervallis molitor eos ferreo malleolo conterat, & subtrahat impedimento sint ipsi moletrinæ, quo minus libere circumvolvatur.

Narrat Thomas Moresinus in Moravia Scotiæ aquam esse, in qua neque materia aliqua crassa, neque viscositas apparet, aut deprehenditur ulla, quæ tamen in saxum concrescat, quod iterum igne querno dissolvi possit in liquorem, similemque aquam se vidisse ait in Gallia Occitanica, apud Sevenos, & alibi.

In Baldensibus fistulis, & tubis æquæductuum, ut Bechlingi ex eo fonte qui in arcem derivatus est,

Tophi solidiores instar botri in superficie, coloris spadicei durissimi fiunt. Ex scaturigine thermarum Carolinarum (in quibus folia quercus, & alni impressa, in calidarum canalibus striarum figura pendent) ligna, stramina & quævis res iniectæ lapidescunt: fabæ item, & pisa ibidem lapidea nascuntur. Prope Beffordiam in Alsatiæ finibus, item in ditione Iestemiana, non longe à Scaffhusia agri leguminosi, & quasi fabis, orobis, & pisis lapidosis instrati, & consiti reperiuntur, an sponte ita nata sint legumina, an in lapidem versa, incertum est.

In piscina prope Schellebergam arcem in Misnia rami folia, cortices, ligna, manicæ, chyrothecæ in saxa mutantur.

Prope Torgam in Albi trabes molares mutatæ in saxa reperiuntur.

Tribus miliaribus à Francofurto ad Oderam fons est, qui folia, & arborum ramos in lapides transformat.

In Brittannia magna spelunca est, ad Devernam sita, in quam quicquid aquarum influit in lapidem coagulatur.

Iuxta Carthusiam Francofurti ad Oderam aqua præterlabitur, quæ ligna, cochleas, & nucum putamina in lapides mutat, etiamsi in ea vivæ Ranæ degant sine noxa.

In lacu Hyberniæ omne quod iniicitur, vel in ferrum convertitur, vel si fundum petit in lapidem transit.

Similiter in Ungaria in comitatu Barsiæ invenitur ingens fluvius, qui quamprimum ex scaturigine erumpit, in substantiam saxeam non aliter, quam tempore hyemis, aqua frigore congelascit.

Aqua Berilli, & Adamantis omne vegetabile in lapidem transmutat si Paracelso credendum est.

Est

Est fons apud Ginetri castrum, sexto à Vienna lapide semotus, qui à culina ad moletrinam currit, per ligneos canales, in quibus si quid imprimas, vel sculpes, altero die lapidem invenias cum impressa concretum effigie.

Aquæ Tophaceæ visuntur non procul à Leffingen Bollam versus, ubi balneum innotuit paucis aliquot hinc ab annis, apud Wutt dictum flumen. Ubi aqua ex tubo effluens subiectum monoxycon, totum incrustavit poroso lapide. Ita circum Badenas Helveticas, Tigurum, Egglison, Engen, aliaque vicina loca visuntur aquæ, quæ omnia vel in lapides convertunt, vel saltem foris porosa substantia incrustant, obducuntque. Andernaci etiam ista observantur.

In Thermis Carolinis Bohemiæ quævis aquis quibusdam impositis una nocte crusta lapidea obducuntur.

In Veronensi agro lapideæ tabellæ inveniuntur, quales Islebianæ sunt (de quibus in capite de Saxo Scissili egi) quæ pisces in se habeant, quasi insculptos, mutati enim sunt in lapides.

In quibusdam Ponti locis, Theophrasto authore, pisces etiam fossiles reperiuntur.

In agro Luneburgensi ossa belluarum in lapides versa inveniuntur, & prope Heidelbergam circa Hildeshemium Cornua, vel Cornu Ammonis.

Ut in variis terræ locis varia lapidum genera reperiuntur, & crescunt, ita etiam in variis animalibus, variisque animalium partibus. Nam in conchis Margaritæ, in Bufone Bufonius lapis, in cervi capra Bezoar, in gallo gallinaceo Alectorius, in hyrundine Chelidonius, ac in aliis alii nascuntur, & reperiuntur qui omnes ab animalibus nomen obtinent. Solus homo qui in quavis corporis parte

lapides gignit illis nullum peculiare nomen dedit.

In capite, pulmonibus, ſtomacho, hepate, veſicula fellis, renibus, veſica, articulis, & inteſtinis hominis ſæpiſſime deprehenſos fuiſſe maximos calculos medicis omnibus luce meridiana clarius eſt. Habui hic Pragæ nobilem quendam in cura qui cum diu colica laboraſſet, eaque in paralyſin deſiiſſet, calculum per inteſtina ovi gallinacei magnitudine ſubruffum, nec adeo durum per alvum eiecit. In hepate fabæ maioris magnitudine, & qui colore lapidem Bezoar referebat, habuit aurifaber quidam ſenex Pragenſis; Eundem adhuc ſervat ſenis filia Sonteri aurifabri uxor.

Narrat Ægineta lib. 3. cap. 31. quendam qui diu ſanguinem eiecerat quatuor calculos aſperos tribulorum modo ad magnitudinem ſiliquarum tuſſi eieciſſe.

Benivenius Henricum quendam Alemannum cum diu tuſſi inani laboraſſet, tandem calculum avellanæ magnitudine egeſſiſſe tuſſi ſcribit.

Fernelius itidem ſe quendam Alemannum cum diu tuſſi inani laboraſſet tandem calculum avellanæ magnitudine egeſſiſſe tuſſi ſcribit.

Fernelius itidem ſe quendam noviſſe qui ſæpe duros hordei, & piſi magnitudine calculos tuſſi expelleret affirmat. Geſnerus recenſet in Bodehorni Iurisconſulti fellis veſicula 22. calculos fuiſſe inventos, & Fallopius ſimiliter in veſicula fellis ſe *a* 123. calculos reperiſſe narrat.

In veſica, & renibus calculos reperiri tam vulgare eſt ut ſuperfluum ſit ideo exempla in medium adducere.

a *Simili modo, hic Leidæ, Cl. V. Henricum Florentium Medicinæ Doctorem apud Lugd-Bat. peritiſſimum, mulie-*

*muliebri corpore (cuius nomen erat Catharina Hamburgensis, Amstelredami patibulo affixa) publice in loco Anatomico dissecto Anno* M. DC. XVIII. *è vesicula fellis* 124. *calculos, quadratos omnes eiusdem ferme magnitudinis, & crassitiei, cinerei coloris, extraxisse vidimus.*

## CAP. CCCI.

### *De modo quomodo, & cur variæ res in lapidem mutentur.*

QUo pacto variæ res in lapides mutentur à multis traditum est. Fallopius in libro de metallis, & fossilibus succum lapidescentem, id est, humorem quendam optime elaboratum, & coctum, ac genitum ex materia lapidosa cum aqua commixtum, causam præcipuam docet, eundemque succum si cum aqua tantum confusus sit, & non commixtus, non transmutare res, sed saxeo cortice obducere. Idemque fieri si ramenta lapidum, ac exiguæ illius portiones aquæ commiscentur. Efficientem causam mixtionis calorem ponit non frigiditatem: ac herbas quasdam ut Corallium, aut corallinam nutriri succo lapideo, & allicere quem aliæ vicinæ respuunt; non tamen prius lapidescere, quam humidum aqueum, quod succus lapidescens pro vehiculo habuit, semotum fuerit. Succum præterea lapidescentem Fallopius statuit triplicem, unum non purum, alterum purum, clarum, limpidum, & gemmeum, qui exhalationem siccam pro materia in suo humore habet, & cum corpus aliquod imbibit in nobiliorem lapidem, aut gemmam transformat. Hoc modo ligna in Jaspides vel Achates transmutari existimat. Tertium eum, qui alimenti causa à plantis appetitur, ut à Corallio, & in nonnullis partibus

tibus marinis tantum reperitur. Impurum succum in quavis terra reperiri tradit, ac propterea lithospermum lapidea semina quæ nec urantur, nec emolescant, nec eliquentur in quavis terra producere.

Mauritius Cordæus Corallium non solum ab ambiente frigore indurari putat, sed quod absconditam habeat in se suæ duritiei energiam, quæ à circunstante aëre affecta illam produxit.

Mathiolus materiam quæ quævis in lapidem transmutat dicit esse lutum, in quo multo plus sit tenacis terræ, quam aquæ, præterea ramenta saxorum quæ aquarum decursus abradit. Deinde succum lapidescentem, qui cum in cavitates corporis irrepserit quiescens frigore concrescit.

Paracelsus coagulationem per spiritum salis, qui omnia salis corpora coagulat fieri existimat, ac aquam qui hunc spiritum cum subtilissimis lapidum partibus fert corporum vacuas partes, permeare, opplere, ac penetrare sicuti tinctura pannum in quo permanet, & tandem similiter in iis manere, ac lapidescere. Alibi mucum in torrentibus adhærere lapidibus, qui tandem lapidescat, vel exiccatus in vitro in lapidem commutetur, docet. Alii alio modo, aliisque efficientibus causis transmutationem fieri autumant. Ego ut quid in lapidem transmutetur & patientis, id est, rei transmutandæ, & agentis, id est, efficientis causæ cum sua materia, qua tanquam proximo instrumento utitur, dispositionem aptam requiri, & præ manibus esse debere autumo. Rei enim trasmutandæ, seu patientis dispositio talis esse debet, ut corpus habeat porosum, vel penetrabile, ut hoc modo omnes, & minutissimæ,

mæ, intimæque illius partes proprio, vel agentis humido humectari possint. Deinde ut humiditas propria, vel adventitia ab eo facile secedere possit. Agens, sive calor intensus, sive remissus sit etiam humidum actu, vel potentia patienti, vel sibi adiunctum habere debet, idque aquosum, vaporosum, oleosum, vel combustibile. Deinde agentis materia aqua, vel spiritus vel aliud quiddam acutum ad intima penetranda, & partes patientis alterandas, & dissecandas esse debet. Præterea agentis materia partes terrestres ita subtiles, & in minima resolutas contineat oportet, ut in aquam iectæ, aut exhalationibus commixtæ diaphanitatem non impediant, aut conspici non possit, id est, per tota humido commixtæ sint: quemadmodum vinum cum aqua miscetur commixtum est, aut tartarus vini in purissimo vino resolutus consistit. His omnibus adiungi vis quædam assimilatrix materiæ agenti insidens, quam aliqui virtutem lapidificandi vocant, debet. Huius essentia, ut formarum omnium effectrices causæ, & essentiæ ignotæ sunt, ita hominis ingenium, & investigandi industriam illudit, & superat. Dixi agentem humidum debere habere aquosum, ut nempe vehiculi loco sit terrestri materiæ quam in se continet, & rem transmutandam (si pinguis, & oleosa non sit) subire possit. Dixi vaporosum, ut si sub materia transmutanda positum sit, in illam deferri, & sublimari possit. Dixi oleosum, ut si res transmutanda pinguis, & oleosa sit illam penetrare, illique commisceri possit. Dixi combustibile propter exhalationes, aut spiritus sulphureos mineralium, qui ignis naturam referunt, & materia lapidifica gravidi non solum lapides in meteoris generare, sed longe facilius corpus porosum subeuntes in lapidem (humido proprio, vel patientis exspirato) com-

commutare possunt. Deinde dixi agentis materiam, vel spiritum debere esse acutum, quia sine acumine non fit penetratio, & vera commixtio, sed tantum confusio. Hanc ad rem idonea sunt salium mineralium corpora, eorumque spiritus quorum proprium est corpora solvere, & spiritus coagulare, testante Chymicorum experientia. Vidi enim multoties salis spiritu, spiritum Corallorum, Margaritarum, Oculorum Cancri, & aliorum mineralium etiamsi vini essentia solutus esset, paucis guttulis iterum coagulari, & in corpus redigi. Et licet huiusmodi salia, vel eorum spiritus non cuivis statim appareant, tamen sciendum nullam fere esse terram, quæ huiusmodi sal non ferat, nisi prorsus sterilis sit. Nam quæcunque herbarum, & fruticum ferax est, plurimum salis continet, quod in herbarum, & fruticum alimentum cedit, à quibus iterum arte chymica separari non difficulter potest.

## Cap. CCCII.

### *Quomodo in corpore humano lapides generentur.*

Medici fere omnes materialem calculi causam statuunt lentam, & viscidam materiam quæ à calore renum, (ut lutum in fornace ab igne) coquitur, & induratur, sed decipiuntur. Nam veras, & proximas calculi causas omittunt, remotioribus tantum intenti. Si enim roges unde lentor ille materiæ manet, quibus partibus constet, & an quivis lentor, & quare in lapidem mutetur? apte respondere non possunt. Si iterum cur cum lenta materia in intestinis, & naribus copiosa sit ibidem calculus non generetur, nihil aptius respondent. Nam nec calorē in naribus deesse, nec in intestinis (ubi non minor quam in renibus est) obiicere possunt. Si iu-

venes,

venes, adoleſcentes, & pueros huiuſmodi abundare, & ſcatere viſcida materia, & cruda, ac renes ſenibus calculoſis calidiores habere quis illis obiiciat: reſpondent ſenum calorem eſſe præternaturalem, iuvenum naturalem. Sed frivola eſt hæc reſponſio, quod iuvenes multique alii ſæpe renum calida intemperie laborent, non tamen propterea calculum generent. Deinde quod lotia excepta, & in frigido loco ſervata lapideſcant citius, quam quæ in calido ſervantur. Si enim calor calculi generationem efficeret in veſica, calculus non minus quam in matula concreſceret: præſertim illis quibus ſtatim emicta concreſcit. Si nempe illam tanto tempore in veſica poſt eiiciendi appetitum retinerent, quanto ut matula concreſcat, opus eſt. Deinde etiam quævis materia viſcida ab illo in lapidem concreſceret. Verum cum utrumque experientia falſum oſtendat, nequaquam calor intenſior indurationis materiæ calculoſæ cauſa erit; ſed potius ipſa materiæ apta diſpoſitio, non diſſimilis ab ea, quam requiri dixi, ut lapidis fiat generatio in terra. Materia itaque ex qua calculus in homine generatur humor eſt ſuperfluus ſeparatus ab alimento. Conſtat is ex aqua ſimplici elementali, & terreſtri materia. Terreſtris materia pro alimenti natura varia eſt. Nam vel eſt craſſa, & difficulter liquabilis vel eſt tenuis, & facile liquabilis. Craſſa luti, vel boli inſtar ex terreſtribus alimenti portionibus à natura in minimas particulas reſoluta eſt. Liquabilis eſt quæ ſalis communis inſtar, diaphana, clariſſima, & limpidiſſima, in aqua diſſolui poteſt. Hæc ut ſalium multæ differentiæ ſunt, ita multiplex eſt. Nam vel aluminis ſalis communis, nitri, vitrioli, armeniaci, tartari, vel aliorum naturam refert. Humor itaque hic ex terra, aqua, & ſale conſtans dum à natura per ordinaria emunctoria

ria non expellitur, sed in viscеribus hæret varia obstructionum genera, varioſque morbos generat, & si humidum aqueum ab ipso, vel totum vel ex parte decedat, in lapidem coagulatur, & fatiscit. Lutum enim bolus aut terra illa in minimas partes soluta lapidescit propter remanens sal, quod illi adiungitur, & insita proprietate nisi nimia aquei humoris copia diluatur, aut ei nimius humor adsit, in ipsa aqua indurescit, & congelascit ut vitri confectio ostendit. Non enim necesse est omni humore destitui ut lapis generetur, sufficit enim præcipuam partem decedere. Terrestris hæc materia, & sal hoc non generatur in homine, sed ex alimentis manat, quæ sine his neque sustentari, neque conservari poterant. Ut illa his indigebant, ita & homo cuius solidæ partes, ut ossa, caro, dentes, & cæteræ, terra, sed multas alterationes passa opus habent; Ad huius, & illorum connexionem promovendam, & corruptionem impediendam non levis momenti est sal, naturæ quasi balsamum: quod prius ipsi alimento, & postea humori qui ex alimento provenit, insidet, & sanguini commiscetur, ac postea si superfluum sit, recte valente excretrice facultate à natura secernitur, & per urinam, & sudores expellitur, ut & terreus, feculentusque sanguinis humor, qui in urina hypostasin facit, & calculo materiam præbet: qui facile in renibus (si illorum calor imbecillus sit) ut in senibus, aut morbo afflictis contingit, concrescit. Calor enim renum magnus, non solum non iuvat calculi coagulationem, sed potius impedit: ut iuventus quæ raro calculis propter caloris abundantiam obnoxia est, & excreta urina, approbat. Nam si calida servetur, ut ante notavi, non tam cito calculos ponit quam si refrigerari sinatur, idque omni salis generi proprium est. Dum enim in liquore

quore Cryſtalli formam accepit, eo iterum calefacto, ſolvitur. Id itaque ut extra corpus humanum faciunt ſalia, ita multo citius in corpore. Concurrere itaque debent ad calculi generationem in corpore humano concoctricis & expultricis facultatis imbecillitas, renum frigida intemperies, & copia terreſtris materiæ, & ſalis in humido ſoluti. Hæc enim duo iuncta humidi beneficio tanquam medio partes partibus apponendo facile glutinantur, ac glutinata tartari nomen chymicis à vini lapillo ſimili fere modo generato, obtinent. Hic tartarus ſi multum terræ habeat lapidis vulgaris formam refert, ac pro quantitate ſalis adiuncti durior, vel mollior eſt. Quo enim plus ſalis habet eo magis compingitur, & induratur terreſtris materia. Non tamen maxima ſalis quantitas minimam terreſtrem in lapidem cogere poteſt. Quia proportio quædam certa utriuſque requiritur. Terreſtris portionis quantitas tanta eſſe debet ut impedire poſſit ne ſal illi unitum ſolvi poſſit, ſaliſque tanta ne terra fatiſcat, ac pulveris inſtar diffluat. Hanc proportionem natura ipſa obſervat, & experientia chymicorum deprehendere poteſt. Viſcida materia hic nulla glutinis inſtar ad glutinandum, ut vulgares medici ſomniant, requiritur. Si enim talis adeſſet me iudice calculi generationem impediret. Viſcidum enim aquæ mixtum calculum efficere nemo ne in rebus quidem exteris unquam vidit, ſed potius contrarium, cum mollius ab aqua, & citius ſi calida ſit reddatur. Vulgare enim gluten aqua diſſolvitur, non lapideſcit. In renibus vero, vel veſica, aliiſve corporis partibus cum nunquam deſit humor calidus quo pacto viſcida materia cuius proprium eſt ab humido calido diſſolvi, lapideſcere poterit? Glutinis vices in calculi generatione preſtat ſal, quod ut

dixi

dixi in proportionata quantitate humoris congelatur, & indurescit. Id si lutosæ terrestri materiæ optime commixtum beneficio aquei humoris fuerat, eo diminuto, ac ad requisitam quantitatem redacto sibi adiunctas terrestres portiones indurat, & in lapidem secum cogit: prorsus eodem modo quo si lutum aquæ communi optime commisceas, & frigori exponas aqua congelatur, ac luto consistentiæ firmæ causa est, non quidem Crystalli, aut glaciei, sed lapidis forma. Si parum aquæ luto adiunctum fuerit, neque plus quam ipsius humectationi sufficiebat lapidem plane refert. Ut in luto frigus, absque glutine, duritiem, consistentiam, & cohærentiam efficit, ita in lapidibus sal, quod in glaciei, vel Crystalli speciem in humore apto congelatur, & induratur ut spagyricis notissimum est. Si quis obiiciat caseum qui lentus, & viscidus est experientia certissima calculosis nocere, ac calculi generationem promovere. Utrumque concedo, nempe & viscidum esse, & lentum, & calculo materiam præbere. Verum visciditatem, seu lentorem ipsius in causa esse nego. Imo opinor caseum nocere non posse quamdiu visciditas, ipsius substantiæ iam ad alimentum paratæ, adhæret: idque propter rationes supra allatas. Nocet itaque propter aliam causam, quia videlicet multum terrestris materiæ ex qua ossa, & solidiores partes fœtus ali debent continet. Hæc dum propter acrimoniam salis adiuncti in minimas partes resolvitur, visciditas illi prius annexa ab acrimonia, & tenuitate salsi humoris exeditur, & consumitur, ut totus humor tenuis, & detergens reddatur, quemadmodum in vino contingit. Id enim recens expressum, ac in dolium immissum primum viscidum est, & lentum diluti glutinis instar, postmodum tamen tempore tam tenue

reddi-

redditur ut in vitra effusum propter partium tenuitatem atomorum similitudine exiliat. Eo cum redactum est tum primum calculos, seu tartarum ad vasis latera se ponere deprehenditur. Sed obiici potest iterum exemplum luti, aut argillæ, quæ aqua imbuta tam viscida est, ac tam firmiter equorum pedibus adhæret, ut sæpe ferreos calceos in illa relinquere, prius quam pedem eximere possint, debeant: quæ etiam solo ignis calore tanquam præcipua efficiente causa in lapidem testaceum abit. Respondeo absque aqua argillam viscidam non esse, cum visciditas, absque humido esse non possit, aquam vero consumi igne, nec prius argillam lapidescere, ignem præterea esse quidem causam, sed non propter solum calorem id facere, sed propter materiam quam exurit, & cætera quæ cum flamma, & fumo secum fert, ac ut lutum, vel argilla lapidescat sunt necessaria. Deinde quia ea aufert, quæ impediunt ne argilla lapidescat: aqueam enim humiditatem quæ argillam viscidam facit tollit, à corpore separat, & in auras resolvit. Fert autem secum ignis, humiditatem oleosam, quæ eius pabulum est, præterea salsos, ac sulphureos spiritus, ac exhalationes siccas cum terrestribus portionibus in minima resolutis; quæ omnia materiæ combustibili insunt; ut fuligo à fumi copia in massam redacta clare, & perspicue docet. Terra enim inde elici, & sal deinde humiditas inflammabilis, & spiritus possunt, ita ut ignis noster non simplex quiddam & elementum, sed mixtum dici possit. Nisi quis calorem summum ignem esse velit, & à reliquis quibus inest secernat. Sed ita qualitatem non substantiam inde efficiet, utpote quæ subiecto insit, & sine ipso, ac per se subsistere non possit, quod omnibus qualitatibus proprium est. Ignis itaque pabulum suum

hoc est terram, salem, spiritus, ac exhalationes, quæ in materia, quam comburit continentur in argillæ, vel luti corpus (expulsa prius ipsius viscosa humiditate) deferens, facile illam in lapideam formam vertere potest. Nam & sine his argilla, vel lutum proprii salis beneficio quod quævis terra in se continet, iuvante intenso calore, tanquam externo efficiente, parteſque suo motu coniungente, lapidis formam accipere potest. Calor itaque intentus, seu ignis noster tanquam causa quædam communis efficiens, & sine qua nihil fieret, dum ad lapidis formam inducendam aptam materiam, & quæ externam habet causam efficientem sibi annexam nanciscitur, lapidem facere potest. qui putat ignis subiectum, seu materiam combustibilem nihil ad terræ coagulationem facere, accipiat cineres, ac à sale abluat: Deinde eos adiecta aqua, cucurbitæ vitreæ indat, ac igni committat, videbit nunquam lapidescere posse, primum quod nullum sal proprium habeant: præterea quod per vitrum, ignis ex materia combustibili cui inhæret illis neque spiritum, exhalationem, salem, neque aliud quicquam communicare possit. Si vero salem à cineribus non auferat, mox lapidescere proprio sale in cucurbita vitrea deprehendet. Est itaque vera interna efficiens lapidis causa tum in materia ipsa, quæ lapidescere debet, tum in ea materia, quæ ut aliquid lapidescat accedere debet. Ac calor tantum externus efficiens, quia principium motus est: quem ego verum non appello, sed eum tantum quo præsente effectus fit, & absente non fit. Sed etiamsi verum esset lutum à calore tanquam efficiente causa lapidescere, non tamen ideo sequitur in corpore humano simili modo calculum fieri. Quia ut ex præcedentibus colligi potest: lutum quamdiu humidum manet in lapi-

dem

dem abire non potest; Sed tum primum cum ab igne hoc depulsum, aut absumptum est. In corpore humano vero cum lutosa materia nunquam absque copioso humore præsertim in vesica, renibus, & ureteribus sit, quo pacto à calore non potente depellere humidum indurari poterit? Aliud itaque quippiam quam calor esse debet quod coagulet, & vere efficiat lapidem, vel calculum. Causa formalis lapidis est occulta quædam in renibus, aut aliis partibus dispositio ad lapidem generandum.

## CAP. CCCIII.

### *Sequuntur nonnullorum Lapidum, & Gemmarum ex variis Authoribus secundum alphabeti ordinem descriptiones, num autem lapides isti omnes, aut gemmæ in rerum natura sint non satis constat, quod ignotæ sint.*

APlinio, Alberto Magno, Evace, Bartholomæo Anglico, Ludovico Dulci, variisque authoribus, qui de gemmis scripserunt, aliquæ gemmæ, vel lapides tam paucis notis describuntur, ut nemo quinam sint discernere possit. Aliquorum etiam nomina à Barbaris authoribus ita corrupta sunt, ut quis dubitet, num veterum lapides sint, ad quorum nomina accedunt, num vero alii. Ne itaque à nonnullis authoribus tractati lapides à me videantur omissi, placuit secundum alphabeti ordinem illos hic describere.

## A.

Absinthus Alberto Magno lapis est niger rubeis virgulis, vel guttulis, dicitur permanere calidus per septem dies si semel calefiat, videtur esse Asyctos Plinii corrupto vocabulo.

Acopis nitro similis est pumicosa aureis guttis stellata. Cum hac oleum subfervefactum perunctis lassitudinem (si credimus) solvit. Plin. lib. 37. cap. 10.

Agapis lapis est, colore pellis leoninæ ab ἀγάπη, id est, dilectione sic dictus, quod ab omnibus diligatur. Facultatem admirandam contra scorpionum ictus, ac viperarum morsus habet. Alligatus vulneribus, aqua prius madefactus, extemplo dolorem mitigat, & sedat. Ludovico Dulci authore.

Amatides est lapis, vel gemma à qua si vestis fuerit contacta, igni resistit, & si illi imponatur non ardet, sed potius splendore nitidior apparet similisque est alumini scissili, omnibus magorum maleficiis obvians, & resistens. Bartholomæus Anglicus ex Isidoro. Videtur esse amianthus corrupto vocabulo.

*Chrysocolla.* Amphitane alio nomine appellatur Chrysocolla in Indiæ parte, ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro similis, quadrata figura, affirmaruntque naturam eius quæ Magnetis, nisi quod trahere quoque aurum traditur. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur hic lapis fictitius, cum nunquam inventus sit qui aurum trahat.

Anachites gemma dicitur qua in hydromantia dicuntur evocari imagines deorum. *a* Plin. lib. 37. cap. 11. Plinio putatur eadem quæ Adamas.

Andromadas argenti nitorem habet, ut Adamas quadrata, semperque tessulis similis. Magi putant

tant nomen impositum ab eo quod impetus hominum, & iracundias domet. Eadem sit an alia Argyrodamas authores non explicant. Plin. lib. 37. cap. 10.

Androas à nonnullis vocatur Androdamas.

Antachates Achatis species est, cum uritur myrrham redolet. Plin. lib. 37. cap. 10.

Anterotes Opali, vel Pederotidis species, Plin. teste.

Antipates quam aliqui Corallium nigrum putant, nigra non transluce. Experimentum eius si coquatur in lacte, facit enim hoc myrrhæ simile immissa, eamque contra effascinationes auxiliari Magi volunt. Arabica ebori simillima est, & hoc videretur nisi abnueret duritia. Putant contra dolores nervorum prodesse habentibus. Plin. lib. 37. cap. 10.

Aphrodisiace ex candida rufa est. Plin. lib. 37. cap. 10.

Aquileus est Ætites.

Apistos non est alia quam Plinii Asyctos.

Ægyptillam Iacchus intelligit per album Sardanigraque vena transeunte, vulgus autem in nigra radice Cæruleam facit. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur esse Camea recentiorum. Tritam in aqua colorem, & saporem vini reddere neoterici scribunt.

Argiritis gemma est argento similis, habens stigmata aurea, similis Androdamanti. Barth. Angl. lib. 15. cap. 16.

Asbestos in Arcadiæ montibus nascitur coloris ferri. Plin. lib. 37. cap. 10. Albertus Magnus vocabulum corrupit, & abeston inde facit. Ignotus lapis nisi amianthus sit.

Aspilaten Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris, eam oportere cameli pilo spleneticis

alligari, invenirique in nido Arabicarum alitum, & aliam eodem nomine ibi in Leucopetra nasci argentei coloris radiantem, contra lymphatum habendam. Plin.

Asinius, aut Asininus lapis ab asino nomen habet, quia ab asino sylvestri eruitur, colore albo est ad citrinum tendente, ac figura plerunque ovali, magnitudine nucis iuglandis minoris, mollis, atque aperturas habens, quæ non penetrant. Dum finditur lucido smalto subcitrino similis est. Duo eius sunt genera, Maxillaris, & Cephalicus. Cephalicus capiti impositus eius dolorem sedat, ac epilepsiam sanat. Maxillaris quia in maxilla reperitur gestatus lassitudinem prohibet, & victoriam pugnanti dat, ac hostes lassos superat, venenatisque animalibus resistit. Cum vino ebibitus febres quartanas pellit, ac ad vermes necandos mirabilis efficaciæ est. Venenum ebibitum ne noceat prohibet. Ad anguium morsus valet, parturientibus subvenit, ac fœtum mortuum eiicit. Lud. Dulcis. Forte Ludovicus Bezoar lapidem describere voluit.

Asiictos septenis diebus calorem tenet excalfacta igni nigra, ac ponderosa, distinguentibns eam venis rubentibus. Putant prodesse contra frigora. Plin.lib.37.cap.10.

Altizoen in India & in Perside ac Ida monte nasci tradunt, argenteo nitore fulgentem magnitudine trium digitorum ad lenticulæ figuram, odoris iucundi, necessariam Magis regem constituentibus. Plin.lib.37.cap.10.

Augitis nonnullis non alia videtur esse quam quæ Callais.

Autoglyphus lapis in Sagari fluvio Phrygiæ reperitur ab eo quod nativa matris deorum imago illi

go illi insit sic dictus. Plutarchus de fluviis.

a *Hic locus male est citatus, nam habetur in Plinio Libro 37. Naturalis historiæ cap. IV. litter a g.*

## B.

BAlanitæ genera duo habent, subvirides, & corinthii æris similitudine, illa à Copto, hæc ex Trogloditica veniens, medias secante flammea venas. Plin. lib. 37. cap. 10.

Baptes mollis, alioquin odore excellit. *a* Plin. lib. 37.

Baroptenus, sive Baroptis nigra sanguineis, & albis nodis alligata dicitur velut portentosa. *b* Plin. lib. 37.

Boleniæ nimbo inveniuntur glebæ similitudine. *c* Plin. lib. 37.

Borsycites in nigro ramosa candidis, aut sanguineis frondibus in ea ratio nominis non est. *d* Plin. lib. 37.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. X. littera l.*
b *Ibidem littera m.*
c *Ibidem littera p.*
d *Libro 37. cap. XI. littera l.*

## C.

CActonites nonnullis Sarda putatur, verum falso scribit Solinus in corsica reperiri. Facultatem habet victoriam tribuendi, illi à quo attingitur. Si quis eius scrupulum capiat, resistit maleficiis magicis. Lud. Dulcis.

Cadmitis eadem esset quam Ostracitin vocant, nisi quod hanc cæruleæ interdum cingunt bullæ. Plin. lib. 37. cap. 10.

Callais Saphirum imitatur candidior, & littoroso mari similis, in rupibus inviis, ac gelidis oculi figura extuberat, leviterque adhæret. Plin. lib. 37. cap.10. videtur aqua marina recentiorum.

Callainas ferunt plures coniunctos semper inveniri. Plin.lib.37.cap.10.

Calondronius si corpori applicetur gestanti victoriam præbet, melancholiam, fascinationes, malosque spiritus arcet. Birellus.

Camaseus factitius est lapis.

Cambnites lapis est colore Crystalli obscuro, quem qui gestat, omnibus gratus, affabilis, & amabilis fit, alligatus siniſtro brachio hydropem sanat. Lud. Dulcis.

Capnites quibusdam videtur suum genus habere pluribus spiris fumida in Cappadocia, & in Phrygia nascitur ebori similis. Plin.lib.37.cap.10.

Caratobates factitius ex auro est.

Cardisce, vide Encardia.

Caristeus viridis est, grato colore, unde nomen habet. Lud. Dul.

Catochites, Corsicæ lapis est, cæteris maior mirabilis, si vera traduntur, impositam manum veluti gummi retinens.Plin.lib.37.cap.10.

Cegolites Alberti magni, est Techolithus Plinii.

Cælicolor est opalus.

Cepocapites id est Cepites.

Ceramites testæ colorem habet. *a* Plin. lib.37.

Cepionides in Æolidis atarne, nunc pago, quondam oppido nascuntur, multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias Crystallinæ, alias Jaspideæ. Sed & sordidis tantus est nitor ut imagines reddant, ceu specula. *b* Plin.lib.37.

Chabrate est lapis translucidus Crystallo similis, qui creditur dare eloquentiam, honorem, & gratiam,

tiam, defenditque gestantem à noxiis, ac venenosis, curatque tumorem hepatis, & splenis. Barth. Anglicus.

Chelonia oculus est Indicæ testudinis vel portentissima magorum mendaciis, melle enim colluto ore impositam linguæ futurorum divinationem præstare promittunt, quindecima Luna, & silente tota die, decrescente vero ante Solis ortum, cæteris diebus à prima in sextam horam. Plin. lib. 37. cap. 10.

Chlorites herbacei coloris est, quam dicunt magi inveniri in motacillæ avis ventre congenitam ei, ferroque includi iubent ad quædam prodigiosa moris sui. Plin.lib.37.cap.10.

Choaspites à flumine dicta est, viridis, fulgoris aurei. *c* Plin.

Chrysopterus Topasii species est similis Chrysoprasio, eius enim tota similitudo ad porri succum dirigitur. *d* Plin.

Chrysanterinus frangibilis est, collo alligatus phthisicos curat, & pueros à dentium dolore in dentitione liberat. Lud. Dulc.

Chrysopilon Berilli species est, teste Lud.Dulc.

Chrysopagion Albertus Mag. ab Æthiopia adferri, in tenebris lucere, ac in luce colorem amittere scribit. Ignota gemma est, nisi Chrysopation corrupto vocabulo putet, sed notæ illi datæ non conveniunt.

Chalazias grandinum & colorem, & figuram habet Adamantinæ duritiei. Narrant enim in ignem additæ manere suum frigus. Plin.lib.37. cap.11. Barbari authores Gelosiam vocant.

Cholo Smaragdi genus, quod in Arabia ædificiorum ornamentis olim includebatur. Plin.lib.37. cap.5. A nonnullis Cola vocatur.

Chalcoſmaragdus in Cypro habetur turbida æris venis. Plin. lib.37.cap.5.

Ciſteolithus lapis eſt albus ad flavedinem tendens in ſpongia marina repertus, calculum pellens cum vino ſumptus. Suſpenſus ex puerorum collo illos à tuſſi liberat. Lud. Dulc.

Cimilianthus Marmoris colore in medio habet pupillam auream, aut flavam, ac in littore Euphratis reperitur. Lud. Dulc.

Ciſſites circa Capton naſcitur candida, & videtur intus habere partum, qui ſentiatur intus ſtrepitu. *e* Plin. Ætitis puto eſſe ſpeciem.

Clites factitius eſt lapis ex auro, argento, & ferro.

Coaſpis, id eſt, Choaſpites.

Colontes Alberti eſt Chelonitis.

Cornelius Alberti eſt Corneolus.

Corſoides canitiem hominis refert, unde nomen habet, puto Achatis, vel Jaſpidis ſpeciem eſſe.

Corvinus lapis à Belemnite diverſus à Lud. Dulci deſcribitur, ac in capite corvi piſcis cum ſocio reperiri colore albo, obſcuro, forma ovali, ab una parte concava, ab altera conexa, in cuius medio tuberculum ſit, ac è piſce excavari creſcente Luna Maio menſe dum adhuc palpitat. Dolores inteſtinorum depellere ſi carnem attingat, aut bibatur, traditur. Corvinum lapidem alium deſcribit idem Ludovicus colore flavo. Sed non niſi hac induſtria habere poſſe. Prima Aprilis corvi ova coquantur ad duritiem, refrigerata nido imponantur, ita corvus ovorum iacturam percipiens, hunc lapidem quærit, ac inventum nidoque impoſitum ova in priſtinum ſtatum reſtituuntur, proleſque inde Suſcitantur. Verum lapis cito auferendus eſt, ut geſtatus

divi-

divitias augeat, honores conciliet, ac futurorum eventum prædicere faciat. Sed vana hæc sunt, ac pura, putaque mendacia.

Coravus Marmoris species est.

Craterites inter Chrysolithon, & electrum colorem habet præduræ naturæ. *f* Plin.

Crocallis cerasum repræsentat. *g* Plin.

Cyssites ab hedera nomen habet.

Cynedia invenitur in cerebro piscis eiusdem nominis candida, & oblonga, eventuque miranda, si modo est fides præsagire eam habitum maris nubile colore, aut tranquillitate. *h* Plin.

Cyamea nigra est, sed fracta ex se fabæ similitudinem parit. *i* Plin. forte est neotericorum Camehuia.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera f.*
b *Ibidem littera d d.*
c *Ibidem littera a a.*
d *Libro* 37. *cap.* 8. *littera a. & b.*
e *Libro* 37. *cap.* x. *littera y.*
f *Ibidem littera x.*
g *Ibidem.*
h *Ibidem littera t.*
i *Ibidem littera g.*

## D.

DAphnia à lauri figura dicta comitiales demonstrat *a* Plin.

Demonius duobus coloribus mixtus est iridis instar, valet ad febres, ac venena pellit, gestantemque securum, & victorioſum reddit. Lud. Dulc.

Dendrites ab arbore dicta, & alba defossa sub arbore, quæ cædatur, securis aciem non hebetat. *b* Plin.

Diado-

Diadochus pallidus est lapis similis Berillo, dæmones apparere facit, præsertim si certis carminibus in aquam proiiciatur, in qua diversas species dæmonum ostendit, quæ interroganti respondent. Ori detentus quem quis dæmonem ex inferno velit ad se venire compellit, ac ad interrogata, desideratum responsum consequitur. Cadavera adversatur, quia cum corpus mortuum attingit omnes vires amittit. Lud. Dulc.

Diacodus idem *c* qui diadochus.

Dionisias nigra, ac dura mistis rubentibus maculis, ex aqua trita saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur. *d* Plin. Hanc Ludovicus dulcis narrat ferruginei esse coloris, ac aspersam maculis albis, invenirique in Oriente.

Diphris duplex, candida, ac nigra, mas, ac fœmina genitale utriusque sexus distinguente linea. *e* Plin.

Dorialtides dicitur reperiri in capite mucilaginis animalis, quando acervo formicarum imponitur lucidus fit. *f* Aliqui ex capite galli sumi putant, ac eam facultatem habere ut quis quæcunque desiderare possit consequatur. Lud. Dulc.

Dotto lapis est viridis, aliquomodo transparens, Lud. Dulcis ait Chrysolithi esse speciem.

Drosolithus varii coloris est, igni appositus sudare videtur. Lud. Dulc.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera e e.*
b *Libro* 37. *cap.* x 1. *littera m.*
c *Libro* 37. *cap.* x. *littera e e.*
d *Ibidem.*
e *Ibidem.*
f *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.*14.

## E.

ECHidna à ſerpente dicta Ophites eſt.
Echiſtis eſt Ætites.

Egittilia eſt Ægyptilla.

Eloſſites pulcher lapis non eſt, facultatem habet geſtatus ſanare capitis dolores. Lud. Dulc.

Electrum, id eſt, Succinum.

Emites lapis eſt colore eboris, albo Marmori ſimilis, verum eo mollior eſt, ex eo Darii ſepulchrum fuiſſe narratur. Credo Alabaſtri genus eſſe.

Emetres vide eumetres.

Encrinos lilia repræſentat, cum enim angulata pars una ab altera ſeparatur, utraque quina lilia oſtendit. Nam alterius eminentiæ ingrediuntur in alterius ſtrias. Quælibet vero talis pars quinos habet angulos latera totidem utrinque quina lilia, unde pentacrinos græce poteſt dici. Conſtat autem ex pluribus interdum coniunctis. Adnaſcitur lapidibus in rubro nigri coloris ipſe rufus, fractis ſingulis ineſt lapidis Judaici color, lævor, ac ſplendor. Quare obtinet eandem vim medendi. Reperitur in foſſa mœniorum urbis Hildeshemiæ in Germania *a* Agricola teſte. Germanice vocatur *Lilienſtein*, mihi nondum viſus eſt.

Encardia cognominatur, & Cardiſce, una in qua nigra effigies cordis eminet, altera eodem nomine viridi colore cordis ſpeciem repræſentat, tertia nigrum cor oſtendit, reliqua ſui parte candida. *b* Plin.

Epiſtites, aut Hephiſtrites rubet, & ſplendens eſt lapis qui certis carminibus cordi admotus geſtantem ab omni periculo ſecurum reddit, arcet etiam locuſtas, aliaque inſecta nociva, ac nubes turbu-

turbulentas discutit ab ea terra in qua locatur. Lud. Dulc.

Eristalis cum sit candida ad inclinationes rubescere videtur. *c* Plin.

Erotylos eadem Amphicome & Hieromnenon, à Democrito laudatur in argumentis divinationum. *d* Plin.

Eumeces in Bactris nascitur silici similis & capiti suppositа visa nocturna oraculi modo reddit. *e* Plin.

Eumetren Beli gemmam sanctissimi deorum sibi Assirii appellant, porracei coloris; superstitionibus gratam *f* Plin.

Eureos nucleo olivæ similis est, striata concharum modo non adeo candida. *g* Plin. Videtur esse neotericorum lapis Judaicus.

Eurotias situ videtur operire nigritiam. *h* Plin.

Etindros Alberto est lapis Crystallo similis qui guttas aqueas perpetuo extillat, ob frigus aërem circunstantem resolventem in aquam.

Eusebes lapis est, ex quo Tyri in Herculis templo facta sedes traditur, ex qua dii facile surgebant. *i* Plin.

Eunosius Ætitis putatur species.

Eupetalor quatuor colores habet, cæruleum, igneum minii mali. *k* Plin. videtur Opalus.

Exhebenum zoroastres speciosam, & candidam tradit qua aurifices aurum poliunt.

Execantholithus vide Hexecantholithus.

Estimione est Harmesion.

Exolicetus lapis est sic dictus eo quod quadraginta coloribus est distinctus, & est parvus valde, & efficit oculos intuentis hominis tremulos. In Lybia apud Troglodytas invenitur. Bartholomeus Anglicus. Est Hexecantholithus

*l* Pli-

*l* Plinii Barbaris scriptoribus nomina corrumpentibus.

a *Libro* v. *de Natura Fossilium cap.* v.
b *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera f f.*
c *Ibidem.*
d *Ibidem.*
e *Ibidem.*
f *Ibidem.*
g *Ibidem littera g g.*
h *Ibidem littera h h.*
i *Ibidem.*
k *Ibidem littera g g.*
l *Ibidem littera m m.*

## F.

FIngites, vide Phengites.

Fongites lapis est diversi coloris. Aliqui flammeum colorem, aliqui Crystallinum habere putant, ac in Persíde reperiri tradunt. Euax tradit gestatum manu sinistra Fongitem rubri coloris solvere corporis dolores, & iram compescere. Lud. Dulc.

Filaterius lapis Chrysolithi colorem habet, pellit timores, ac passiones melancholicas, hilaritatem inducit, & cor confortat. Lud. Dulc.

## G.

GAgatronica Alberti est Garatronius.

Galaxiam aliqui Galactiten vocant intercurrentibus sanguineis, aut candidis venis. *a* Plin.

Galaicos Argyrodamanti similis est paulo sordidior. Plin. lib. 37. cap. 10.

Galaricides, vel Galarictis cinereo colore invenitur in Nilo. Tritus lactis saporem edit, oreque reten-

retentus mentem turbat, collo appensus lac auget, femorique alligatus partum facilem reddit, cum sale, & aqua pulvis mixtus, ac ovili insperſus oves lacte privat, ac scabiem curat. Albertus.

Gallerica lapis est ex virore pallescens, satis magnus, aspectu iucundus. Lud. Dulc. forte Smaraldoprasſius est recentiorum.

Gemites, vel potius Gamites teste Plinio lib. 37. cap. 10. alba gemma est, manus utriusque se mutuo complectentis speciem edens, A nuptiis quas Græci γάμον vocant, in quibus sponsi, & sponsæ manus tanquam fidem invicem dantium copulantur. Gesner.

Geloſia vide chalasias.

Galachides, aut Garatides, Bartholomeo Anglico Ceramites, & Alberto Gerachides, subnigro colore est, gestantem amabilem, omnibusque gratum reddit. Ore detentus homini iudicium rectum de omnibus rebus tribuit, ac cogitationes aliorum gestanti aperit. Ut autem quis dignoscat hunc lapidem, corpus humanum melle inungitur, ac manui imponitur lapis. Statuto autem homine in loco ubi muscarum copia est ille à muscis, aut fucis non attingitur, si verus sit Geratides. Lud. Dul. & Albert. Fabulosus est hic lapis, aut magicus, qui tamen cardiognomos esse non potest, nec id habere quod soli Deo competit.

Gecolitus corrupte scribitur pro techolito.

Genianes inimicorum pœnas efficit *b* Plin.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera h h.*
b *Ibidem littera m m.*

Hexe-

## H.

HExecantholitus in parva magnitudine multicolor, hoc sibi nomen adoptavit, reperitur in Troglodityca regione *a* Plin.

Hormezion inter gratissimas aspicitur ex igneo colore radians auro, portante secum in extremitatibus candidam lucem. Plin. ibidem.

Horminodes ex argumento viriditatis in candida gemma, vel nigra, & aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris appellatur. Plin. ibidem.

Horcus lapis ab Alexandrinis Catemia dictus niger est tritu facilis, utilis ad argenti glutinationem. Lud. Dulc.

Hydrinus ab aliquibus Serpentina vocatur, sanat catarrhos, ac corpus humanum ab omni aquosa humiditate liberat, ac hydropicorum corpus pristinæ valetudini restituit, si cum eo Soli per tres horas exponatur. Sudore enim elicit humiditatem. Verum cautione opus est, ne utilis humiditas etiam evacuetur. Vermes venenatos, eorumque morsus sanat. Sumptus etiam hic lapis, lapidem vesicæ comminuit. Lud. Dulc.

Hyeniæ ex oculis hyænæ, & ob id in vase inveniri dicuntur, & si credimus linguæ hominis subditæ futura prædicere. *b* Plin.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera m m.*
b *Ibidem.*

## I.

ICterias aliti lurido similis, ideo existimatur contra regios morbos. Est & alia eodem nomine liquidior. Tertia folio viridi similis latior prioribus,

pene sine pondere venis luridis. Quartum genus in eodem colore nigris venis descendentibus. Plin. lib.37.cap.10.

Intrita est maltha qua pavimenta parantur.

Iscustos Alberti ignota gemma, nisi Asbestos corrupto vocabulo sit.

Indica gemma gentium suarum habet nomen subrufo colore, in attritu sudorem purpureum emanat, alia eodem nomine candida pulvereo aspectu *a* Plinius.

Ion apud Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet. Plin. ibidem.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap.x. littera m m.*

## K.

KAkabre, Karate, aut karadre, colore est Crystalli cum fusca albedine. Hominem eloquentem, & iucundum facit, honores dat, gestantem amabilem facit, ac à rebus nocentibus tuetur, atque hydropem curat. Lud. Dulc. & Albert.

Kalkabre est Gagates. Albert.

Kaman, aut Kakaman lapis albus est variis coloribus distinctus, dictus à Kaumate quod incendium denotat. In locis sulphureis, & calidis invenitur. Non habet singularem vim, nisi eam à sculpturis nanciscatur. Lud. Dulc.

Kenne est lapis qui in oculi cervi generatur ad venena valens ut Bezoar. Lud. Dulc.

Kimedinus id est Cynedia. idem.

Kinocetus dæmones fugare creditur. Lud. Dulc.

## L.

LActea lapis est coloris flavi, qui alicui liquori impositus colorem lacteum efficit ac oculis adhibi-

adhibitus lachrymantibus fluxum sistit. Ludov. Dulc.

Lauraces lapis est qui capitis dolores sanat, aliosque morbos aufert. idem.

Lapis fabalis niger (ut Stobeus ait) fabæ similis in Nilo nascitur, quo viso canes non latrant. Idem optime facit ad vexatos Dæmonio, Aiunt enim quamprimum naribus appositus fuerit dæmonium egredi. Trasylus apud Stobeum sermone 98. & Plutarch. de fluviis, recensente Gesnero, Leucopetalos candorem nivis ex auro distinguit. *a* Plin.

Leucostitus est Porphyrius.

Lythodæmon Silvatico est lapis dæmonum, alias Gagates.

Lynurgus in Acheloo fluvio nascitur, lapis lineus dictus ab eventu. Linteolo enim si imponas δι' ἐξωλῆ ἔνωσιν τὸ σχῆμα λαμβάνει ἢ ἄργιον γίνεται. Plutarchus de fluviis. Videtur autem locus depravatus. Forte homines superstitiose creduli, lapidem in linteolo ligabant, cuius colorem (χρῶμα non σχῆμα) ἄργιον vel ἀργιλλῶδη, id est, candidum, si acciperet lapis livore depositio, bene ominabantur, & sperabant de suis amoribus *b* Gesn.

Lignites colore vitri, è collo pueri gestata eum tuetur contra fascinationes, fronti alligatus hæmorragiam sistit, mentisque alienationes aufert, ac futura prædicere facit. Lud. Dulc. Describit hic author multos lapides quos nunquam vidit, & qui in rerum natura non sunt.

Lichinus, id est, lychnites.

Lince est lapis ab urina lincis generatus, verum à Lincurio, vel lapide Lincis differt. Nam cum terra absconditur; mollis est. Sed cum in loco arido ponitur indurescit. Colorem album nigro commixtum habet. In terra detentus, aut loco humido,

fungos producit, Lud. Dulc. forte fungifer lapis est de quo supra peculiare caput est.

Limoniates eadem videtur quæ Smaragdus. *c* Plin.

Linficus lapis bibitus caducum sanat, ac à doloribus, & incommodis hominem liberat. Lud. Dulc.

Lithus, id est, Magnes.

Liparis lapis est cuius suffitu omnes bestiæ evocantur. *d* Plin.

Libanochros thuris similitudinem ostendit, sed succum mellis. *e* Plin. ibid.

Lunaria, id est, Selenites.

Lychnites appellata à lucernarum accensarum præcipua gratia, nascitur circa Orthosiam, totaque Caria, ac vicinis locis, sed probatissima in Indis, quam quidam remissiorem Carbunculum esse dixerunt. Secunda bonitate similis est Ionis appellata à prælatis floribus, & alias invenio differentias, unam quæ purpura radiet, alteram quæ cocco à Sole excalfacta, aut digitorum attritu paleas & chartarum fila ad se rapere dicitur. Plin. lib. 37. cap. 7.

Lysimachus Rhodio Marmori similis est aureis venis politur: ex Marmore, amplitudine in angustias coëunte ut inutilia exterantur. *f* Plin.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera m m.*
b *Libro de Fossilibus, &c. (ut post caput* 52. *monuimus) fol.* 120.
c *Libro* 37. *cap.* x. *littera m m.*
d *Ibidem.*
e *Ibidem.*
f *Ibidem.*

Mache-

## M.

MAchera lapis reperitur in Berecintho monte Phrygiæ ferro similis, quem si quis invenerit, quo tempore mysteria matris deorum peraguntur, in furorem incidere fertur. Plutarch. in libro de fluviis.

Magnesia est Alabandicus.

Medea nigra est à Medea illa fabulosa inventa, habet venas aurei coloris, sudorem reddit croci, saporem autem vini. *a* Plin.

Medus à Media regione nomen habet, alius niger, alius viridis. Etiam Medinus vocatur. Niger si cum lacte cutem mulieris attingat partum masculum efficit, visumque amissum restituit. Cum lacte ovis quæ semel agnum peperit mixtus sanat podagram. Per os sumptus præsens venenum est. Viridis lapis cum felle bovino, ac lapidi Calaminari mixtus septem diebus collyrii loco usurpatus, visum mirum in modum acuit Lud. Dulc. & Albert. Ignotus est lapis.

Melochites, id est, Malachites.

Meroctes porracea, lacte sudat. *b* Plin.

Memphites à Memphi civitate dicta est, Bibita, aut cum aceto macerata stuporem inducit membris, ut absque dolore amputari possint. Ludov. Dulc.

Morion Indica, quæ nigerrimo colore translucet vocatur Pramnion, in qua miscetur & Carbunculi colos Alexandrinum, ubi Sardæ Cyprium. Nascitur & in Tyro, & in Galatia. Xenocrates & sub alpibus nasci tradit. Hæ sunt gemmæ quæ ad ectypas scalpturas aptantur. *c* Plin. videtur Bohemorum Topasius qui nigredine exusta aureus apparet, alias ex nigredine transparente ignis scintillat.

Mythridates in Persia reperitur, quæ excipiens Solis radios, resplendet variis coloribus. Lud. Dulc.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera o o.*
b *Ibidem.*
c *Ibidem.*

## N.

NArcissites venis hederæ distincta est. *a* Plin.
Nasamonites est sanguinea nigris venis *b* Plin.
Nebrites libero patri sacra nomen traxit à Nebridum similitudine. Sunt & aliæ nigræ generis eiusdem *c* Plin.
Nemesites. Hanc Athenienses se ab altari deæ Nemesis elevare tradunt. Lud. Dulc.
Nosus, vel Nisus est Alabastrum.
Nympharena urbis, & gentis Persicæ nomen habet similis Hyppopotami dentibus. *d* Plin.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera g.*
b *Ibidem littera p p.*
c *Ibidem littera q q.*
d *Ibidem.*

## O.

OLea est coloris flavi, nigri, albi, & viridis. Lud.
Oritorius lapis minor Ætite intus resonat, exteriori superficie lævis, & fragilis, liquefactus succo ocymi cum sanguine ocheritis, & capite omidis adiecta aqua, ac impositus vitreo vasi vires ostendit. Quia si quis digitum imponat unguento, eoque attingat lignum, metallum, aut lapidem durissimum statim rumpet. Lud. Dulc. Quis non miretur stultitiam huius authoris?
Ornicus, id est, Saphirus.

Orca

Orca barbari nominis è nigro, fulvoque, ac viridi, & candido placet. *a* Plinius.

Ophicardelon barbari vocant nigrum colorem binis albis includentibus. *b* Plin.

Onagrus, id est, asininus lapis de quo supra.

Orites globosa specie à quibusdam, & Siderites vocatur, ignem non sentiens. *c* Plin. Orites est trium generum. Una nigra rotunda, quæ trita, & uncta oleo rosato, sanat vulnera animalium sylvestrium, & morsus venenatos, relinquens qui eam portat salvum inter reliqua animalia. Alia species viridis est maculis albis, quæ portata adversis casibus resistit. Tertia subtilis est laminis ferreis instar, quæ portata conceptionem impedit, conceptumque partum expellit. Lud. Dulc. & Albert.

Ophthalmius ad oculorum morbos valere traditur, ac gestantem invisibilem facere. Alber. fictitius est lapis.

Orphanus est ignobilioris Opali species, seu Pseudopalus, vini colore, & lactescens. Tales Opali in Hungaria inveniuntur, sed Alberto pretiosus Opalus videtur, quia Imperatoriam gemmam facit. Orphani nomen illi dat, quia Germanica lingua à pupillo, seu orphano nomen habet, vulgo *ein VVeisse*.

Othonna lapis in Ægypto exigua magnitudine æreo colore Piritis, vel Marchasitæ species.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera r r.*
b *Ibidem littera t t.*
c *Ibidem littera ſſ.*

## P.

PAlmati lapides circa Mundam in Hispania ubi Cæsar dictator Pompeium vicit reperiuntur, id-

que quoties fregeris. Sunt & nigri, quorum authoritas venit in Marmora sicut Tænarius. Varro nigros ex Africa firmiores esse tradit quam in Italia. E diverso albos tornis duriores quam Pario. Plin.lib. 36. cap.18.

Panthera alias Euanto habet diversos colores in uno corpore mixtos instar Pantheræ, unde illi nomen est. Habet signa in se nigra, rubra, pallida, viridia, rosea, & purpurea, invenitur in Media. Si aliquis hunc lapidem intuetur dum Sol oritur victor erit eo die in omnibus artibus suis, fertur tot facultates habere quot colores. Albert. Jaspidis speciem putarem quia coloribus variis ludit.

Pausebastos, id est, Paneros.

Pagurus est lapis figuram habens cancri marini.

Pallacius, vide Rubinus Ballacius.

Panchrus fere ex omnibus coloribus constat. *a* Plin.

Paneros qualis sit à Methrodoro non dicitur. Sed carmen Timaridis reginæ in eadem dicatum Veneri non inelegans ponit ex quo intelligitur additam ei fæcunditatem. Plin.lib.37.cap.10.

Peantides quas quidam Gemonides vocant prægnantes fieri, & parere dicuntur, mederique parturientibus. Nam tales in Macedonia iuxta monumentum Tiresiæ inveniuntur specie aquæ glaciatæ. *b* Plin.

Peonitis, id est, peantides.

Peranites lapis est generatus de mecheton fæminei sexus. Nam certo tempore dicitur concipere, & parere similem lapidem. Valere dicitur prægnantibus. Albert. Videtur corrupto vocabulo describi Peantides.

Pentaurea ab Apollonio Tyaneo inventa, omnes alios lapides Magnetis instar ad se trahit, gestantem

contra

contra venena tuetur. Omnium aliorum lapidum virtutes habet. Birellus.

Perithe sive Peridonius fulvi coloris, valet contra arthritidem. Si fortius constringatur manu, eam adurit; eius alia species Chrysolitho similis, sed viridior. Albertus cum Pyrite confundit, ut ex capite de Pyrite facile colligi potest. Sed nec Pyrites, nec alius lapis manum adurit.

Ploginos quem, & Chrysitin vocant ostreæ Atticæ assimilata invenitur in Ægypto. *c* Plin.

Phycites algæ similitudinem habet. *d* Plin.

Ponticæ gemmæ sunt diversorum generum, est stellata, nunc sanguineis, nunc atris guttis, quæ inter sacras habetur. Alia pro stellis eiusdem coloris lineas habet, alia montium convalliumque effigies. Plin. lib. 37. cap. 10. Forte Jaspidis, vel Stellaris lapidis species est. Ludovicus tres species facit, eiusque beneficio, & ope, cum dæmonibus colloqui, & ad responsa cogi posse, ac deinde fugari, asserit, sed ab eo nunquam visam existimo.

Portus gemma alba est, quæ solo candore ab unione superatur. Ludovicus Dulcis.

Præconissus Saphiri colore ad Calcedonium accedit. Lud. Dulc. Forte Luco Saphirus, aut Camea.

Punicus, huius lapidis duo sunt genera, invenitur in insulis Æoliæ. Lavatus & siccatus, oculorum vitia curat, ulcera purgat, & cicatrice explet, bibitus ebrietatem arcet. Lud. Dulc.

Pavonius lapis cum sudore propinatus, eum amore incendit, cuius sudor lapidi admixtus fuit. Lud. Dulc.

Pheonicites glandis habet similitudinem. Lud. Dulc.

Pyrobolus est Pyritis species.

Prontea similis est capiti testudinis, contra toni-

trua utilis, quia eius ardorem extinguit, ac in terra reperitur. Birellus. Forte Brontiam putat corrupto vocabulo.

a *Libro 37. Naturalis historiæ cap. x. littera t t.*
b *Ibidem littera x x.*
c *Ibidem littera u u.*
d *Ibidem.*

## Q.

QUandros est lapis colore quidem vilis, sed eximiæ virtutis, & invenitur in capite vulturis, valet contra quaslibet causas nocivas, & ubera lacte replet. Barth. Ang. & Lud. Dulc.

Quiris, Quirinus, vel Quiricia Alberti est lapis qui in upuparum nidulis invenitur. Hic secretorum proditor est in somno. Capiti enim dormientis suppositus facit hominem loqui omnia quæ somniat dormiendo, augetque mirabiliter phantasias, vnde & magi hunc lapidem diligunt, nam per eum maleficia operantur. Barth. Ang. & Alber.

## R.

RAbri, Ranio, Ramai est Bolus Armenus.

Rosten sive Reiben sec. Avicennam est lapillus qui invenitur in capite cancri, & est aliquando albus aliquando vergens in flavum colorem. Est autem quo ad substantiam mollis, parum durior quam pupillo oculi piscis. Quo ad formam vero est exterius rotundus, & planus, interius vero parum concavus; quo ad virtutem autem est naturaliter frigidus & humidus. Valet contra morsus scorpionum, & mustelæ si contritus more emplastri supponatur. Dicitur etiam quod valet contra morsus canis

nis rabiosi, si pulvis eius in potu assumatur. Si comburatur pulvis eius, mundificat dentes, & desiccat vulnera, & confert scabiei, & prohibet lachrymas Barth. Ang. fortassis sunt Oculi Cancri qui hic describuntur.

Radainus, seu Radain est nigra gemma, & translucens quæ in capite galli reperitur, aut ut aliqui volunt in capite cati marini. Dum caput animalis abscissum est, ac id in acervo formicarum ponitur depasta à formicis carne, facile gemma apparet Gestanti honorem conquirit, ac ad mandandum idoneum reddit, Lud. Dulc. & Albert.

S.

SArciten in ventre lacerti harundine dissecti tradunt inveniri. *a* Plin. lib. 37. cap. 10.

Sarmenius à Sarmia insula in qua invenitur nomen habet, inservit auro poliendo. Portatus vertiginem sedare dicitur, ac manu parturientis alligatus partum impedire. Albertus.

Sallius lapis est ab insula eiusdem nominis dictus cum quo aurum politur, albus est, gravis, & frangibilis, soluit vertiginem, si bibatur abortum prohibet, oculorum vitia curat, præsertim si lacte teratur, & oculis supraponatur. Lud. Dulc.

Sinochites, id est, Galatites.

Sedehego, id est, Hæmatites.

Spartepolios, id est, Polia.

Syrus est à Syria dictus qui integer natat, & comminutus fluctuat. Albert.

Strasites lapis est non admodum pulcher, sed magnarum virium, tritus, & propinatus cum satyrionis radice venerem auget. E collo suspensus digestionem auget ac venerem accendit. Ludov. Dulc.

Syno-

Synodontides è cerebro piscium est, qui Synodontes vocatur. *b* Plin.

Syderopœcillus in Æthiopia nascitur ea fit variantibus guttis. *c* Plin.

Syrites nonnullis est Saphirus. Sed Plin. lib. 11. cap. 37. in vesica lupi nasci scribit.

Syfinus colore est cinereo non durus, Oleo inunctus in igne induratur, & nigrescit. Lud. Dulc.

Syringites stipulæ internodio similis, perpetua fistula cavatur. *d* Plin. forte recentiorum Ossifragus.

a *Plinius lib. 37. Naturalis historiæ cap. x. littera z. z. non Sarciten in ventre lacerti reperiri scribit, sed Sauriten, nam teste eodem Sarcites bubulas Carnes repræsentat.*
b *Ibidem littera b b b.*
c *Ibidem littera a a a.*
d *Ibidem littera c c c.*

## T.

TArac lapis est irreparabilis, omnem fluxum sistit, in eius loco supponitur à medicis Sanguis Draconis. Lud. Dulc.

Trapendano est Pyritis species. Lud. Dulc.

Tarti lapis est pulcherrimi coloris, pavoni similis visui grata, & magnis facultatibus. Ludov. Dulc.

Trachinus duorum generum est, alter niger, alter ad viriditatem tendens non translucens. Lud. Dulc. forte Nephritici Lapidis species.

Thracia trium generum est viridis, aut pallidior, tertia sanguineis guttis. *a* Plin.

Thyrisites Corallo similis est.

Thyrreus lapis quamvis grandis aquæ innatat, com-

comminutus mergitur. *b* Plinius lib. 2. cap. 103.

Trichrus ex Africa niger est, sed tres succos reddit à radice nigrum, media sanguineum, summo candidum. *c* Plin. 37. cap. 10.

Telirrhizos cinerei coloris aut rufi candidis radicibus spectatur. Plin. ibid.

Telicardios colore cordis Persas apud quos gignitur magnopere delectat, maculamque appellant. *d* Plin.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera* ccc.
b *Littera* f.
c *Littera* ccc.
d *Ibidem.*

## V.

VEientana Italica gemma est Veiis reperta nigram materiam distinguente limite albo *a* Plinius.

Virites, id est, Pyrites.

Vulturius, vel Vulturnus, id est. Quandros.

a *Libro* 37. *Naturalis historiæ cap.* x. *littera* ccc.

## X.

XAnthos ab Indis Henui vocata, Hæmaticis est species, è fulvo candicat. *a* Plinius lib. 37. cap. 10.

Xifinus, id est, Saphirus.

a *Littera* mm.

## Y.

YEttus sanguinei coloris est durus, & obscurus, vices lapidis Lydii subit. Lud. Dulc.

Ydri-

Ydrinus, vide Hydrinus.

## Z.

ZAnthenen in Media nasci Democritus tradit electri colore, & si quis terat in vino Palmeo, & croco, ceræ modo lentescere, odore magnæ suavitatis. *a* Plin. lib. 37. cap. 10.

Zamech est lapis lazuli.

Zmilaces in Eufrate nascitur Proconnesio Marmori similis, medio colore glauco. *b* Plin.

Zingnites alias zingrites secundum Albertum lapis est vitrei coloris, qui gestatus in collo valet contra nyctalopam, & sanguinem sistit, & mentis alienationem repellit, & si teneatur ad lignum accensum extinguitur flamma eius. Barthol. Anglicus. A Ludov. Dulci Zirites vocatur. Ego hunc lapidem fabulosum autumo.

Ziazaa à loco natali nomen habet, è tot coloribus miscetur ut nullus verus appareat. Gestantem litigiosum facit, ac in somno videre terribilia. Ludovicus Dulcis.

Zozonisios in Indo fluvio nascitur. Magorum gemma esse narratur, neque aliud amplius de ea *c* Plin. cap. 10. lib. 37.

a *Littera c c c.*
b *Ibidem.*
c *Ibidem.*

## Cap. CCCIV.

### *De fluoribus.*

INter gemmas, & lapides medium locum videntur obtinere fluores, qui nihil aliud sunt, quam gemmæ legitima, & requisita duritia destitutæ, & imper-

imperfectæ. Tantam enim mollitiem habent ut cultro scindi, & interdum humanis unguibus rumpi possint. Pellucidæ tamen, & transparentes sunt, ac variarum gemmarum similitudinem referunt.

Ab his distant fluores lapidei, (quos ad pyritum, aut silicum genera retuli) qui ideo tantum fluores appellantur quod igni impositi fluant aquæ instar, ac metallorum liquefactorum exhalationes superiecti, ac liquefacti prohibeant. Priores fluores tam varie, & tam multipliciter distinguuntur quam gemmæ ipsæ. Alii candidi, & pellucidi sexanguli, quadranguli, pentagoni, pangonii Crystallo similes, alii non pellucidi quavis forma, & variis lapidibus metallicis innascentes. Alii rursus rubri Granatis, vel Rubinis similes, varieque formati. Alii nigri multorum etiam angulorum ex quibus interdum stannum excoquitur, quinetiam & nigri sunt Gagati similes. Alii flavi lapidem Specularem, Chrysolitum, Topasion, Crocum, Succinum, aut Hyacinthum referunt. Alii virides Prassium, Smaragdum, aliasque gemmas imitantur. Alii cærulei Saphiro, Berillo, aliisque gemmis non sunt dissimiles. Alii purpurei Amathisti gratiam habent. Alii phenicei coloris, seu castanei, alii cinerei coloris sunt, ita ut vix aliquem colorem esse putem quem non habeant fluores, eumque non simplicem, sed commixtum interdum aut confusum, & aliquando in uno corpore à se invicem distinctum. Nam ut natura in gemmis, ita in fluoribus, variis ludit coloribus. In Germaniæ, aliarumque regionum metallicis fodinis reperiuntur, ac lapidibus metallicis plerunque adnascuntur, ac ex eadem materia ex qua gemmæ generantur oriri, vix dubium

bium est. De viribus nemo hactenus scripsit. Gemmarum quarum referunt formas, vires habere verisimile est.

INDEX